E#2E#104

UANL
DAD AUTÓNOMA DE NUEV
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC

BX1935
.R451
1755
v.6
c.1

1080047257

TRACTATUS
DE
REGULIS JURIS,
CLARA METHODO

PER QUÆSTIONES, ET FUNDATAS RESPONSIONES digestus; solidam earum, quæ Quinto & Sexto Libro Decretalium sunt annexæ Explicationem continens.

ACCESSIT

APPENDIX OMNIUM REGULARUM JURIS CIVILIS IN DIGESTIS, TIT. DE REGULIS JURIS, CONTENTARUM.

AUTHORE

R. P. F. ANACLETO REIFFENSTUEL,
Ordinis Minorum S. Francisci Reform. Provinciæ Bavaricæ Lectore Jubilato.

JURIS CANONICI UNIVERSI
TOMUS SEXTUS.

CUM REPERTORIO GENERALI TOTIUS OPERIS.

ANTVERPIÆ,
Sumptibus SOCIETATIS.

M. DCCLV.

49412

APPROBATIO
REVERENDISSIMI ORDINARIATUS.

Imprimatur:

Frisingæ 15. Junii 1732.

J. B. J. de PFISTERN, &c. Cathedr. Eccl. Frising. Can. Capit. Concil. Eccl. Vice-Præses, & Pro Vicarius Generalis.

APPROBATIO CENSORIS.

EX Mandato Reverendissimi ac Illustrissimi &c. in Spiritualibus Vicarii Generalis, Tractatum de Regulis Juris &c. *à Theologis prævie revisum, ac approbatum, debita attentione perlegi; eumque in illo nihil invenerim, quod Orthodoxæ fidei, aut bonis moribus adversatur: bene vero ea omnia, quæ in Titulo promittuntur, videlicet solidam doctrinæ claritatem, & claram, una cum perspicua, ac accurata tum SS. Canonum, tum LL. Civilium allegatione, Solidatem deprehenderim; Ideò præsentem Tractatum ad adhuc majorem, & immortalem Clarissimi Authoris famam non minùs, ac ad permagnum legentium, præprimis in Dicasteriis versantium utilitatem, juris publici ut fiat, dignissimum censeo. Frisingæ 11. Junii 1732.*

JOAN. JOSEPH. PLACIDUS SEBASTIANUS de MARALT, Rmi. & Seren. Principis & Episc. Frising. & Ratisbon. Consil. Eccl. actual. nec non Insignis Collegiatæ ad D. Andream Canonicus Capitularis.

Licentia & Approbatio Ordinis.

Fr. JOSEPH MARIA ab EBORA, Ordin. Min. Reg. Observant. S. P. N. Francisci Lector Jubilatus, SS. Congregationum Visitationis Apostolicæ, & Consist. Votans Indiciis, Indulgentiarum, Reliquiarum, nec non S. & Universalis Inquisitionis Consultor, Episcop. Examinator &c. & in hac Cismontana Familia tam Observantium, quàm Reformat. & Discalceat. Commissarius Generalis, & Servus.

CUm juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones per idoneos Censores revisum, & approbatum fuerit opus quoddam, cui Titulus est: *Tractatus de Regulis Juris &c.* addendus Juri Canonico Universo, per R. P. Anacletum Reiffenstuel, nostræ Reformatæ Provinciæ Bavariæ Lectorem Jubilatum elaborato. Nos præsentium tenore, cum salutaris obedientiæ merito R. P. Fr. Thomæ Cantuar. Pruggmair, præfatæ nostræ Reformatæ Provinciæ Bavariæ Ministro Provinciali facultatem concedimus, quatenus, servatis in reliquo servandis, Typis illud mandare possit & valeat. Datum Romæ ex Ara cœli die 20. Junii 1732.

Fr. JOSEPH MARIA ab EBORA,
Commissarius Generalis Ordinis.

De Mandato Paternitatis suæ Rmæ.

Fr. JOANNES ANTONIUS de TAURINO,
Secretarius Generalis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL FONDO
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

FACULTAS

Admodùm Reverendi Patris Ministri Provincialis.

CUm à Reverendo Patre Anacleto Reiffenstuel, Ord. Min. S. Francisci Reformatorum Provinciæ Bavariæ Lectore Jubilato Opus quoddam, cui Titulus: *Tractatus de Regulis Juris &c.* sit compositum, à duobus Theologis revisum & approbatum, plurimúmque recommendatum, & omnia, quæ de Jure in Editione Librorum sunt servanda, sint observata: tenore præsentium facultatem impertior, ut hoc laudatissimum opus pro utilitate publica Typis mandari possit. Actum Monachii 12. Julii 1732.

Fr. THOMAS CANTUAR. PRUGGMAIR,
Ord. Min. S. Franc. Ref. Lector Jubilatus,
Provinciæ Bavariæ Minister Provincialis.

Censura Theologica.

TRactatus præsens *de Regulis Juris &c.* qui solus famosissimo aliàs Juri Canonico Universo R. P. Anacleti Reiffenstuel Ordinis, ac Provinciæ nostræ Lectoris Jubilati, adhuc defuisse videbatur, à pluribus utriusque Juris Peritis avidè desideratus, nunc tandem ad commune orbis Litterati Solatium Typis vulgatur; qui sanè, sicut ipsummet celeberrimum opus (Jus videlicet Canonicum Universum ab eodem Præclarissimo Authore in lucem editum) tam ob Doctrinæ soliditatem, quàm Styli claritatem, nec non perspicuam, captuque facillimam methodum, atque optimè ordinatam materiarum divisionem publicum per omnia meretur Præconium. Textus efficaces, ex ipso fonte Juris Canonici ac Civilis copiosè desumpti, & repetitò de industria revisi, fidelissimè in eodem allegantur: Regulæ ipsæ per plures casus Canonico-Civiles summè proficuæ magis explanantur: Fallentiæ potiores, & in praxi frequentiores solerter adducuntur: neque objectiones, si quæ occurrunt notabiliores, unà cum fundata earum solutione, ullatenus dissimulantur; ut proin firmiter nobis persuadeamus, exspectationi atque spei de tanto Viro conceptæ, ex integro ac plenissimè esse satisfactum. Et quoniam cæteroquin in toto hoc Tractatu Fidei, aut bonis moribus prorsus nil contrarium reperitur, eundem, uti luce publicâ dignissimum, ita legentibus utilissimum fore censemus. Datum Monachii die 4. Junii 1732.

Fr. BRUNO MÆSSENHAUSER,
Lector Generalis, & Provinciæ Diffinitor.

Fr. MASSÆUS KRESSLINGER,
iteratò Ex-Provincialis, & SS. Theolog. ac SS. Canonum Lector Jubilatus.

INDEX

INDEX
ALPHABETICUS REGULARUM
LIB. V. DECRETALIUM.

CUm in contemplatione &c. In ipso causæ initio non est à quæstionibus inchoandum. *Reg.* 61.

DEsleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus. 9

ESto misericordes &c. Hôc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quô animô fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est, (*ex fructibus eorum cognoscetis eos*) de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri: ut Stuprum, blasphemia, furta, ebrietates, & similia; de quibus nobis permittitur judicare. 2

INdignum est, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur. 11

OMnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. 1

QUamvis causæ &c. Non *enim* potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit. 10

Quæ multoties &c. Quid quid in sacratis Deo rebus, & Episcopis injustè agitur, pro Sacrilegio reputatur: quia sacra sunt, & à quoquam violari non debent. 7

Qui ex timore facit præceptum, aliter quàm debet facit, & ideò jam non facit. 8

Qui scandalizaverit &c. Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur. 3

Quod latenter, aut per vim, vel alias illicitè introductum est, nulla debet stabilitate subsistere. 5

Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam & Sabbatum custodiri præceptum est: Machabæi enim sine culpa sua in Sabbato pugnabant. Sic & hodie, si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur. 4

INDEX
ALPHABETICUS REGULARUM
LIB. VI. DECRETALIUM.

ACcessorium naturam sequi congruit principalis. *Reg.* 42.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. 50

BEneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri. 1

Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur. 85

CErtum est, quòd is committit in legem, qui legis verbum complectens, contra legis nititur voluntatem. 88

Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda. 57

Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. 85

Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus. 53

Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quò minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset. 66

Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo. 39.

Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti. 84

Cùm quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere. 14

Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori. 11

DAmnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare. 86

Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. 16

Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. 76

Dolô facit, qui petit, quod restituere oportet eundem. 56

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EA, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt. *Reg.* 26
Eum, qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet. 31
Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri. 63
Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare. 38

FActum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari. 73
Frustrà sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat. 75

GEneri per speciem derogatur. 34

IGnorantia facti non juris excusat. 13
Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. 41
In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum impleri. 70
In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa. 78
Indultum à Jure beneficium non est alicui auferendum. 17
Infimis portæ non pateant dignitatum. 87
In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. 81
In judiciis non est acceptio personarum habenda. 12
In majus promissis fidem non expedit observari. 69
In obscuris minimum est sequendum. 30
In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis. 65
In pœnis benignior est interpretatio facienda. 49
In re communi potior est conditio prohibentis. 56
Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit. 45
In toto partem non est dubium contineri. 80
Is, qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur. 44
Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit. 45

LOripetari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. 48

MOra sua cuilibet est nociva. 25
Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. 33

NEmo potest ad impossibile obligari. 6
Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. 79
Non debet aliquis alterius odiò prægravari. 22
Non est in mora, qui potest exceptione legitimâ se tueri. 60
Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. 58
Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet. 19
Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. 18
Non licet actori, quod reo licitum non exisit. 32
Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. 52
Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur. 62
Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur. 20

ODia restringi, & favores convenit ampliari. 15

PEccati venia non datur nisi correcto. 5
Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. 4
Pluralis locutio duorum numerò est contenta. 40
Plus semper in se continet, quod est minus. 35
Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. 2
Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. 68
Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. 47
Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona. 7
Pro possessore habetur, qui dolò desiit possidere. 36

QUæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. 28
Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. 64
Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus. 71
Qui contra jus mercatur, bonam fidem præsumitur non habere. 82
Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum. 72
Qui prior est tempore, potior est jure. 54
Qui sentit onus, sentire debet commodum, & è contra. 55
Qui tacet, consentire videtur. 43
Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. 74
Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit. 67
Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. 61
Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. 29
Quod quis mandatò facit Judicis, dolò facere non videtur: cùm habeat parere necesse. 24
Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest. 21

RAtihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. 10
Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore. 77
Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. 9

SCienti & consentienti non fit injuria, neque dolus. 27
Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulteriùs transferendum. 51
Semel malus, semper præsumitur esse malus. 8
Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. 23
Sine possessione præscriptio non procedit. 3

UTile non debet per inutile vitiari. 37

INDEX
ALPHABETICUS REGULARUM
JURIS CIVILIS.

A.

ABsentia ejus, qui Reipublicæ causa abest, neque ei, neque alii damnosa esse debet. *Reg.* 140
Actus legitimi qui recipiunt diem vel conditionem, veluti mancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio Tutoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem: nonnunquam tamen actus supra scripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehensa vitium adferunt: Nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit, ita demum ejus aliquid acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio exstiterit: quæ si verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum. 77
Ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris vel sceleris, ignoscitur servis, si vel dominis, vel his, qui vice dominorum sunt (veluti tutoribus & curatoribus) obtemperaverint. 1) semper, qui dolo fecit, quo minus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet. 2) In contractibus successores ex dolo eorum, (quibus successerunt) non tantum in id, quod pervenit, verum etiam in solidum tenentur, hoc est, unusquisque pro ea parte, qua hæres est. 157
Aliud est *vendere*, aliud *vendenti consentire*. 1) Refertur ad universos, quod publicè fit per majorem partem. 2) absurdum est, plus juris habere eum, cui legatus sit fundus, quàm hæredem, aut ipsum testatorem, si viveret. 160
Alterius circumventio alii non præbet actionem. 49

B.

BOna fides non patitur, ut bis idem exigatur. 57
Bona fides tantundem possidenti præstat, quantum veritas, quotiens lex impedimento non est. 136

C.

COnsilii non fraudulenti nulla obligatio est: cæterum si dolus & calliditas intercessit, de dolo actio competit. 1) Socii mei Socius, meus Socius non est. 47
Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt: quidam & dolum & culpam: dolum tantum depositum & precarium: dolum & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ negotia gesta (in his quidam & diligentiam) societas & rerum Communio, & dolum & culpam recipit: sed hæc ita, nisi, si quid nominatim convenit, vel plus vel minus, in singulis contractibus: nam hoc servabitur, quod initio convenit; legem enim contractus dedit: excepto eo quod Celsus putat, non valere, si convenerit, ne dolus præstetur: hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est: & ita utimur. Animalium verò casus, mortes, quæque sine culpa accidunt, fugæ servorum, qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum à nullo præstantur. 23
Creditor, qui permittit rem venire, pignus demittit. 158
Cujus effectus omnibus prodest, ejus & partes ad omnes pertinent. 148
Cujus est donandi, eidem & vendendi, & concedendi jus est. 163
Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dari donatio est. 53
Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest. 50
Culpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti. 36
Cùm amplius solutum est, quàm debebatur, cujus pars non invenitur, quæ repeti possit, totum est indebitum intelligitur, manente priſtina obligatione. 1) Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus. 84
Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa: secui si, cum de dolo excipitur petitoris: neque enim datur talis replicatio petitori. *Aut si rei quoque in ea re dolo actum sit.* 1) Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit. 154
Cum Prætor in hæredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit: sufficit, si vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti. 127
Cum Principalis causa non consistat plerumque ne quidem ea, quæ sequuntur, locum habent. 178
Cum quis possit alienare, poterit & consentire alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec si donationis causa consenserit, ratam ejus voluntatem habendam. 165
Cum servo nulla actio est. 107
Cum tempus in testamento adjicitur: credendum est pro hærede adjectum, nisi alia mens fuerit testatoris: sicuti in stipulationibus promissoris gratia tempus adjicitur. 17

D.

DIvus rescripsit, eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id, quod facere potiunt condemnandos. 28
Domum suam reficere unicuique licet, dum non officiat invito alteri, in quo jus non habet. 61
Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur. 82

E.

EA est natura cavillationis, quam Græci *συρίτην* (id est *acervalem Syllogismum*) appellant, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducatur. *Reg.* 65.
Ea, quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur. 135
Ea, quæ in partes dividi non possunt, solida à singulis hæredibus debentur. 1.) In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius. 192
Ea, quæ raro accidunt, non temere in agendis negotiis computantur. 64
Ea sola deportationis sententia aufert, quæ ad fiscum perveniunt. 97
Ejus est non nolle, qui potest velle. 3
Etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus: tamen, ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est. 183
Ex pœnalibus causis non solet in partem de peculio actio dari. 58
Expressa nocent, non expressa non nocent. 195
Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet. 149

F.

FActum à Judice, quod ad Officium ejus non pertinet, ratum non est. 170
Factum cuique suum, non adversario nocere debet. 1.) non videtur vim facere, qui jure suo utitur, & ordinaria actione experitur. 2.) In pœnalibus causis benignius interpretandum est. 155
Fœminæ ab omnibus Officiis civilibus, vel publicis remotæ sunt: & ideo nec judices esse possunt, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere. 1.) Item impubes omnibus officiis civilibus debet abstinere. 2
Favorabiliores Rei potius, quàm actores habentur. 125
Ferè in omnibus pœnalibus judiciis & ætati, & imprudentiæ succurritur. 108
Fere, quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. Ut igitur nulla possessio adquiri, nisi animo & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum. 153
Filiusfamilias neque retinere, neque recuperare, neque adipisci possessionem rei peculiaris videtur. 93
Fraudis interpretatio semper in jure civili non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoque desideratur. 79
Fructus rei est vel pignori dare licere. 72
Furiosi, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est. 40

G.

GEneraliter, cum de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per adversarium habere non potuerit, considerandum est. 78

H.

HÆredem ejusdem potestatis, jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat. 59
Hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit. 62
Hoc jure utimur: ut quidquid omnino per vim fiat, aut in vis publicæ, aut in vis privatæ crimen incidat. 1.) Dejicit, & qui mandat. 2.) In maleficio ratihabitio mandato comparatur. 3.) In contractibus, quibus doli præstatio vel bona fides inest, hæres in solidum tenetur. 152

I.

ID, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. 11
Imaginaria Venditio non est pretio accedente. 16
Impensa culpæ adnumeratur. 132
Impossibilium nulla obligatio est. 185
In ambiguis orationibus maximè sententia spectanda est ejus, qui eas protulisset. 96
In ambiguis pro dotibus respondere, melius est. 1.) Non est novum, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt. 2.) Quotiens æquitate desiderii naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur, justis decretis res temperanda est. 85
In condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant. 1.) Cùm verbum *Restituas* lege invenitur, etsi non specialiter de fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi. 2.) Unicuique sua mora nocet: quod & in duobus reis promittendi observatur. 3.) dolo facit, qui petit, quod redditurus est. 173
In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. 1.) Ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit. 172
In eo, quod plus sit, semper inest & minus. 1. Nemo alienæ rei expromissor idoneus videtur, nisi si cum satisdatione. 2. Pupillus pati posse non intelligitur. 3. Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. 4. Mulieribus tunc succurrendum est, cùm defendantur, non ut facilius calumnientur. 110
In eo, quod vel is, qui petit, vel is, à quo petitur, lucri facturus est, durior causa est petitoris. 33
In his, quæ officium per liberas fieri personas leges desiderant, Servus intervenire non potest. 1. Non debeo melioris conditionis esse, quàm auctor meus, à quo jus in me transit. 175
In jure civili receptum est, quotiens per eum, cujus interest conditionem non impleri, fiat, quo minus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset, quod ad libertatem, & legata, & ad hæredum institutiones perducitur: quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cùm per promissorem factum esset, quo minus stipulator conditioni pareret. 161
In negotiis contrahendis alia causa habita est furiosorum, alia eorum, qui fari possunt, quamvis actum rei non intelligerent; nam furiosus nullum negotium contrahere potest: pupillus omnia Tutore auctore, agere potest. 5
In obscura voluntate manumittentis favendum est libertati. 179
In obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet. 114
In omnibus causis id observatur: ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ beneficium quoque defeiat: ubi verò genus actionis id desiderat, ibi ad quemvis perlecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii. 68

In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium moræ sit, quo minus fiat. *Reg.* 39
In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur. 14
In omnibus quidem, maximè tamen in Jure æquitas spectanda sit. 90
In pari causa, Possessor potior haberi debet. 1. Hi qui in universum jus succedunt, hæredis loco habentur. 128
In personam servilem nulla cadit obligatio. 1. Generaliter probandum est, ubicunque in bonæ fidei judiciis confertur in arbitrium domini vel procuratoris ejus conditio, pro boni viri arbitrio habendum esse. 22
In testamentis plenius voluntates testantium interpretantur. 12
In toto & pars continetur. 113
In toto Jure generi per speciem derogatur, & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est. 80
In totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi vera & certa scientia perfici possunt. 76
Invito Beneficium non datur. 69
Invitus nemo rem cogitur defendere. 1. Cui damus actiones, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit. 2. Cùm quis in alii locum successerit, non est æquum, ei nocere hoc, quod adversus eum nocuit, in cujus locum successit. 3. Plerumque emptoris eadem causa esse debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris. 4. Quod cuique pro eo præstatur, invito non tribuitur. 156
Is damnum dat, qui jubet dare: ejus verò nulla culpa est, cui parere necesse sit. 1. Quod pendet, non est pro eo, quasi sit. 169
Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur. 15
Jura sanguinis nullo Jure Civili dirimi possunt. 8
Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem. 206
Jus nostrum non patitur eundem in paganis, & testato & intestato decessisse; eaque rerum naturaliter inter se pugnare sit, testatus, & intestatus. 7

L.

LIbertas inæstimabilis res est. 106
Libertas omnibus rebus favorabilior est. 122

M.

MArcellus: definit debitor esse is, qui nactus est exceptionem justam, nec ab æquitate naturali abhorrentem. 66
Melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest. 133
Minus est actionem habere, quam rem. 204

N.

NEc ex Prætorio, nec ex solenni Jure, privatorum conventione quidquam immutandum est: quamvis obligationum causæ pactione possint immutari, & ipso jure, & per pacti conventi exceptionem: quia actionum modus, vel lege, vel per Prætorem introductus, privatorum pactionibus non infirmatur: nisi tunc, cum inchoatur actio, inter eos convenit. 27
Nemo alieno nomine lege agere potest. 1. Temporaria permutatio jus Provinciæ non innovat. *Reg.* 123
Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet. 151
Nemo de domo suâ extrahi debet. 103
Nemo dubitat, solvendo videri eum, qui defenditur. 95
Nemo enim in persequendo deteriorem causam, sed meliorem facit. Denique post litem contestatam hæredi quoque prospiceretur, & hæres tenetur ex omnibus causis. 87
Nemo ex his, qui negant, se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi lex impedit. 1. Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una quis experiri debet. 43
Nemo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio quod præstiterit. 171
Nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quam ipse habuit. 120
Nemo plus Juris ad alium transferre potest, quàm ipse haberet. 54
Nemo potest gladii potestatem sibi datam, vel cujus alterius coercitionis ad alium transferre. 70
Nemo potest mutare consilium suum in alterius injurium. 75
Nemo prædo est, qui pretium numeravit. 1. Locupletior non est factus, qui libertum acquisierit. 2. Cum de lucro duorum quæratur, melior est causa possidentis. 126
Nemo, qui condemnare potest, absolvere non potest. 37
Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt. 145
Neque in interdicto, neque in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum Tutoris, sive solvendo est, sive non est. 198
Neque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei suæ consistere potest. 1. Privatorum Conventio Juri publico non derogat. 45
Neratius consulrus, an, quod beneficium dare se, quasi viventi, Cæsar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur? Respondit, non videri sibi Principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse; quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ipsius æstimationem esse. 191
Nihil consensui tam contrarium est, qui bonæ fidei judicia sustinet, quàm vis, atque metus: quem comprobare contra bonos mores est. 1. Non capitur, qui Jus publicum sequitur. 2. Non videntur, qui errant, consentire. 116
Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit. 1. Cùm principalis causa non consistit, ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent. 129
Nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. 112
Nihil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolvi possit. Et cùm solvendi tempus, obligationi additur, nisi eo præterito, peti non potest. 186
Nihil tam naturale est, quam eo genere quidve dissolvere, quo colligatum est: ideo verborum obligatio verbis tollitur, nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur. 35
Non alienat, qui duntaxat omittit possessionem. 119
Non debet actori licere, quod reo non permittitur. 1. In re obscurâ melius est favere repetitioni, quàm adventitio lucro. 41
Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. 74

Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere. *Reg.* 21
Non defendere videtur, non tantum, qui latitat, sed & is, qui præsens negat se defendere, aut non vult suscipere actionem. 52
Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè possit fieri; ne occasio sit majoris tumultûs faciendi. 1. Infinita æstimatio est libertatis, & necessitudinis. 176
Non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur à debitore, sed cum quid de bonis diminuitur. 1. Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. 134
Non omne, quod licet, honestum est. 1. In stipulationibus id tempus spectatur, quod contrahimus. 144
Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit. 199
Non potest improbus videri, qui ignorat, quantum solvere debeat. 99
Non potest videri desiisse habere, qui nunquam habuit. 208
Non solet deterior conditio fieri eorum, qui litem contestati sunt, quam si non: sed plerumque melior. 86
Non solent, quæ abundant, vitiare scripturas. 94
Non videtur cepisse, qui per exceptionem à petitione removetur. 13
Non videtur quisquam id *capere*, quod ei necesse est alii restituere. 51
Non videntur data, quæ & tempore, quo dantur, accipientis non fiunt. 1. Qui jussu Judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere necesse habet. 167
Non videntur rem admittere, quibus propria non fuit. 83
Non ut ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem possit nostrum esse. 159
Non vult hæres esse, qui ad alium transferre voluit hæreditatem. 6
Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est. 88
Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur. 55
Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cùm prohibere non potest. 109
Nunquam actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit. 130
Nuptias non concubitus, sed consensus facit. 30

O.

Omnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ judicio, salvæ permanent. 1. Non videtur perfectè cujusque id esse, quod ex casu auferri potest. 139
Omnia fere jura hæredum perinde habentur, ac si continuò sub tempus mortis hæredes extitissent. 193
Omnia, quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint. 201
Omnia, quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt. 100
Omnia, quæcunque causæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt. 71
Omnis definitio in jure civili periculosa est; parum est enim, ut non subverti possit. 202
Omnis hæreditas, quamvis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. 1
Nunquam crescit ex post facto præteriti delicti æstimatio. 138

P.

Pœnalia judicia, semel accepta, in hæredes transmitti possunt. 164
Parem esse conditionem oportet ejus, qui quid possideat, vel habeat, atque ejus, cujus dolo malo factum sit, quo minus possideret, vel haberet. 150
Plerumque fit, ut etiam ea, quæ nobis abire possunt, proinde in eo statu sint, atque si non essent ejus conditionis, ut abire possent: & ideo, quod fisco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & servitutem in prædio imponere possumus. 205
Plus cautionis in re est, quàm in personâ. 25
Prætor bonorum possessorem hæredis loco in omni causa habet. 117
Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: & ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt: quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt. 196
Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate, nisi appositâ Tutoris authoritate, creditur: nam quod animi judicio fit, in eo Tutoris auctoritas necessaria est. 189
Pupillum, qui proximus pubertati sit capacem esse & furandi, & injuriæ faciendæ. 1. In hæredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio; veluti furti, damni, injuriæ vi bonorum raptorum injuriarum. 11

Q.

Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non potest. 210
Quæ dubitationis tollendæ causâ contractibus inseruntur, jus commune non lædunt. 81
Quæ legata, mortuis nobis, ad hæredem nostrum transeunt, eorum commodum per nos his, quorum in potestate fuimus, eodem casu adquirimus: aliter atque quod stipulati sumus: nam & sub conditione stipulantes, omni modo eis adquirimus, etiam si libertatis nobis potestate domini, conditio existat. 18
Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. 162
Quamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimus non admittitur. 89
Quatenus cujus interfuit, in facto, non in jure consistit. 24
Qui auctore Judice comparavit, bonæ fidei possessor est. 137
Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus: hæredi autem hoc imputari non potest, cùm non sponte cum legatariis contrahit. 1. Non solet exceptio doli nocere his, quibus voluntas testatoris non refragatur. 19
Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quàm si perseverantia apparuit, judicium animi fuisse: ideoque brevi reversa uxor, nec divortisse videtur. 48
Qui dolo desierit possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessione dolus est. 131
Qui in alterius locum succedunt, justam habent causam ignorantiæ, an id, quod peteretur, debeatur. Fidejussores quoque non minus, quàm hæredes justam ignorantiam possunt allegare. Hæc

Hæc ita de hærede dicta sunt; si cum eo ageretur: non etiam, si agat: nam planè qui agit, certus esse debet: Cùm sit in potestate ejus, quando velit, experiri: & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere. 42
Qui in Jus, dominiumve alterius succedit, Jure ejus uti debet. 1. Nemo videtur dolo exequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere. 177
Qui in servitute est, usucapere non potest: nam cùm possideatur, possidere non videtur. 118
Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversùs ea, quia non facit. Et qui facit quòd facere non debet, non videtur facere id, quod facere justus est. 121
Qui per successionem, quamvis longissimam, defuncto hæredes constiterunt, non minus hæredes intelliguntur, quàm qui principaliter hæredes existunt. 194
Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur. 1. Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest. 174
Qui potest invitis alienare, multò magis & ignorantibus, & absentibus potest. 26
Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur. 166
Qui sine dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere. 63
Qui tacet, non utique fatetur: Sed tamen verum est, cum non negare. 142
Qui vetante prætore fecit, hic adversus Edictum fecisse propriè dicitur. 1. Ejus est actionem denegare, qui possit & dare. 102
Quod à quoquo pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur. 46
Quod attinet ad Jus Civile, servi pro nullis habentur: non tamen & Jure naturali; quia quod ad Jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt. 32
Quod contra rationem Juris receptum est, non est producendum ad consequentia. 1. Uni duo pro solido hæredes esse non possunt. 141
Quod evincitur, in bonis non est. 190
Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. 29
Quod ipsis qui contraxerunt, obstat, & successoribus eorum obstabit. 143
Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset. 180
Quod nullius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere. 182
Quod quis, dum servus est, egit: proficere libero facto non potest. 146
Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. 203
Quotiens dubia interpretatio libertatis est, secundùm libertatem respondendum erit. 20
Quotiens duplici jure defertur alicui successio, repudiato novo jure, quo ante defertur, supererit vetus. 91
Quotiens idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum excipiatur, quæ rei gerendæ aptior est. 67
Quotiens nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habet iniquitatis. 200
Quotiens utriusque causa lucri ratio veritur is præferendus est, cujus in lucrum causa tempore præcedit. 98
Quo tutela redit, eo hæreditas pervenit, nisi cùm fœminæ hæredes intercedunt. 1. Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei, quem in suis hæredibus, cùm moritur, habuit, habiturúsve esset, si vixisset. 2. Vi factum id videtur esse, qua de re quis, cùm prohibetur, fecit. Clam, quod quisque, cùm controversiam haberet, habiturumve se putaret, fecit. 3. Quæ in testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint: perinde sunt, ac si scripta non essent. 4. Nec pactionibus, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest. 73

R.

Rapienda occasio est, quæ præbet benignius responsum. 1. Quod factum est, cùm in obscuro sit, ex affectione cujusque capit interpretationem. 168
Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. Non ut ex Regula Jus sumatur, sed ex Jure, quod est, Regula fiat. Per Regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & (ut ait Sabinus) quasi causæ conjectio est: quæ, simul cùm in aliquo vitiata est, perdit officium suum. 1
Res judicata pro veritate accipitur. 207

S.

Secundùm naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. 10
Semper in conjunctionibus non solùm quid liceat considerandum est, sed & quid honestum sit. 197
Semper in dubiis benigniora præferenda sunt. 56
Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur. 9
Semper in stipulationibus, & in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est, aut si non appareat, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in Regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque Regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id, quod minimum est, redigenda summa est. 34
Semper, qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur. Sed & si quis ratum habuerit, quod gestum est, obstringitur mandati actione. 60
Semper specialia generalibus insunt. 147
Servitutem mortalitati fere comparamus. 209
Servus Reipublicæ causa abesse non potest. 211
Sicuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debeat: ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum pervenisset. 38
Si in duabus actionibus alibi summa major, alibi infamia est, præponenda est causa existimationis. Ubi autem æquiparant famosa judicia, & si summam imparem habent, pro paribus accipienda sunt. 104
Si librarius in transcribendis stipulationis verbis erraverit; nihil nocere, quo minus & reus & fidejussor teneatur. 92
Si nemo subsit hæreditatem, omnis vis testamenti solvitur. 181
Si quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse. 1. Non potest videri accepisse, qui stipulatus potest exceptione summoveri. 115
Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse. 187

Index Alphabeticus Regularum Juris Civilis.

T.

TOtiens in hæredem damus de eo, quod ad eum pervenit, quotiens ex dolo defuncti convenitur: non quotiens ex suo. 44

V.

VAni timoris justa excusatio non est. 184
Ubicunque, causæ cognitio est, ibi Prætor desideratur. 105
Ubi lex duorum mensium fecit mentionem, & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus est: ita enim & Imperator Antoninus cum divo Patre suo rescripsit. 101
Ubi non voce, sed præsentia opus est, mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo: hic quidem & respondere potest. 1. Furiosus absentis loco est: & ita Pomponius libro primo epistolarum scribit. 124
Ubi pugnantia inter se in testamento juberentur, neutrum ratum est. 1. Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt. 188
Velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini. 4
Verum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere: quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere possit. 31

PROŒMIUM DE REGULIS JURIS IN GENERE.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
2 *Quid sit Regula Juris?*
3 *Declaratur exemplis ex Jure desumptis, & tribus seqq.*
7 *Regulæ aliæ sunt Juris Civilis, aliæ Juris Canonici.*
8 *Multùm conveniunt ad invicem, & promiscuè citantur.*
9 *Regulæ aliæ sunt Authenticæ.*
10 *Aliæ non Authenticæ, seu Irnerianæ.*
11 *Authenticæ habent vim Juris in casibus non exceptis.*
12 *Nulla Regula sine exceptione.*
13 *Regulas scire & applicare, maxima utilitas.*
14 *Quæ observanda in applicatione, & seq.*
16 *Exceptio declarat Regulam, & firmat eam in contrarium.*

1

2

NTEQUAM explicandas Regulas Juris in specie assumamus, conducens videtur priùs de earum natura in genere, earumque divisione, vi, & authoritate, utilitate, & applicatione agere. Hinc Quæritur I. Quid & quotuplex sit Regula Juris? Resp. I. Quamvis Regulæ nomen varias habeat significationes, & Etymologiam spectando derivetur à regendo, seu regulando, *eo quod rectè ducat, vel normam rectè vivendi præbeat, vel distorum, prævumque corrigat, Can. Reg. 2. dist 3.* Tamen ad propositum, & in quantùm sit *Regula Juris* consideratur, denotat sententiam generalem, quæ plura Jura seu leges & canones hinc inde dispersos de diversis rebus & casibus eandem rationem habentibus agentes, brevi ac claro compendio complectitur & proponit. In quo genuino sensu Regula Juris benè definitur *l. 1. ff. de Regulis Juris* illis verbis: *Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat*: ubi per *rem* non denotatur res seu factum, vel causa in controversiam deducta, sed ipsum jus de variis rebus eandem rationem habentibus hinc inde latiùs dispersum, quod per Regulam breviter, compendiosè & clarè proponitur *non ut ex Regulis Jus sumatur, sed ex Jure, quod est, Regula fiat. ff. ibid.* Sicque non Jus ex Regulis, sed regulæ ex Jure sumantur.

Pro majori intelligentia Regulæ Juris, declaratur exemplis utriusque juris; sic etenim dum infames unus Canon à Prælaturis, & Beneficiis Ecclesiasticis, alius à Magistratu, alius ab officio Judicis & Assessoris, alius à munere Tabellionis & Advocati arcet, cuncta hæc Jura & Canones diversis in locis positos unica Regula 87. Juris in 6. paucis vechis complectitur: *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* 3

Sic etiam quòd in Jure disponitur, perjurum non esse admittendum ad testificandum propter suspicionem perjurii *c. Testimonium, 14. de Test. & Attest.* Item, uxorem non esse restituendam marito sævienti ab eo digressam ob metum sævitiæ *c. litteras. 15. in fine de Restit. spol.* decidituri unâ Regulâ Generali: *Semel malus semper præsumitur malus l. 8. de Reg. Juris in 6.* 4

Sic pariter dispositiones Juris, quòd Matrimonium defectu ætatis invalidum resolvatur in sponsalia *c. fin. de Desponsi. Impuberum*: & Testamentum minus solemne non præjudicet piis legatis. *c. cùm esses de Testam.* ac licèt Donatio ultra quingentos solidos non insinuata sit invalida *§ Aliæ autem 2. Inst. de Donation.* valeat saltem pro minori summa, breviter comprehendit unica illa Regula: *utile per inutile non debet vitiari.* 5

Romæ dum lex Civilis una fœminas ab officio Judicis, alia à tutela, alia à postulando, alia à fidejubendo removet, has cunctas leges in diversis locis de diversis actibus latas breviter jam comprehendit Reg. 2. in Pandect. *Fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sunt.* Ut proin pro faciliori capiu Regula Juris juxta dicta benè definiri valeat dicendo: Regula Juris *est sententia generalis, quæ plura jura, seu leges & canones hinc inde dispersos, ac variis rebus eandem rationem habentibus agentes claro, ac brevi compendio complectitur ac proponit.* Prout etiam in re communiter eam definiunt Canonistæ & Legistæ. 6

Resp. II. Regulæ Juris in primùm dicto proprio sensu acceptæ aliæ sunt Juris Civilis, aliæ Juris Canonici. Regulæ Juris Civilis sunt, quæ Juri Civili sunt interiæ, præsertim verò illæ, quas numero 7

Index Alphabeticus Regularum Juris Civilis.

T.

TOtiens in hæredem damus de eo, quod ad eum pervenit, quotiens ex dolo defuncti convenitur: non quotiens ex suo. 44

V.

VAni timoris justa excusatio non est. 184
Ubicunque, causæ cognitio est, ibi Prætor desideratur. 105
Ubi lex duorum mensium fecit mentionem, & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus est: ita enim & Imperator Antoninus cum divo Patre suo rescripsit. 101
Ubi non voce, sed præsentia opus est, mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo: hic quidem & respondere potest. 1. Furiosus absentis loco est: & ita Pomponius libro primo epistolarum scribit. 124
Ubi pugnantia inter se in testamento juberentur, neutrum ratum est. 1. Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt. 188
Velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini. 4
Verum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere: quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere possit. 31

PROŒMIUM DE REGULIS JURIS IN GENERE.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
2 *Quid sit Regula Juris?*
3 *Declaratur exemplis ex Jure desumptis, & tribus seqq.*
7 *Regulæ aliæ sunt Juris Civilis, aliæ Juris Canonici.*
8 *Multùm conveniunt ad invicem, & promiscuè citantur.*
9 *Regulæ aliæ sunt Authenticæ.*
10 *Aliæ non Authenticæ, seu Irnerianæ.*
11 *Authenticæ habent vim Juris in casibus non exceptis.*
12 *Nulla Regula sine exceptione.*
13 *Regulas scire & applicare, maxima utilitas.*
14 *Quæ observanda in applicatione, & seq.*
16 *Exceptio declarat Regulam, & firmat eam in contrarium.*

1

2

NTEQUAM explicandas Regulas Juris in specie assumamus, conducens videtur priùs de earum natura in genere, earumque divisione, vi, & authoritate, utilitate, & applicatione agere. Hinc Quæritur I. Quid & quotuplex sit Regula Juris? Resp. I. Quamvis Regulæ nomen varias habeat significationes, & Etymologiam spectando derivetur à regendo, seu regulando, *eo quod rectè ducat, vel normam rectè vivendi præbeat, vel distorum, prævumque corrigat, Can. Reg. 2. dist 3.* Tamen ad propositum, & in quantùm sit *Regula Juris* consideratur, denotat sententiam generalem, quæ plura Jura seu leges & canones hinc inde dispersos de diversis rebus & casibus eandem rationem habentibus agentes, brevi ac claro compendio complectitur & proponit. In quo genuino sensu Regula Juris benè definitur *l. 1. ff. de Regulis Juris* illis verbis: *Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat*: ubi per *rem* non denotatur res seu factum, vel causa in controversiam deducta, sed ipsum jus de variis rebus eandem rationem habentibus hinc inde latiùs dispersum, quod per Regulam breviter, compendiosè & clarè proponitur *non ut ex Regulis Jus sumatur, sed ex Jure, quod est, Regula fiat. ff. ibid.* Sicque non Jus ex Regulis, sed regulæ ex Jure sumantur.

Pro majori intelligentia Regulæ Juris, declaratur exemplis utriusque juris; sic etenim dum infames unus Canon à Prælaturis, & Beneficiis Ecclesiasticis, alius à Magistratu, alius ab officio Judicis & Assessoris, alius à munere Tabellionis & Advocati arcet, cuncta hæc Jura & Canones diversis in locis positos unica Regula 87. Juris in 6. paucis vechis complectitur: *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* 3

Sic etiam quòd in Jure disponitur, perjurum non esse admittendum ad testificandum propter suspicionem perjurii *c. Testimonium, 14. de Test. & Attest.* Item, uxorem non esse restituendam marito sævienti ab eo digressam ob metum sævitiæ *c. litteras. 15. in fine de Restit. spol.* decidituri unâ Regulâ Generali: *Semel malus semper præsumitur malus l. 8. de Reg. Juris in 6.* 4

Sic pariter dispositiones Juris, quòd Matrimonium defectu ætatis invalidum resolvatur in sponsalia *c. fin. de Desponsi. Impuberum*: & Testamentum minus solemne non præjudicet piis legatis. *c. cùm esses de Testam.* ac licèt Donatio ultra quingentos solidos non insinuata sit invalida *§ Aliæ autem 2. Inst. de Donation.* valeat saltem pro minori summa, breviter comprehendit unica illa Regula: *utile per inutile non debet vitiari.* 5

Romæ dum lex Civilis una fœminas ab officio Judicis, alia à tutela, alia à postulando, alia à fidejubendo removet, has cunctas leges in diversis locis de diversis actibus latas breviter jam comprehendit Reg. 2. in Pandect. *Fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sunt.* Ut proin pro faciliori capiu Regula Juris juxta dicta benè definiri valeat dicendo: Regula Juris *est sententia generalis, quæ plura jura, seu leges & canones hinc inde dispersos, ac variis rebus eandem rationem habentibus agentes claro, ac brevi compendio complectitur ac proponit.* Prout etiam in re communiter eam definiunt Canonistæ & Legistæ. 6

Resp. II. Regulæ Juris in primùm dicto proprio sensu acceptæ aliæ sunt Juris Civilis, aliæ Juris Canonici. Regulæ Juris Civilis sunt, quæ Juri Civili sunt interiæ, præsertim verò illæ, quas numero 7

fingensſi, accedat Authoritas Judicis Eccleſiaſtici, neceſſe eſt; immò etiam ad ſecretò quidem contracta, ſed poſtea evulgata, uti patet ex Rituali Diœceſis præſatæ *cap. 9. membr. 1. §. 7. n. 3.* ubi expreſsè decernitur, ut non tantùm ſponſalia coram Parocho publicè contracta; ſed etiam ſecretò contracta, ſed poſtea divulgata, ad ſui diſſolutionem requirant authoritatem publicam Judicis Eccleſiaſtici.

7 Illud tamen etiam notandum *cum Gloſſa hic*, per Regulam hactenus declaratam non negari, quin obligationes etiam aliis, quàm inductæ ſunt, modis ſolvantur. Sic enim plures obligationes tolluntur reali ſolutione *l. Nulla. 5. C. de ſolut.* Tolluntur etiam Præſcriptione *Prin. Inſtit. quibus modis toll. obligat.* Item tolluntur morte, quæ omnia ſolvit: ſic morte ſolvitur obligatio Societatis *§. Solvitur 5 Inſtit. de Societ.* Frequentior tamen, & quaſi ordinarius ſolvendi obligationes modus eſt idem, qui erat conſtituendi juxta hactenus declaratam Regulam; quamvis etiam in hoc ſuas patiatur exceptiones. Hinc

8 Quæritur II. Quas exceptiones & fallentias patiatur regula I. hactenus declarata? R. Plures, inter alias etiam ſequentes, & quidem 1. Fallit in Matrimonio conſummato; quia ex inſtitutione Divina eſt indiſſolubile, & ideò mutuo conſenſu, quo contractum eſt, ſolvi non poteſt.

9 Fallit 2. In Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis; utpote quorum effectus & character eſt indelebilis pariter ex inſtitutione Chriſti, & ideo ſemel ſuſcepta ſicut non iterantur, ſic etiam ampliùs non amittuntur *Gloſſ. hic. v. omnis. Abbas hic pr. & n. 2.*

Fallit 3. In cunctis obligationibus ſpiritualibus, 10
prout jam dictum n. 3. de vero ſenſu Regulæ Gloſſ. & Abb. l. c. cum communi aliorum. Rationem aſſignant; quia ſicut obligationes temporales facilius deſtruuntur, quàm conſtituuntur, ſic obligationes ſpirituales facilius conſtituuntur *arg. c. Inter corporalia. 2. de Tranſlat. Epiſc.* cum fortius ſit ſpirituale vinculum quàm carnale.

Fallit 4. In obligationibus ex natura ſua, vel 11
ex Diſpoſitione legis Divinæ aut humanæ perpetuis: Ratio eſt, quòd licèt obligationes ex contractibus ortæ regulariter dependeant à voluntate contrahentium, cùm contractus operari non debeant ultra intentionem agentium *l. 19 ff. de Rebus credit.* Nihilominus, quia contrahentes ſe conformare cenſentur Juri, & naturæ contractûs *l. 57. §. Cùm ita. ad S. C. Trebell. & l. 54. §. Inter locatorem. ff. locati.* contractus, & inde oria obligatio irrevocabilis evadit, quando eam lex, vel natura perpetuam eſſe volunt, ita ut, quod priùs erat voluntatis, ex poſt facto fiat neceſſitatis. *l. 12. in fine. C. de contrah. Empt. l. 22. §. ſicut. 11. ff. Mandati.*

REGULA II.

Eſtote Miſericordes &c. Hoc locò nil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ, dubium eſt, quò animò fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim ſcriptum eſt: ex Fructibus eorum cognoſcetis eos: De Manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bonò animò fieri: ut ſtuprum, Blaſphemiæ, Furta, Ebrietates & ſimilia, de quibus nobis permittitur judicare.

Vel ut Rubrica habet:

Dubia in meliorem partem interpretari debent.

SUMMARIUM.

1 *Quomodo intelligenda hæc Regula?*
2 *Intelligitur de omnibus actionibus & verbis. Quilibet præſumendus bonus, donec probetur malus. ibi.*
3 *Stante verò dubiò ſolùm procedit Regula.*
4 *Verus ſenſus Regulæ.*
5 *Securius eſt, errare meliùs quàm pejùs interpretando.*
6 *Melius eſt rationem reddere propter miſericordiam, quàm propter crudelitatem.*
7 *Quando, & quomodo adhibendus Rigor? Facilitas veniæ eſt incentivum peccandi. Ib.*
8 *Declaratur Regula exemplis, & tribus ſeqq.*
12 *Fallit Regula in manifeſtè ac intrinſecè malis.*
13 *Item quando agitur de damno avertendo.*
14 *Et in Judiciis.*

1 QUæritur I. Quomodo hæc Regula II. intelligenda? & quis verus ejus ſenſus ſit? Reſp. I. Hanc Regulam eſſe facilem intellectu; quia, uti patet, ſeipſam declarat; hinc ab aliis communiter ſolis illis verbis proponitur: *Ea facta, quæ dubium ſunt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Vel ut Rubrica habet: *Dubia in meliorem partem interpretari debent.*

Notandum tamen, per verbum Regulæ *facta* in- 2
telligi omnes actus, geſta, operationes, actiones, imo & verba *arg. c. quia circa 22. de Privileg.* quæ ſi ita ſe habent, ut nec certum, nec probabilius, nec verè probabile appareat, ſed verè dubium maneat, ex quo fine, vel qua intentione bona vel mala prodierint, bonâ potiùs, quàm malâ intentione & animo contigiſſe, cenſenda ſunt vi hujus Regulæ. Rationem dat *S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 3.* quia ille, qui habet malam opinionem de proximo abſque ſufficienti ratione, facit ei injuriam, eumque temerè judicat, & indirectè contemnit, quod licitè facere non poteſt juxta illud Salvatoris *Matth. 7. v. 1. & Lucæ 6. v. 37. Nolite judicare* (intellige temerè ſine ſufficienti ratione) *& non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Fundatur etiam in lege charitatis volente, ut quivis præſumatur bonus & innocens, donec probetur malus. *arg. c. unico de Scrut. v. fin. de Præſ. & l. Meritò 51. ff. pro Socio.*

Dicitur autem notanter in Reſponſione: *ut verè* 3
dubium maneat; quando enim ex ratione & circumſtantiis quis magis in unam, quàm alteram partem inclinaret, licèt cum foramine de oppoſito, jam ceſſaret dubium, & ſubintraret opinio, ſicque Regula locum non haberet, uti ex Farin. *Prax. Crim. q. 36. n. 197.* Menochi *de Præſumpt. q. 7. n. 47.* benè obſervat Strein. in hanc Regulam n. 1. quia dubitatio nullus adhuc eſt probationis gradus, ſed potiùs principium inveſtigationis de veritate & certitudine. Farin. Menochi l. c. Cæterùm ut rectè advertit Strein. l. c. Dubium naſci ſolet vel ex defectu medii ſcientifici, vel ex obſcuritate ipſius rei, facti, aut ſermonis, vel ex æqualitate ſignorum aut rationum: manente ergo vero dubio ſolùm procedit Regula circa quam prout

4 Reſp. II Verus & propriùs ſenſus Regulæ ſe- 4
cundæ eſt ſequens: *Quandocunque actiones vel verba ita conſtituta ſunt, ut non appareat, ſed verè dubium maneat, utràm animo, ſeu intentione bona vel mala prodierint, ea in bonam partem interpretari, & animo ſeu intentione bonâ potius, quàm malâ contigiſſe cenſere debemus:* ob rationes & jura ſupra n. 2. jam allegata.

5 Nec obſtat, contingere poſſe, quòd ille, qui in 5
meliorem partem interpretatur, frequentiùs fallatur; Reſpondetur enim, melius eſſe, quòd quis fallatur habens bonam opinionem de homine malo, quàm quòd rarius fallatur habens malam opinionem de homine bono; quia ex hoc fit proximo injuria, non autem de primo, ut benè advertit S. Thom. *l. c. art. 4.*

6 Hinc etiam *arg. can. alligant. can. 26. q. 7.* melius 6
eſt, de miſericordia argui, quàm de crudelitate; nam ut habet S. Chryſoſt. citato can. relatus: *nonne melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem?*

7 Et ſi objiciatur, *can. Eſt injuſta. 33. can. 23. q.* 7
4. præcipi, ut ſervetur rigor, ibi: *Eſt injuſta miſericordia &c. facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi.* Reſp. hìc eſſe ſermonem de diſcreto miſericordiâ mixto rigore, qui nullatenus severitas vel crudelitas à S. Chryſoſtomo relata, ſed debitus, utilis & neceſſarius juſtus zelus eſt, & dici debet, quem ſi non adhibent Rectores, ipſi quoque conſentur rei delictorum à ſubditis commiſſorum, *arg. can. 1. 2. & 3. diſt. 86.* ibi can. 1. *Inferiorum culpæ ordinum ad nullos magis referendæ ſunt, quàm ad deſides, negligentesque Rectores, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum auſteriorem* (alibi legitur *neceſſariam*) *diſſimulant adhibere medicinam*; quia ubi delicta manent impunita, liberiùs & frequentiùs peccatur, ac locum habet citatus textus *can. eſt injuſta*, quòd *facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi*: & è contra verum manet illud: *ubi rigor, ibi vigor. arg. cit. can. 3. diſt. 86.* Addit Gloſſa in cit. can. *alligant. v. melius cen. eſt injuſta.* de ſervando rigore intelligendum eſſe; quando alias nulla eſt ſpes emendationis, vel correctionis; item de inſolentibus & tumidis *arg. cit. can. 2. diſt. 86.* ibi: *corripiantur tumidi, tolerentur infirmi: & quod in peccatis ſi ſeverius caſtigari neceſſe eſt, non lævientis plectatur animò, ſed medentis.*

Porrò Regula noſtra, & ſenſus ejuſdem ulteriùs 8
declaratur, & firmatur ex aliis concordantibus Juris Principiis ac Regulis, ſicubique oſtenditur, univerſaliter verum eſſe, quod Regulæ Rubrica dicit: *Dubia in meliorem partem interpretari debemus.* Sic enim 1. ſi quis gratioſum reſcriptum obtinet cum clauſula: *Si idoneus eſt*, & dubium apparet, an idoneus ſit, non tenetur ſe idoneum probare, ſed talis benigniore interpretatione præſumi debet textu claro *c. fin. de Præſumpt.*

2. Actus, qui poteſt denotare delictum & non 9
delictum, ut carens delicto interpretari debet. *l. 51. ff. pro ſocio. l. 4. §. docere 12. ff de vi bon. rapt.*

3. In odioſis & oneroſis v. g. in pœnis infligendis, 10
ſtante dubio ſemper mitiorem, & benigniorem, reoque favorabilem interpretationem amplecti oportet. *c. odia 15. de R. J. in 6. Odia reſtringi & favores convenit ampliari.* cui concordat *c. in pœnis 49. de R. J. in 6. In pœnis benignior interpretatio eſt ſacienda.*

4. Exiſtente dubio in contractibus & teſtamentis 11
benignè & ita interpretari debemus, ut potiùs valeant, quàm pereant *l. Proximè 3. ff. de his, quæ in Teſtamento delentur.* ibi: *in re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minùs juſtius eſt quàm tutius.*

Quæritur II. Quas Exceptiones ſeu fallentias pa- 12
tiatur Regula II. Reſp. Præter alias, etiam ſunt ſequentes, & quidem 1. Fallit Regula in actionibus manifeſtè malis, ut patet ex ipſo textu Regulæ; ubi etiam additur ratio: *quia non poſſunt bonò animò fieri, ut ſtuprum, blaſphemiæ, furta, ebrietates & ſimilia, de quibus nobis permittitur judicare*, adeò ut non tantùm nemo teneatur, ſed nec prudenter poſſit interpretari, illa bono animo eſſe facta.

Fallit 2. In caſibus, in quibus agitur de malo 13
avertendo, vel bono acquirendo aut tuendo: in his enim ertì in dubio id, quod pejus eſt, de proximo poſitivè judicare non valeamus, tamen illud timere, & de illo cogitare, indeque convenientes cautelas adhibere licet, cùm Jura etiam abundantem cautelam approbent. *l. Teſtamentum. 17. C. de Teſtam.* Et profectò ſi ſua quis propria facta timere, & ſuſpecta habere poteſt juxta Job cap. 9. *v. 28. Verebar omnia opera mea*: quare non alienis attendere, ne ſibi vel aliis noceant? Hinc illi minimè contrà hanc Regulam, ſed prudenter agunt, qui peregrinis & ignotis hominibus hoſpitio ſuſceptis ciſtas, & cubicula claudunt, pretioſam ſupellectilem abſcondunt, ſicque pro avertendo damno contra quemvis caſum cautelam adhibent. Strein. *in hanc Reg.*

Fallit 3. In Judiciis; in his enim judex cauſam 14
vel factum controverſam & dubium non pro privato arbitrio & bonitate ſua in meliorem partem interpretari poteſt, ſed juxta allegata & probata, ac prout res in ſe eſt, judicare debet *can. judicet 4. can. 3. q. 7. & c. 1. de ſent. & re jud. in 6.* ſaltò tamen illò, quòd manente dubio reus ſit abſolvendus *c. Inter dilectos. 6. de fide Inſtrum. & c. Ex litteris. 3. de probat.* ibi: *promptiora ſunt jura ad abſolvendum, quàm condemnandum.*

REGULA III.

Utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm Veritas relinquatur.

Vel ùt Rubrica habet.

Propter scandalum evitandum non est omittenda Veritas.

SUMMARIUM.

1 *De scandalo remissivè: datur triplex veritas: ibi.*
2 *Vitæ videlicet, Justitiæ & Disciplinæ.*
3 *Regula intelligenda est de veritate vitæ. Sensus Regulæ propriùs. ibi.*
4 *Extenditur Regula.*
5 *Veritas justitiæ & disciplinæ ob scandalum quandoque temperari debet.*
6 *Specialis textus ex jure ad propositum serviens.*
7 *Ad vitandum scandalum neque venialiter peccare licet.*
8 *Quam exceptionem patiatur Regula circa veritatem vitæ?*
9 *Major est obligatio cavendi scandala pusillorum, quàm pharisaica.*
10 *Quæ fallentiæ Regulæ circa veritatem Justitiæ, & Disciplinæ?*
11 *Et quæ circa veritatem doctrinæ?*

SUppositâ, ex Theologia, notitiâ quid, & quotuplex sit scandalum, de quo in nostra Theologia Morali *Tr. 4. disp. 7. q. 2.* sufficienter egimus, notandum cum Gloss. h. c. quòd triplex detur veritas, Vitæ scilicet, Justitiæ, & Disciplinæ.

2 *Veritas vitæ* est ipsa legibus & præceptis conformis honestas & integritas vitæ: *Veritas justitiæ* ad Judices pertinens est universalis recta administratio Justitiæ juxta exigentiam jurium & legum: *Veritas Disciplinæ* Prælatis propria est debita cura disciplinæ, ut a subditis juxta cujusvis institutum omnia debito ordine & modo peragantur, ac puniantur. Gloss. hic. Addunt aliqui etiam Veritatem Doctrinæ, seu sermonis, quæ in conformitate mentis cum verbis externis consistit, & mendacio opponitur. Hoc notatò,

3 Quæritur I. Quomodo de Veritate intelligenda sit Regula? & quis proprius illius sensus sit? Resp. Regula nostra ad initium posita propriè ac principaliter intelligenda est de Veritate Vitæ, ita ut verus sensus illius sit: *Propter scandalum possivum vitandum, seu impediendum alterius peccatum nil est faciendum, aut omittendum, quod sine peccato fieri, aut omitti non potest*: seu; *potiùs est permittendum scandalum passivum, hoc est, peccatum alterius, quam quòd quis ipse faciat aut omittat, quod sine peccato, sicque sine læsione Veritatis Vitæ facere aut omittere non potest, arg. c. faciat 15. can. 22. q. 2.* Concordant Doctores communiter cum Glossa h. t. & Ratio est, *quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

4 Extenditur communiter hæc Regula etiam ad illas actiones, quæ ex se quidem nec præceptæ, nec prohibitæ, honestæ tamen, ac nullam speciem mali habentes sunt, si eas communis, & privata, propria vel aliena necessitas aut utilitas, vel damnum secuturum expostat: ut proin eas ponere omnino liceat, etsi ex illis scandalum sive pharisaicum sive pusillorum prævideatur & sequatur, prout cum communi Theologorum jam diximus, probavimus, & exemplificavimus in nostra Theologia Morali *Tr. 4. disp. 7. q. 2.*

Resp. II. Veritas Justitiæ & Disciplinæ, quamvis ordinariè loquendo omnino etiam observandæ sint, 5
tamen ad vitandum scandalum quandoque temperandæ, omittendæ, vel differendæ veniunt *arg. can. ut constituerentur. 25. dist. 50. & c. Sanè 2. de Temporib. Ordinat.* Sic quando ex graviori, etsi legali correctione vel punitione subditi, ejus desperatio, aut graviora mala prudenter timentur, meritò temperatur, aut aliquandiu differtur, vel omnino intermittitur Veritas Disciplinæ. Pariter quamvis Veritas Justitiæ ad vitandum scandalum taliter omitti nequeat, quòd innocens condemnetur, aut, quòd suum est, alteri auferatur, tamen temperari potest mitigatione vel condonatione pœnæ à lege impositæ. Strein. *ad hanc Reg. n. 1. in fine*; ut proin veri sint versus adducti à Glossa in *c. Sanè 2. de Tempor. Ordin.* & h. c.

Ob populum multum crimen pertransit inultum
Est verum vitæ, Doctrinæ, Justitiæque.
Primum semper tene, duo propter scandalum linque.

Circa præfatas veritates intuitu scandali omittendas, vel retinendas specialiter etiam servit doctrina 6
c. cùm ex injuncto 2. de novi operis nuntiatione, contenta, ibi: *Sacræ Scripturæ testimonio debueras didicisse, quòd, licèt opera illa, quæ sinè peccato mortali omitti non possunt, nec sunt pro vitando scandalo dimittenda, nec ea debeant pro vitando scandalo committi, quæ sinè peccato mortali committi non possunt: ab his tamen, quæ sinè peccato mortali committi possunt pariter & dimitti, sic pro scandalo tollendo cessandum, & eis etiam pro vitando scandalo insistendum. Unde Apost. 1. Corinth. 8. si scandalizatur frater, non comedam carnes in æternum &c.*

Si objicitur: ergo pro vitando scandalo proximi, 7
& peccato mortali saltem licebit quandoque venialiter peccare; nam textus solùm excipit peccatum mortale. Resp. negando consequentiam: quia quod intrinsecè malum, quale est v. g. mendacium, etiam in materia veniali, fieri non potest ad vitandum scandalum; cùm peccatum non sit eligibile. Contingit tamen, aliquid propter aliquam circumstantiam non esse peccatum veniale, quod illâ sublatâ esset veniale; prout v. g. verbum aliàs otiosum, si ex rationabili causa profertur, non est otiosum, si ex rationabili causa profertur, non est otiosum, neque peccatum. Et de hujusmodi intelligendus est textus S. Thom. 2. 2. q. 43. *art. 7. ad 5.*

Quæritur II. Quas acceptiones sen fallentias pa- 8
tiatur Regula III. Resp. inter alias esse etiam sequentes: & quidem primò circa Veritatem Vitæ quamvis nunquam liceat committere peccatum etiam leve intrinsecè tale ad vitandum scandalum quodcunque, tamen

tamen opera quædam supererogatoria, & aliæ piæ operationes ad veritatem vitæ cæteroquin finè modò pertinentes ad vitandum scandalum præsertim pusillorum omitti debent, si ad eas propria, vel aliena necessitas aut utilitas non cogat. Layman *l. 2. tr. 3. cap. 3. n. 8.* & Theologi communiter. Ratio est; quia ex lege charitatis tenemur evitare grave detrimentum proximi, si absque nostro incommodo possumus.

9 Dicitur autem notanter: *præsertim pusillorum*; quia major est obligatio cavendi scandalum pusillorum quàm pharisaicum, cùm illud ex mera malitia, illorum autem ex infirmitate, vel ignorantia sumatur, & propterea Christus *Matth. cap. 18. v. 7.* ait: *Væ illi, qui scandalizaverit unum de pusillis istis*: dum è contra scandala pharisaica parùm curandi esse verbò atque exemplo docuit apud eundem Matth. *cap. 15. v. 14.* ubi etsi discipuli ei dixerint: *scis, quia pharisæi audito hoc verbò scandalizati sunt*, id parùm curans respondit: *Sinite, cæci sunt & duces cæcorum.*

Fallit secundò circa Veritatem Justitiæ & Disciplinæ in casibus suprà n. 5. positis.

Fallit tertiò circa Veritatem Doctrinæ vel sermo- 10
nis; quia licèt hæc etiam ad gravissimum vitæ lucrum scandalum positivè violari, & mendacium committi non possit, tamen ad idem vitandum retineri, & differri potest ac debet; nisi propria vel aliena necessitas, vel communis utilitas eam edicere expostcat ob rationem suprà n. 4. allatam. Cæterùm de scandalo vide magis apud Theologos.

REGULA IV.

Quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum: nam & Sabbatum custodiri, præceptum est: Machabæi tamen sine sua culpa in Sabbato pugnabant: Sic & hodie, si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.

SUMMARIUM.

1. *Supponitur ex Theologia notitia de diversitate Necessitatis & Legis.*
2. *Regula neutiquam est intelligenda de illicitis jure Divino naturali:*
3 *Sed illicitis lege duntaxat humana, vel quandoque etiam lege positiva Divina:*
4. *Qualiter illicita fiunt licita ob necessitatem saltem gravem, non item propter communem, seu levem.*
5. *Verus Regulæ sensus quis?*
6. *Declaratur exemplis.*
7. *Fallit Regula, quando transgressio legis vergit in damnum totius Communitatis:*
8. *Vel in contemptum legis aut Religionis.*

1 PRo intelligentia hujus Regulæ ex Theologia supponitur notitia, Necessitatem aliam esse abitoluam, aliam moralem: rursus Moralem aliam esse extremam, aliam gravem, aliam communem, seu levem. Item Legem aliam esse Divinam, aliam humanam: Divinam item aliam esse naturalem, aliam positivam. Suppositâ hâc notitiâ.

2 Quæritur I. Quomodo intelligenda hæc Regula; & quis verus ac proprius illius sensus sit? Resp. I. Regula hæc neutiquam de illicitis lege Divina naturali, sed de illicitis lege humana duntaxat, & aliquando etiam Divina est intelligenda: ita ut taliter illicita evadant licita, quando moralis extrema vel gravis necessitas ad ea urget. Ferè unanimis DD de illicitis jure naturali (qualia sunt simplum v. g. adulterium, fornicatio, mollities, perjurium, blasphemia, mendacium, directa expulsio fœtus &c.) Ratio est; quia talia intrinsecè & essentialiter sunt illicita & mala, ac ideò per nullam necessitatem moralem, etsi extremam honestari; & licita fieri possunt: cùm essentiæ rerum sint immutabiles.

3 De prohibitis verò lege duntaxat humana, vel aliquando Divina positiva, ratio est; quia etsi Legislator Divinus, à quo originaliter omnis Lex, & illius in obligando vis dependet, statuere potuisset, ut lex quævis in quovis extremo necessitatis casu obligaret: tamen fragilitati & conditioni humanæ accommodare voluit, & concedere, ut ea, quæ à natura seu intrinsecè, & essentialiter non sunt mala, sed ideò solummodo illicita, quia per legem positivam prohibita, in necessitate extrema, vel saltem gravi licitè fieri queant, uti ex innumeris tam scripturæ, quàm utriusque Juris exemplis infra ex parte ponendis apertè patet, & DD. communiter tenent.

Dicitur autem notanter: *Vel saltem gravi*; quia 4
communis duntaxat, seu levis necessitas à transgressione legis minimè excusat, sicque non licit licitum, quod vi illius illicitum est, prout communiter docent tam Theologi quàm Canonistæ ex illa ratione, quòd aliàs propter casum quotidie occurrentium frequentiam obligationes legales facilè eliderentur in magnum Reipublicæ detrimentum. Debet ergo necessitas, ex illicito faciens licitum, esse extrema vel saltem gravis, id est, talis, quæ magnum seu grave damnum, aut periculum animæ vel corporis, vitæ, famæ vel bonorum &c. importat. Et ex his præmissis

Resp. II. Verus sensus Regulæ est sequens: *Actio-* 5
nes & omissiones lege duntaxat humana illicitæ, ordinariè evadunt licitæ, quando ad eas urget extrema, vel gravis necessitas. Idem quandoque procedit etiam de illicitis lege Divina positiva. Declaratur & confirmatur sensus Regulæ exemplis.

Et quidem prima duo ponit ipsa Regula de Sab- 6
bato & jejunio; licèt enim lege positiva Divina Sabbatum ita custodiri fuerit præceptum, ut in illo certamen aliquod inire non licuerit, tamen quia Machabæos ad pugnandum in Sabbato coëgit necessitas, per Regulam à culpa declarantur immunes. Item licèt vi legis positivæ teneamur observare jejunia Ecclesiastica, tamen ægrotus urgente necessitate illa violans nullius culpæ reus est, *c. 2. de observ. jejun.* Sic propter necessitatem alimentorum licitum est diebus festivis opera servilia peragere *c. 3. de Feriis.* Sic etsi bona immobilia Ecclesiarum alienare sit illicitum *cap. 1. 4. & 5. de 5. Reb. Eccles. alienand. vel non*, tamen urgens necessitas alienationes earum facit licitas *c. quando 4. de consu. t.* ubi, sicut & in pluribus utriusque Juris locis uni-

versalis

versalis redditur ratio, videlicet, quia *Necessitas non habet legem, seu non subjacet legi*, intelligè positivæ. Unde nulla circa hoc apud DD. est controversia.

7 Quæritur II. Quas Exceptiones seu Fallentias patiatur Regula IV. Resp. Eam præter alia fallere 1. quando actio aut omissio contra legem etiam humanam cederet in detrimentum totius communitatis: uti si miles ob periculum mortis stationem desereret; indeque integram civitatem, vel exercitum in grave damnum vel periculum conjiceret. Covar. *in c. Alma Mater. p. 1. §. 3. n. 9.* Palao *Tr. 3. disp. 1. p. 16. n. 1. & 2.* & alii. Ratio est; quia bonum commune Civitatis vel exercitûs multùm præponderat vitæ alicujus hominis privati.

8 Fallit 2. Quando transgressio legis humanæ cessura videtur in contemptum ipsius Legis, & potestatis legislativæ, vel in commune detrimentum fidei aut Religionis. Palao *l. c. n. 3.* cum communi aliorum. Ratio est; quia subintrare videtur Jus naturale dictans, bonum commune Religionis, & publicæ potestatis legislativæ præferendum esse bono alicujus privati, indeque à tali legem humanam etiam in extrema vel gravi necessitate cum dispendio vel periculo vitæ, famæ, aut bonorum fortunæ observari debere in casu, quò alias sequeretur detrimentum commune Religionis, aut contemptus potestatis legislativæ. Plura de obligatione Legum, & excusatione ab eadem, item de tota materia legis amplè & exactè tractavimus in *Lib. I. Juris Can. Tit. II. de Constit.*

REGULA V.

Quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum est, nullâ debet stabilitate subsistere.

SUMMARIUM.

1 *Quomodo hæc Regula intelligenda?*
2 Latenter, *idem ac* clam.
3 *Verbis* per vim *intelligitur metus gravis.*
4 *Quis per verbum* illicitè?
5 *Quis verus sensus Regulæ?*
Declaratur exemplis ibid. & tribus seqq.
7 *Contractus etiam jurati, qui sine peccato servari non possunt, sunt ipso jure nulli.*
8 *Cæteri contractus illicitè facti de Jure valent, sed rescindi possunt.*
9 *Fallit Regula in actibus ex speciali dispositione insolubilibus.*
10 *Item quando metus gravis ab intrinseco, vel justè incutitur.*
11 *Datur Dolus bonus, qui contractibus non obest.*

1 QUæritur I. Quomodo hæc Regula sit intelligenda? & quis proprius illius sensus sit? Resp. I. Quamvis vi hujus Regulæ (cui ex parte concordat illa 64. *de Reg. J. in 6 quæ contra Jus fiunt, utique pro infectis haberi debent.*) videantur omnia, quæ aliquò ex modis à Regula allegatis fiunt, ipso jure nulla & irrita esse, ob verba: *nullâ debent stabilitate subsistere*: tamen juxta Gloss. & communem DD. non in mox dicto, sed in hoc sensu intelligenda venit Regula, quòd vel ipso Jure sint nulla, vel si de Jure subsistant, tamen per sententiam Judicis ad instantiam partis annullari possint & debeant. Quæ namverò ipso Jure sint nulla, & quæ primùm annullanda, partim ex infra adducendis exemplis, partim ex declaratione *Reg. 64. J. in 6.* patebunt, partim dicta jam sunt in nostro Jure Canonico *lib. 1. Tit. 40. De his, quæ vi, metúsque causâ fiunt.* Item *lib. 2. tit. 14. de dolo & contumacia.*

2 Interea perginus ulteriùs ad declaranda Regulæ Verba: & quidem terminus *latenter* coincidit cum termino *clam*, quem textus *in ff. quod vi vel clam* latissimè explicat; præcipuè verò, illud *clam* fieri dicitur, quod taliter fit, ut nequeat venire in notitiam ejus, cujus interest, ut sciat, *l. Clam possidere. 6. ff. de acquir. possess.* Omnia si quidem, quæ sic clam & latenter, sicque dolosè fiunt, suspecta sunt de malo, juxta illud Salvatoris *Joan. 3. Omnis, qui malè agit, odit lucem.* Hinc *l. 1. ff. quod vi aut clam:* id, quod vi, aut clam fit, restitui, aut destrui jubetur, etsi cæteroquin tale quid agendi quis jus habuerit: *tueri enim jus suum debuit, non injuriam commissci*: subdit ibidem Prætor. Porro in alio Juris sensu etiam illud *latenter*, & *clam* fieri dicitur, quod scelus is arbitris & testibus fit, habentque clandestinè facta plerumque præsumptionem injustitiæ. *l. fin. ff de Ritu nupt.* & *54. ff. de Administrat. tutorum.*

Per terminum Regulæ, *aut per vim*, non intelligitur vis absoluta, aut violenta coactio, quæ omnem prorsus consensum excludit, cùm taliter violentatus aut coactus *magis pati, quàm agere convincatur*, ut dicitur *c. Sacris. 5. De his, quæ vi metúsque causâ fiunt.* sed intelligitur vis compulsiva, & impulsiva, quæ idem est ac metus, & quidem ad propositum gravis, cadens in virum constantem, ex quo gravi metu si quid fit, juxta Regulam nostram stabilitate carere debet: non item quæ fiunt ex levi metu, qui hìc non attenditur.

Per verba: *Vel aliàs illicitè introductum est*, intelligitur ea, quæ contra Juris prohibitionem, legemque Divinam aut humanam facta apparent, quia cuncta hæc illicita sunt. His conformiter,

Resp. II. Proprius sensus Regulæ sequens est: *omne illud, quod latenter seu clam, & dolosè vel per metum gravem ab extrinseco injustè incussum aut aliàs contra Juris prohibitionem introductum aut gestum est, aut ipso jure nullum & irritum, aut instante parte adnullandum, & irritandum est, sicque firmæ stabilitate caret.* Declaratur & confirmatur exemplis: Sic enim 1. Matrimonium contra Decretum Tridentinum sine Parocho & testibus *Clam*, seu *Clandestinè* contractum, aut commicationc mortis, vel alterius gravis mali, sicque vi seu metu gravi in virum constantem cadente extortum ipso Jure nullum & irritum est. Trident. *Sess. 24. cap. 1. v. qui aliter. de Reform. Matri. junctò c. Cùm locum 14. de Sponsalib. & matrim.*

Sic pariter 2. Alienationes rerum immobilium, aut pretiosarum Ecclesiæ contra Juris prohibitionem sine debita Juris solemnitate factæ, invalidæ sunt ipso Jure, *can. Apostolicos 13. cum seqq. can. 12. q. 2.* & fusiùs videndum *l. 3. t. 13. de Rebus Eccl. alien. §. 1.* Sic 3. Professio Religiosa metu gravi injustè incussio emissa ipso Jure nulla habetur *c. 1. de His, quæ vi.*

Sic

7 Sic 4. Universaliter omnes illicitè tacti contractus illi, qui sine peccato servari non possunt, sunt ipso Jure nulli; cùm nemo ad peccandum obligari valeat, etiam si intercesserit juramentum, quia *non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. c. 58. de R. J. in 6.*

8 Econtra etsi plerique contractus, pacta, conventa, & transactiones, qui sine peccato servari possunt, gravi metu injustè incusso initi de Jure valeant quidem; quia metus etiam gravis non tollit voluntarium, sed verum relinquit tritum illud, *coacta voluntas est voluntas*, uti cum communi aliorum benè advertit Gloss. *in c. 2. V. coactus. de His quæ vi*: tamen datur contra illos actio, *quod vi metúsque causâ*, & instante adversario rescindi debent, *l. 1. quod metûs causâ*, junctâ *l. si mulier 21. §. 1. ff. eod.* & amplius diximus *lib. 1. tit. 40. de his, quæ vi, metúsque causâ. §. 2. & n. 36.*

9 Quæritur II. Quas exceptiones seu fallentias patiatur Regula, IV? Resp. Præter alias, etiam sequentes. 1. In illis actibus & contractibus, qui semel validi, vel ex natura sua, vel ex Juris dispositione non amplius annullari valent, etiamsi contra juris prohibitionem illicitè fuerint facti; nam *multa fieri prohibentur, quæ, si fuerint facta, obtinent roboris firmitatem. Ad c. Apostolicam 16. de Regul.* quemadmodum patet in Matrimonio, quod etsi sine præviis denuntiationibus, vel diebus prohibitis, aut in statu peccati mortalis illicitè contrahatur, tamen etiam sic contractum amplius annullari non potest. Item in Sacramentis Baptismi, & Ordinis, utpote quæ etiam ex metu gravi injustè incusso perpetuò valent, hoc ipso, quòd juxta dicta metus non rollat voluntarium, & consequenter non impediat indelebilem characteris impressionem, prout DD. communiter advertunt.

Fallit 2. Si metus etiam gravis non ab extrinseco, puta ab alio homine, sed ab intrinseco, ab ipso metuente ex propria passione vel natura ob timorem imminentis mortis, ob morbum, naufragium &c. provenit. Fallit 3. in casu, quò metus gravis ab extrinseco quidem, justè tamen incutitur; Fallit 4. Si metus licèt gravis non ad extorquendum tamen consensum, sed ad alium finem obtinendum injustè incutiatur: ob hujusmodi enim metum actus & contractus nec invalidi sunt, nec invalidari possunt, prout amplìus diximus & probavimus *lib. 1. tit. 40. de his, quæ vi, metúsque causâ. n. 26. & seqq.* 10

Fallit 5. In dolo bono & justo, quatenus prudens solertia, pia astutia & machinatio est ad se, vel alios justè defendendum, ad propria vel aliena jura tuenda, vel recuperanda; ficut enim justus metus sine ullo præjudicio actuum & contractuum etiam ab extrinseco incuti, sic pariter justus dolus adhiberi valet, *can. Dominus 2. cau. 23. q. 2. l. 1. §. Non fuit 3. ff. de dolo malo.* quo dolo ulos est S. Paulus dum dixit: *cùm essem astutus, dolò vos cepi. 2. ad Cor. 12. v. 16.* 11

REGULA VI.

In ipso causæ initio non est à Quæstionibus inchoandum.

SUMMARIUM.

1 *Per* Quæstiones *in Regula intelliguntur Tormenta, seu Tortura.*
2 *Verus sensus Regulæ quis?*
3 *Tortura servato debito modo laudabilis est.*
4 *Jura ex iis, quæ ordinariè vel frequenter accidunt, conduntur.*
5 *Ad debitum modum Tortura requiritur I. ut constet de corpore delicti.*
6 *II. Ut crimen sit atrox.*
7 *III. Ut adsint præcedentia sufficientia indicia.*
8 *IV. Ut reus non sit persona à Tortura immunis: & quæ personæ. ibid.*
9 *V. Ut delictum aliter probari nequeat.*
10 *VI. Ut reus non raddatur inutilis.*
11 *VII. Ut servetur proportio in Tortura.*
12 *Contra Judicem non servato juris ordine procedentem datur appellatio, & actio injuriarum perpetua.*
13 *Observanda in Religione nostra circa Torturam.*

1 QUæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis proprius illius sensus sit? Ante responsionem notandum, totam difficultatem circa hanc Regulam in eo consistere, quid hìc per *Quæstiones* intelligatur, cùm in Jure *quæstionis* nomine subinde etiam ipsa Judicia publica veniant, eò quòd in iis, an reus nocens vel innocens sit, quæratur. *l. Futuras 1. ff. de Origine Juris.* & Gonzalez in hanc Regulam *n. 2.* probare nitatur, per quæstiones hìc intelligi querelas seu lamenta: quibus non obstantibus Resp. I. Per terminum *de quæstionibus* hìc intelligi tormenta, vulgò Torturam. Glossa hìc communiter recepta. *arg. L. Item ad Libronem. §. 41. ff. de injur.* ibi: *Quæstionem intelligere debemus tormenta & corporis dolorum ad eruendam veritatem.*

Resp. II. Verus Regulæ sensus est: *In causa seu processu criminali non est incho andum à Tortura*: sed habenda sunt priùs indicia sufficientes præsumptiones, aut semiplena, vel plus quàm semiplena probatio. Gloss. cit. textu satis claro, *l. 1. ff. de quæstionibus*: ubi dicitur: *non esse à quæstionibus incipiendum*: & statim §. 1. sic habetur: *Ad tormenta ita demum venire oportet, cùm suspectus est reus, & aliis argumentis ita probationi admoveatur, ut solùs confessio deesse videatur.* Ratio Regulæ est, quia si causa seu processus criminalis sine præcedentibus sufficientibus præsumptionibus, vel semiplena probatione statim à Tortura inchoaretur, sæpe innocentes eidem subjicerentur, ipsamque vitam amittere deberent. si uti subinde contingit, ad vitandam vehementiam doloris ex tortura provenientem, crimen, quod non commiserunt, faterentur. 2

Cæterùm licèt Ludov. de Vives *lib. 19. c. 6. S. Augustini de Civitate Dei* ex primùm dicta, & aliis rationibus præsertim illis, quæ *l. 1. §. 23. de quæstionibus*, referuntur illis verbis: *Nam plerique patientiâ, sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut expriimi eis veritas nullo modo possit: alii tantâ sunt impatientiâ, ut quodvis mentiri, quàm tormenta pati velint. Ita fit, ut vario modo fateantur, & non tantùm se, verùm etiam alios commentur.* Torturam penitus è medio tollendam opinetur; tamen opinio hæc tanquam singularis contra clara Jura antiqua & nova, 3

torrentem Doctorum, & universalem tribunalium praxim militans meritò non attenditur, & Torturæ usus debitè servatus intuitu boni communis & publici omnino approbatur ac laudatur.

4 Nec refert, quòd occasione Torturæ enarrata in *cit. l.* 1. subinde eveniant, & innocentes damnentur: quia hoc per accidens est, &. si torturæ modus debitus servetur, rarò contingit: Jura autem non secundùm ea, quæ raro, sed juxta ea, quæ frequenter fiunt, condontur. *L. Ex his. 4. ff. de Legib.* ibi: *ex his, quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, Jura non constituuntur.* & *l. Nam ad ea. 5. ff. eod* ibi: *nam ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter & facile quam quæ perraro eveniunt.* Unde etiam in cit. l. 1. ff. de quæstionibus, non obstantibus absurdis ibidem allegatis per accidens subinde contingentibus, Tortura approbatur.

5 Dicitur autem notanter: *Torturæ usus debitè servatus* approbatur; Plura siquidem requiruntur, ut tortura debitè adhibeatur, ne in abusum & crudelitatem abeat, plusque damni, quàm utilitatis afferat. Inter quæ ex jure & criminalistis potiora succinctè adducimus. Primò igitur & ante omnia debet constare de corpore delicti, id est, debet constare, quod delictum, de quo hic & nunc quæritur, & cujus arguitur subjiciendus torturæ, revera à quocunque tandem sit commissum; nam donec de hoc certè constet, processus criminalis inchoari nequit *l.* 1. §. 24. *ff. de quæstion.* juncta *constitutione pœnali Carolina art.* 6.

6 Secundò requiritur, ut crimen sit atrox, & capitale pœnam mortis, vel æquivalentem, aut gravissimam corporalem, quæ saltem major sit ipsâ torturâ, inducens. *l. Edictum.* 8. *ff. de quæsti.*

7 Tertiò requiritur, ut adsint indicia, præsumptiones prudentes, aut semiplena probatio contra subjiciendum torturæ: idipsum totum, quod vult Regula nostra, videlicet ut in ipso causæ initio à quæstionibus, seu à tormentis vel Tortura non inchoetur; seu ut Rubrica hic loquitur: *Tormenta indiciis non præcedentibus inferenda non sunt:* cui concordat clarus textus l. 1. ff. de quæstion. supra n. 2. allegatus.

8 Quartò, ut reus Juris privilegiò non sit persona exempta; quales sunt personæ Illustres, & nobilitate vel militiâ præclari, *l. Milites.* 8. *pr.* & *l. Divo* 11. *C. de quæst.* nisi sint rei criminis excepti v. g. Læsæ Majestatis, perduellionis, Magiæ &c. *l.* 16. *C. de quæstion. l.* 4. *C. ad legem Jul. Majest.* Item fœminæ prægnantes. *l. prægnantis. 3. ff. de Pœnis.* Valetudinarii, quibus tortura vel mortem, vel irreparabile damnum in valetudine allatura meritò timetur. *l. Si quis.* 3. §. 7. *ff. de S. C. Silan.* Impuberes. *l. de Minor.* 10. *pr. ff. de quæstion.* Senes decrepiti, viribus ita imbecilles, ut tormenta sine periculo mortis sustinere non valeant, aut memoritæ tam debilis, ut rerum à se, vel aliis gestarum verisimiliter non meminerint. *c. l.* 3. §. 7 *ff. de S. C. Silan.*

Quintò requiritur, ut delictum aliter nequeat plenè probari. *l. Divus.* 9. *pr. ff. de quæstion.* cùm tortura solùm introducta sit in subsidium aliarum probationum. 9

Sextò, ut Reus ita servetur illæsus, ne omnino reddatur inutilis, uti cum Farina. *Prax. crimin. q.* 38. *n.* 54. amplius dilucidat Clarus, qui hactenus dicta, & cuncta alia Torturam concernentia exactissimè pertractat. 10

Septimò requiritur, ut torquendi non omnes æqualiter, sed pro diversitate delicti, indiciorum & personæ gravius vel mitius torqueantur. *l.* 10. §. 3. *ff. de quæst.* junctâ *Carolina art.* 15. ubi ordinatur, *quòd tortura debeat instituì secundùm qualitatem indiciorum, & suspicionum: item secundùm conditionem personæ plus aut minùs semel aut sæpiùs, durius aut levius ex arbitrio boni & discreti Judicis inferri.* 11

Quod si Judex requisita ad torturam non servet, aut modum à Jure præscriptum transgrediatur, appellare potest reus. *can.* 2. *q.* 6. *can. non solent* 30. & competit ei actio injuriarum contra Judicem. *l. Nec Magistratibus.* 32. *ff. de Injur.* quam actionem non annuam duntaxat, sed perpetuam esse docet cum Manzio Haunauld *Tom.* 6 *de J. & J. tr.* 3. *d n.* 464. 12

Porrò, quæ circa torturam in processu criminali in nostra Religione observanda sint, specialiter adduximus *lib. V. tit. I §.* 8. *à n.* 472. Cæterùm, quia præsens Regula VI. plùs aliud non continet, quàm ut in causa seu processu criminali sine præviis indiciis & præsumptionibus à tortura non statim inchoetur, nec exempla Juris pro ejus majori declaratione, nec fallentiæ circa eam, nec quid amplius adducenda videntur; præsertim cùm de Tortura incidenter huc spectante sufficienter jam dictum sit. 13

REGULA VII.

Quidquid in sacratis Deo Rebus & Episcopis injustè agitur, sacrilegium reputatur; quia Sacra sunt, & à quoquam violari non debent.

SUMMARIUM.

1 *Terminus* Sacra *quid?*
2 *Dantur personæ Sacræ: & quæ?*
3 *Res Sacræ: & quæ?*
4 *Et loca Sacra: quæ?*
5 *Verus sensus Regulæ quis?*
6 *Declaratur sensus quoad Personas Sacras:*
7 *Circa Res Sacras:*
8 *Ac circà bona & jura temporalia.*
9 *Regula quoad Personas quando fallat?*
10 *Et quando quoad Res? & n. seq.*
Vasa Sacra tangere quando liceat, vel non? ibid.
11 *Item quando quoad bona & jura temporalia fallat?*
12 *Ac loca Sacra?*

QUæritur I. Quomodo intelligenda hæc Regula? Et quis verus sensus illius sit? Resp. I. Hâc Regulâ nil aliud dici, quàm quòd omnis ille Sacrilegium committat, indeque Sacrilegus sit, qui rem vel personam Deo sacram injustè violat, lædit, offendit, irreverenter tractat &c. Ubi *Res* latè sumitur, prout etiam loca sacra, v. g. Ecclesias, cœmeteria &c. comprehendit, uti cum Glossa hic DD. communiter avertunt. Intelligitur enim hic per terminum *Deo sacra, seu sacrata* omne illud, quod Deo, ejusque cultui directè vel indirectè, mediatè 1

mediatè vel immediatè specialiter dicatum est: cujusmodi Deo sacratum seu sacrum tria continet, Personas videlicet, Res & Loca sacra, quorum quodlibet si injustè violatur, offenditur, irreverenter, indignè tractatur, Sacrilegium committitur. *Can. Nulli.* 3. *cum seqq. can.* 12. *q.* 2.

2 Porro nomine Personæ sacræ, seu sacratæ, veniunt Clerici Seculares & Regulares, ac omnes utriusque sexûs Religiosæ, utpote vel per sacros Ordines, vel per tria vota obedientiæ, paupertatis & castitatis, ac professionem in Religione per Sedem Apostolicam approbatâ emissam divino cultui & servitio specialiter mancipati. *can. Claros.* 1. *dist.* 21. *can. duo sunt,* 7. *cau.* 12. *q.* 1. de quibus personis plenius egimus *lib. II. tit. II, §.* 9. *de Foro compet.* item *lib. III. tit.* 40. §. 9. *de Immunit. Eccles.* ubi etiam ostendimus, eis Novitios quoque annumerandos esse: an autem, & quando etiam Eremitæ hoc nomine gaudeant, diximus *lib. III. tit. I à n.* 20.

3 *Res Sacra* tria genera complectitur: & primò ejus nomine veniunt Sacramenta, quorum indigna tractatione Sacrilegium committi, indubitatum est. Secundò Vasa sacrata ad susceptionem & conservationem Sacramentorum ordinata, uti sunt Calices, Ciboria, Monstrantiæ: item Altaria, Imagines, Christi & Sanctorum, eorumque Reliquiæ: item sacrum Evangelium, & tota Sacra Scriptura. Tertiò ornamenta, & paramenta Ecclesiæ Altarium, vestesque sacræ Sacerdotum, ac sacrorum Ministrorum, cùm cuncta hæc Ecclesiastica benedictione, vel aliàs ad cultum divinum directè vel indirectè specialiter deputata sint, indeque aliaque Sacrilegio indignè tractari non possunt. Hùc incerto sensu reducuntur etiam res & bona temporalia nobilia & immobilia. Juraque Ecclesiarum, Monasteriorum & aliorum piorum locorum, quia & hæc ad cultum divinum indirectè saltem ordinata ideò meritò censentur, quia ad Ecclesiæ fabricam conservandam & reparandam, ad comparanda, quæ pro officio divino rite peragendo requiruntur, atque ad Salaria & necessariam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ sunt destinata, consequenter injustè violata, ablata &c. Sacrilegium secum trahunt, uti infrà patebit.

4 Loca sacra sunt Ecclesiæ, Capellæ, Oratoria pro divinis Officiis obeundis, & Sacramentis administrandis per consecrationem aut benedictionem præviam deputata. *c. cùm Ecclesia.* 5. & *c. Ecclesiæ.* 8. *de Immunit. Eccles.* Ex quibus præmissis,

5 Resp. II. Verus sensus Regulæ VII. est: *Sacrilegium committit, & verè sacrilegus est, qui Personas, Res, vel Loca Sacra injustè violat, ladit, vel indignè aut irreverenter tractat;* quia juxta communem DD. sacrilegium nil aliud est, quàm injusta violatio, læsio, aut indigna, irreverens tractatio personæ, rei, vel loci sacri. *arg. cit. can. Nulli, cum seqq. cau.* 12. *q.* 2.

6 Declaratur sensus Regulæ exemplis ex Jure desumptis: & quidem imprimis circa personas DEO sacras: sic enim sacrilegium committit, ac insuper excommunicationem incurrit, qui tali personæ manus violentas injicit. *can. si quis suadente.* 29 *cau.* 17. §. 4. Item qui fornicationem, aut aliam turpitudinem carnalem in corpus illius exercet: *Can. Virginibus.* 14. *can.* 27. *q.* 1. qui eam ad forum seculare trahere, & jurisdictione seculari contra eam procedere præsumit. *can. Nullus judicum.* 2. & *can. Relatum.* 14. *can.* 11. *q.* 1. item *can. bene quidem* 1. *dist.* 96 *cum concord.* & amplius diximus *lib. II. tit. II.* §. 9. *de foro compet.* Item, qui tributa, vectigalia & alia hujusmodi onera eis imponere, attentat. *c. Non minùs* 4. *c. Adversus.* 7 *de Immunit. Eccles.* subeque dictum habetur *lib. III. tit.* 49 §. 9. & 10. 7

Circa Res Deo sacras sacrilegium committit, qui Sacramenta indignè administrat vel recipit, qui vasa sacra, paramenta Ecclesiastica ad usus profanos adhibet: qui verba Scripturæ sacræ ad jocos præsertim impudicos applicat: qui Reliquiis, sacris imaginibus irreverentiam exhibet. *can. quæ semel.* 4. *cau.* 19. *q.* 3. *can. ligna.* 38. *can. vestimenta.* 42. *de consecrat. dist.* 1. cum cord. junctâ. *Reg. semel.* 51. *de R. J. in* 6. ibi: *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulteriùs transferendum.* Tenentque DD. communiter, meritò addentes, non omnia sacrilegia esse æqualia, sed gravia vel levia pro diversitate rei sacræ, & indignæ tractationis, seu irreverentiæ irrogatæ: de quo magis Theologi.

Sic ulteriùs Sacrilegium committit, qui etiam res, bona & jure temporalia Ecclesiarum, Monasteriorum, & piorum locorum supra n. 3. ad finem enarrata injustè violat, gravat, aufert &c. *can. Nulli.* 3. *cau.* 12. *q.* 2. ibi: *Nulli liceat ignorare, omne, quod Domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quilibet semel fuerit consecratum sanctum sanctorum* (id est, ut Gloss. hic. *v. Sanctum.* bene advertit, ad usum Sanctorum) *Domino erit, & ad jus pertinebit Sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Domino & Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel eripit. & usque ad emendationem, & Ecclesiæ satisfactionem ut sacrilegus judicetur, & si emendare noluerit, excommunicetur.* De quo sacrilegii genere ob violata, gravata, ablata bona & jura temporalia Ecclesiarum & piorum locorum exactè tractavimus *lib III.* Tit. 49 §. 9. & 10. 8

Quæritur II. An & quæ fallentiæ circa Regulam hanc VII. Reg. Esse præter alias etiam sequentes: & quidem fallit circa personas sacras 1. in casibus, ubi in pœnam scelcris personæ sacræ privatæ existunt privilegiò clericali, *arg. c. cùm non ab homine.* 10. *de Judic. c. un. de vita, & honest. Cleric. in* 6. Fallit 2. In casibus, in quibus non curavit privilegium canonis. *arg. c. Super eo.* 1. *c. Ex tenore.* 10. *c. universitatis.* 24. *de Sentent Excom.* 9

Circa Res sacras Fallit 1. quoad vasa sacra, v. g. Calicem, Patenam, Corporale, Monstrantiam: quæ licèt, dum Corpus Christi actu continent, nemo præter Sacerdotem & Diaconum sine gravi irreverentia tangere queat. *arg. can. In sancta hæc.* 41. *& seq. de consecrat. dist.* 1. ac sine levi, aut veniali irreverentia, si corpus Christi actu non continent. *arg. Non oportet.* 30. & *can. Non liceat.* 31. *dist.* 23. tamen si perdant priorem figuram, aut ita immutantur, ut ad finem deputatum non amplius habilia sint, item si execrantur, seu justa de causa privantur benedictione, etiam à non laicratis manibus; absque sacrilegio tangi possunt: sicut & Corporalia & Purificatoria, si lotione, aut refectione indigent, dummodo à Sacerdote prius laventur, uti habet communis & universalis consuetudo optima legum interpres. 10

Quoad bona & jura temporalia Fallit v. in communi necessitate habente conditiones præscriptas *cit. lib. III.* 49. *de Immunit.* 10. *à n.* 251. ubi & Clerici contribuere tenentur. Fallit 2. In bonis feudalibus ad Ecclesias pertinentibus. *c. cæterum* 5. *de* 11

Judic. c. Ex transmissa. 6. c. Verùm 7. de foro compet. in causis feudalibus enim etiam Clericus feudatarius ad præstanda feudi onera tenetur.

12 Quoad Loca sacra Fallit 1. si Templi, Ecclesiæ, Sacella consecrata, aut benedicta destruuntur. Tunc enim lapides & ligna sine irreverentia & sacrilegio ad usus profanos applicantur. Fallit 2. Si homicidium, gravis vulneratio, notabilis effusio sanguinis in locis sacris contingit casu fortuito, v. g. ab animali, homine furioso, amente &c. In quibus casibus Ecclesia non polluitur. De quo, uti & tota materia circa vasa, & loca sacra plenè tractavimus *lib. III. tit. 40. de Consecrat. Eccles.*

REGULA VIII.

Qui ex timore facit Præceptum, aliter, quàm debeat, facit, & ideò jam non facit.

SUMMARIUM.

1 *Difficultas Regulæ in quo consistat? Timor duplex: alius filialis, ibid.*
2 *Alius servilis: hicque*
3 *Alius bonus, & utilis, ac seq.*
5 *Alius purè servilis, seu mundanus, ac inutilis.*
6 *Sensus genuinus Regulæ quis?*
7 *Declaratur exemplo.*

1 QUæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis sensus verus illius sit? Ante responsionem Notandum, totam difficultatem circa intelligentiam hujus Regulæ in hoc consistere, de quo timore loquatur. Duplex siquidem, vel potiùs triplex est timor: filialis nempe, & servilis; hicque vel supernaturalis & bonus, vel merè servilis seu mundanus. Filialis est, quo quis Deum sicut filius patrem timet, & ex hoc timore, ne eum offendat, præcepta & mandata illius observat: qui timor in charitate fundatus optimus est, innumerisque in locis laudatur & commendatur à Sacra Scriptura, uti Psal. 18. v. 10. *Timor Domini sanctus permanens in seculum sæculi.* Psal. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* & Psal. 30. *Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.* Item: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos:* Psal. 144. v. 19. imo Psal. 110. afferitur: *Initium sapientiæ Timor Domini:* estque unum inter Dona Spiritûs Sancti.

2 Timor servilis est, quò quis mandata servat ex timore pœnæ, ne eam incurrat: qui timor etiam adhuc bonus & supernaturalis est, si quis pœnas sive æternas, sive temporales quatenus à DEO ob transgressionem mandatorum suorum justè infligunter, meritò timet, & ideo ex timore earum, vel potiùs ex timore Dei mandata illius observat, ne aliàs ab ipso hic vel ibi justè puniatur. Cùm enim hic timor Deum nullatenus excludat, sed eundem, & justitiam illius respiciat, ac ne per violationem mandatorum eum offendat, sicque propterea ab illo justè puniatur, rectè timeat, & hoc timore impulsus mandata illius observet, merito ex timore Dei pœnas justè infligentis, sicque ex bono adhuc timore, utpote supernaturale adhuc principium habente man data observare censendus est, dummodo timor non finalis, & ita principalis sit, ut, si pœnæ non essent, mandatum non observaret, & Deum offendere non curaret: si enim constitutus Deum & justitiam debitè non respiceret, nec voluntatem peccandi exclusam, sed inclusam habere.

Cæterùm hunc timorem pariter innumeris in locis sacræ Paginæ, præsertim Veteris Testamenti etiam approbant, ac ut ex timore pœnarum à Deo justè infligendarum mandata divina observentur, integris Capitulis hortantur, uti Deuteron. *cap.* 1. 4. 8. 11. *&c.* Sicut etiam in Novo Testamento ad observantiam mandatorum, & Timorem Dei justè punientis, Christus ipse pœnarum minis hortatur: *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Luc.* 12. v. 28. Et Concil. Trident. *Sess. 6. cap. 6.* fatetur, timore Justitiæ divinæ peccatores utiliter concuti, illumque ad justificationem concurrere, quod magis ad propositum confirmat. *Sess. 14. c. 4.* dicens: *contritionem imperfectam, quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solùm non facere hominem hypocritam, verùm etiam Donum Dei, & Spiritûs S. impulsum esse.* 3

Porro etsi n. præced. declaratus timor servilis tam bonus ac meritorius sicut timor filialis non sit, utpote charitate minùs vestitus, tamen ad ejusdem qualitates, & charitatem Dei bonâ intentione ac reflexione reduci facilè potest, si quis videlicet ex præfato timore servili, seu ex timore pœnarum, vel potiùs ex timore Dei, ne justè puniat, mandata observat quidem, ideo tamen etiam, quia infinitè bonus Deus, videns nos miseros sensuales homines subinde magis & citiùs moveri gravissimarum pœnarum à Deo infligendarum minis, & timore earum, quàm solò altiori charitatis motivo, ipsemet etiam hunc timorem suadet, & ut eò ducti mandata servemus, vult & hortatur, quod benè notandum. 4

Timor merè servilis & mundanus est, quando quis mandata servat ex timore pœnarum, vel jacturæ temporalis, v. g. famæ, bonorum fortunæ, vitæ, non ùt à Deo, sed hominibus provenientium uti benè docet cum D. Thoma 2. 2. *q.* 19. *art.* 2. communis DD. His notatis, 5

Resp. Regula nullatenus de timore in primo & secundo sensu n. 1. & 2. declarato: sed de timore merè servili humano & mundano num. præc. explicato intelligenda venit, ita ut verus illius sensus sit: *Qui ex timore merè servili & mundano, seu ex timore pœnarum quatenus ab hominibus proveniunt, & timentur, præceptum observat, aliter, quàm debet, ac nihil facit, & nec meretur, nec præceptum servare censendus est.* Ratio est: quia ex timore servans præcepta, reipsa nullum Dei præcipientis respectum habere, nec ipsum curare, sed homines duntaxat respicere, sicque coram Deo qui corda scrutatur & renes, nec mereri, nec quidquam agere, nec præceptum, uti oportet, observare censetur, præsertim quia voluntatem peccandi retinens 6

reipsa

reipsa & implicitè ita constitutus est, quod si pœnas, seu temporalem jacturam ab hominibus non timeret, præceptum non observaret: ut proin meritò dicat Glossa hic: *qui invitus facit* (meliùs ex respectu & timore præcisè mundano & humano) *rem & meritum perdit. arg. can. Jam verò. 4. can. 23. q. 6.*

7 Regula & sensus ejus plurimis ex S. Scriptura ulteriùs declarari & probari posset exemplis: verùm quia materia hæc Theologica potiùs, quàm Juridica est, sufficiat id tolum, quod Christus de Pharisæis mandata Dei *Matth. 6. v. 2.* servantibus dixit, eos coram Deo nihil esse, nec ullam mercedem habere: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam:* Nam sicut qui sine ulla ad Deum reflexione ad captandam laudem, & æstimationem hominum præcepta observant, & bona opera faciunt, nil coram Deo facere, & omni merito indigni esse censentur: ficidem dicendum de illis, qui id ex timore præcisè humano & mundano, seu merè servili agunt; quamvis in foro externo, quod de intrinsecis non judicat, à pœnis transgressionis præceptorum immunes sint.

REGULA IX.

Defleat Peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus.

SUMMARIUM.

1 *Difficultas Regulæ.*
2 *Declaratio illius à nonnullis.*
3 *Alia Declaratio.*
4 *Verus sensus Regulæ.*
5 *Panam sensûs majorem pati debet, qui magis peccat.*

1 QUæritur, Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sit sensus? Ante responsionem notandum, hanc Regulam omnino concordare cum sententia S. Jacobi in sua Epistola Catholica *c. 2. v. 10.* (ex quo Regula nostra desumpta verisimiliter creditur) ubi cùm Judæi maintenere vellent, non esse necesse totam legem legisque præcepta servare, dixit eisdem loc. cit. *quicunque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus:* idipsum, quod Regula ionat. Verùm, quia durum foret, verba hæc in litterali sensu, prout jacent, intelligere, ita, ut qui unam legem, v. g. *Non furtum facies*, furando transgrederetur, fieret reus omnium transgressionum, sicque reputaretur etiam adulter, perjurus, blasphemus, idololatra, homicida &c. hinc tam interpretes S. Scripturæ, quàm Glossatores nostræ Regulæ faciunt varias interpretationes, inter quas præcipuæ sunt duæ sequentes.

2 Prima est eorum, qui dicunt, ideo eum, qui in uno offendit, seu legem divinam transgreditur, censeri reum omnium, quia sola transgressione unius legis jam videtur contemnere & non curare Divinam potestatem legislativam, seu Authoritatem supremi Legislatoris, sicque promptus, paratus ac dispositus esse, quòd sicut in uno, non attenta, sed quasi spreta authoritate supremi Legislatoris legem transgredi ausus est, sic eam etiam in aliis transgredi non curet, potestate legislativâ divinâ jam semel quasi spretâ, & non amplius attentâ, juxta tritum illud: *qui unum peccatum mortale non timet, nec aliud timet.* Et huic interpretationi favere videtur subsequens textus S. Jacobi, qui postquam dixit: *offendens in uno factus est omnium reus,* statim *v. 11.* subjunxit: *qui enim dixit, non mœchaberis, dixit & non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor Legis.*

Altera interpretatio, quam tenet Glossa hic, Lyran. *in cit. Epist. S. Jacobi cap.* 2. S. Thomas 2. 2. *q.* 72. *art.* 1. & alii, vult, Regulam intelligendam esse de offendente in uno graviter, seu committente peccatum mortale, utpote propter hoc unicum factus reus omnium quorumcunque tandem peccatorum quoad pœnam damni, id est, æternam privationem visionis beatificæ, perditionis Amicitiæ Divinæ, Charitatis & Gratiæ sanctificantis, meritorum, ac Cœlestis Gloriæ, quæ cuncta propter unum peccatum mortale æquè perdit, pœnamque damni æquè incurrit, ac si omnia peccata totius mundi commisisset. Hoc notato, 3

Resp. ad quæstionem, Regulam intelligendam esse juxta secundam interpretationem num. præc. adductam, ita ut verus illius sensus sit: *Fleat mortaliter peccans, quia propter unum peccatum mortale Amicitiam divinam, Charitatem, Gratiam sanctificantem, merita, & prius facta bona opera cuncta, æternam beatitudinem æquè perdit, pœnamque damni perinde incurrit, ac si omnia peccata reipsa commisisset.* Ratio est; quia quæ in hoc sensu allegantur, non tantùm per unanimem Theologorum, sed etiam per fidem divinam sunt certa, indeque Regula dicens: *offendens in uno, factus est reus omnium*, quoad præcipuum effectum in eo verificatur, quod propter unicum peccatum mortale eandem infiniti boni, & æternæ beatitudinis cœlestis jacturam incurrat, ac si omnium peccatorum esset reus. 4

Dicitur tamen notanter: *pœnam damni*; quia pœnas sensûs plures & graviores hic & ibi sustinere debet, qui plura & majora committit peccata. De quo magis Theologi. 5

Judic. c. Ex transmissa. 6. c. Verùm 7. de foro compet. in causis feudalibus enim etiam Clericus feudatarius ad præstanda feudi onera tenetur.

12 Quoad Loca sacra Fallit 1. si Templi, Ecclesiæ, Sacella consecrata, aut benedicta destruuntur. Tunc enim lapides & ligna sine irreverentia & sacrilegio ad usus profanos applicantur. Fallit 2. Si homicidium, gravis vulneratio, notabilis effusio sanguinis in locis sacris contingit casu fortuito, v. g. ab animali, homine furioso, amente &c. In quibus casibus Ecclesia non polluitur. De quo, uti & tota materia circa vasa, & loca sacra plenè tractavimus *lib. III. tit. 40. de Consecrat. Eccles.*

REGULA VIII.

Qui ex timore facit Præceptum, aliter, quàm debeat, facit, & ideò jam non facit.

SUMMARIUM.

1 *Difficultas Regulæ in quo consistat? Timor duplex: alius filialis, ibid.*
2 *Alius servilis: hicque*
3 *Alius bonus, & utilis, ac seq.*
5 *Alius purè servilis, seu mundanus, ac inutilis.*
6 *Sensus genuinus Regulæ quis?*
7 *Declaratur exemplo.*

1 QUæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis sensus verus illius sit? Ante responsionem Notandum, totam difficultatem circa intelligentiam hujus Regulæ in hoc consistere, de quo timore loquatur. Duplex siquidem, vel potiùs triplex est timor: filialis nempe, & servilis; hicque vel supernaturalis & bonus, vel merè servilis seu mundanus. Filialis est, quo quis Deum sicut filius patrem timet, & ex hoc timore, ne eum offendat, præcepta & mandata illius observat: qui timor in charitate fundatus optimus est, innumerisque in locis laudatur & commendatur à Sacra Scriptura, uti Psal. 18. v. 10. *Timor Domini sanctus permanens in seculum sæculi.* Psal. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* & Psal. 30. *Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.* Item: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos:* Psal. 144. v. 19. imo Psal. 110. afferitur: *Initium sapientiæ Timor Domini:* estque unum inter Dona Spiritûs Sancti.

2 Timor servilis est, quò quis mandata servat ex timore pœnæ, ne eam incurrat: qui timor etiam adhuc bonus & supernaturalis est, si quis pœnas sive æternas, sive temporales quatenus à DEO ob transgressionem mandatorum suorum justè infligunter, meritò timet, & ideo ex timore earum, vel potiùs ex timore Dei mandata illius observat, ne aliàs ab ipso hic vel ibi justè puniatur. Cùm enim hic timor Deum nullatenus excludat, sed eundem, & justitiam illius respiciat, ac ne per violationem mandatorum eum offendat, sicque propterea ab illo justè puniatur, rectè timeat, & hoc timore impulsus mandata illius observet, merito ex timore Dei pœnas justè infligentis, sicque ex bono adhuc timore, utpote supernaturale adhuc principium habente man data observare censendus est, dummodo timor non finalis, & ita principalis sit, ut, si pœnæ non essent, mandatum non observaret, & Deum offendere non curaret: si enim constitutus Deum & justitiam debitè non respiceret, nec voluntatem peccandi exclusam, sed inclusam habere.

Cæterùm hunc timorem pariter innumeris in locis sacræ Paginæ, præsertim Veteris Testamenti etiam approbant, ac ut ex timore pœnarum à Deo justè infligendarum mandata divina observentur, integris Capitulis hortantur, uti Deuteron. *cap.* 1. 4. 8. 11. *&c.* Sicut etiam in Novo Testamento ad observantiam mandatorum, & Timorem Dei justè punientis, Christus ipse pœnarum minis hortatur: *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Luc.* 12. v. 28. Et Concil. Trident. *Sess. 6. cap. 6.* fatetur, timore Justitiæ divinæ peccatores utiliter concuti, illumque ad justificationem concurrere, quod magis ad propositum confirmat. *Sess. 14. c. 4.* dicens: *contritionem imperfectam, quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solùm non facere hominem hypocritam, verùm etiam Donum Dei, & Spiritûs S. impulsum esse.* 3

Porro etsi n. præced. declaratus timor servilis tam bonus ac meritorius sicut timor filialis non sit, utpote charitate minùs vestitus, tamen ad ejusdem qualitates, & charitatem Dei bonâ intentione ac reflexione reduci facilè potest, si quis videlicet ex præfato timore servili, seu ex timore pœnarum, vel potiùs ex timore Dei, ne justè puniat, mandata observat quidem, ideo tamen etiam, quia infinitè bonus Deus, videns nos miseros sensuales homines subinde magis & citiùs moveri gravissimarum pœnarum à Deo infligendarum minis, & timore earum, quàm solò altiori charitatis motivo, ipsemet etiam hunc timorem suadet, & ut eò ducti mandata servemus, vult & hortatur, quod benè notandum. 4

Timor merè servilis & mundanus est, quando quis mandata servat ex timore pœnarum, vel jacturæ temporalis, v. g. famæ, bonorum fortunæ, vitæ, non ùt à Deo, sed hominibus provenientium uti benè docet cum D. Thoma 2. 2. *q.* 19. *art.* 2. communis DD. His notatis, 5

Resp. Regula nullatenus de timore in primo & secundo sensu n. 1. & 2. declarato: sed de timore merè servili humano & mundano num. præc. explicato intelligenda venit, ita ut verus illius sensus sit: *Qui ex timore merè servili & mundano, seu ex timore pœnarum quatenus ab hominibus proveniunt, & timentur, præceptum observat, aliter, quàm debet, ac nihil facit, & nec meretur, nec præceptum servare censendus est.* Ratio est: quia ex timore servans præcepta, reipsa nullum Dei præcipientis respectum habere, nec ipsum curare, sed homines duntaxat respicere, sicque coram Deo qui corda scrutatur & renes, nec mereri, nec quidquam agere, nec præceptum, uti oportet, observare censetur, præsertim quia voluntatem peccandi retinens 6

reipsa

reipsa & implicitè ita constitutus est, quod si pœnas, seu temporalem jacturam ab hominibus non timeret, præceptum non observaret: ut proin meritò dicat Glossa hic: *qui invitus facit* (meliùs ex respectu & timore præcisè mundano & humano) *rem & meritum perdit. arg. can. Jam verò. 4. can. 23. q. 6.*

7 Regula & sensus ejus plurimis ex S. Scriptura ulteriùs declarari & probari posset exemplis: verùm quia materia hæc Theologica potiùs, quàm Juridica est, sufficiat id tolum, quod Christus de Pharisæis mandata Dei *Matth. 6. v. 2.* servantibus dixit, eos coram Deo nihil esse, nec ullam mercedem habere: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam:* Nam sicut qui sine ulla ad Deum reflexione ad captandam laudem, & æstimationem hominum præcepta observant, & bona opera faciunt, nil coram Deo facere, & omni merito indigni esse censentur: ficidem dicendum de illis, qui id ex timore præcisè humano & mundano, seu merè servili agunt; quamvis in foro externo, quod de intrinsecis non judicat, à pœnis transgressionis præceptorum immunes sint.

REGULA IX.

Defleat Peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus.

SUMMARIUM.

1 *Difficultas Regulæ.*
2 *Declaratio illius à nonnullis.*
3 *Alia Declaratio.*
4 *Verus sensus Regulæ.*
5 *Panam sensûs majorem pati debet, qui magis peccat.*

1 QUæritur, Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sit sensus? Ante responsionem notandum, hanc Regulam omnino concordare cum sententia S. Jacobi in sua Epistola Catholica *c. 2. v. 10.* (ex quo Regula nostra desumpta verisimiliter creditur) ubi cùm Judæi maintenere vellent, non esse necesse totam legem legisque præcepta servare, dixit eisdem loc. cit. *quicunque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus:* idipsum, quod Regula ionat. Verùm, quia durum foret, verba hæc in litterali sensu, prout jacent, intelligere, ita, ut qui unam legem, v. g. *Non furtum facies*, furando transgrederetur, fieret reus omnium transgressionum, sicque reputaretur etiam adulter, perjurus, blasphemus, idololatra, homicida &c. hinc tam interpretes S. Scripturæ, quàm Glossatores nostræ Regulæ faciunt varias interpretationes, inter quas præcipuæ sunt duæ sequentes.

2 Prima est eorum, qui dicunt, ideo eum, qui in uno offendit, seu legem divinam transgreditur, censeri reum omnium, quia sola transgressione unius legis jam videtur contemnere & non curare Divinam potestatem legislativam, seu Authoritatem supremi Legislatoris, sicque promptus, paratus ac dispositus esse, quòd sicut in uno, non attenta, sed quasi spreta authoritate supremi Legislatoris legem transgredi ausus est, sic eam etiam in aliis transgredi non curet, potestate legislativâ divinâ jam semel quasi spretâ, & non amplius attentâ, juxta tritum illud: *qui unum peccatum mortale non timet, nec aliud timet.* Et huic interpretationi favere videtur subsequens textus S. Jacobi, qui postquam dixit: *offendens in uno factus est omnium reus,* statim *v. 11.* subjunxit: *qui enim dixit, non mœchaberis, dixit & non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor Legis.*

Altera interpretatio, quam tenet Glossa hic, Lyran. *in cit. Epist. S. Jacobi cap.* 2. S. Thomas 2. 2. *q.* 72. *art.* 1. & alii, vult, Regulam intelligendam esse de offendente in uno graviter, seu committente peccatum mortale, utpote propter hoc unicum factus reus omnium quorumcunque tandem peccatorum quoad pœnam damni, id est, æternam privationem visionis beatificæ, perditionis Amicitiæ Divinæ, Charitatis & Gratiæ sanctificantis, meritorum, ac Cœlestis Gloriæ, quæ cuncta propter unum peccatum mortale æquè perdit, pœnamque damni æquè incurrit, ac si omnia peccata totius mundi commisisset. Hoc notato, 3

Resp. ad quæstionem, Regulam intelligendam esse juxta secundam interpretationem num. præc. adductam, ita ut verus illius sensus sit: *Fleat mortaliter peccans, quia propter unum peccatum mortale Amicitiam divinam, Charitatem, Gratiam sanctificantem, merita, & prius facta bona opera cuncta, æternam beatitudinem æquè perdit, pœnamque damni perinde incurrit, ac si omnia peccata reipsa commisisset.* Ratio est; quia quæ in hoc sensu allegantur, non tantùm per unanimem Theologorum, sed etiam per fidem divinam sunt certa, indeque Regula dicens: *offendens in uno, factus est reus omnium*, quoad præcipuum effectum in eo verificatur, quod propter unicum peccatum mortale eandem infiniti boni, & æternæ beatitudinis cœlestis jacturam incurrat, ac si omnium peccatorum esset reus. 4

Dicitur tamen notanter: *pœnam damni*; quia pœnas sensûs plures & graviores hic & ibi sustinere debet, qui plura & majora committit peccata. De quo magis Theologi. 5

REGULA X.

Non potest esse justa Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.

SUMMARIUM.

- *Pastoris animarum gravissima obligatio & tanta est, ut etiam in casu, quo anima ipso ignorante perit, inexcusabilis sit.*
- *Ignorantia eorum, quæ quis ex officio scire debet, pro crassa habetur. ibid.*
- 2 *Gravissima obligatio Pastorum probatur ex Scriptura & Jure.*
- 3 *Item ex SS. Patribus ac Theologis.*
- 4 *Verus sensus Regulæ quis?*
- 5 *Prudens & utilis modus regendi & corrigendi subditos.*
- 6 *Ignorantia verè invincibilis excusat Pastorem.*
- 7 *Sicut & si sua facit, & tamen ovis perit.*

1 QUæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Nomine *Pastoris* in Regula venire Episcopos, alioſque Prælatos & Superiores Ecclesiasticos, nec non Parochos, & omnes curam animarum habentes: nomine *Lupi* autem dæmonem & perversos præsertim scandalum præbentes homines: nomine *Ovium* verò animas præfatis Pastoribus tanquam oves creditas intelligi, extra controversiam est. Quorum Superiorum & Pastorum gravissima obligatio, ut subditis & ovibus debitè invigilent, errores corrigant, avertere nitantur, ne luporum nequitiâ pereant, in tantum innuitur per hanc Regulam, ut Pastor inexcusabilis sit, & rationem reddere teneatur, etiamsi ipso ignorante, & nesciente ovis aliqua pereat; cùm ignorantia illius, qui ex officio scientiam habere debet, & facilè potest, pro crassa & culpabili reputetur, *c. fin. de consist. in 6.* Et ea, quæ quis ex officio indagare tenetur, scire, & scire debere facileque posse, pro eodem habeantur. *can. fin. dist. 37. c. fin. §. Si quis. de clandest. desponſ.* junctâ *l. Julianus. 19 ff. de S. C. Macedon.* Confirmatur: arg. à pari. *l. qui mercedem. 40. ff locati.* ubi habetur, eum, cujus custodiæ res commissa est, periculum præstare & probare debere, dolò vel culpâ suâ rem non periisse, quia ex officio suo custodiam adhibere tenetur. *c. Ea quæ de officio Archidiaconi.* cum concord. à Glossa hîc v. *Pastores* per plures textus allatis.

2 Quod si juxta dicta vi hujus Regulæ inexcusabiles sint pastores, quibus nescientibus & ignorantibus oves pereunt, facilè colligere licet, quàm gravis & inexcusabilis sit culpa illorum, quibus scientibus & advertentibus ex negligentia, socordia, conniventia, laxitate, tiuiditate, & respectu humano, vel malo exemplo illorum animæ pereunt. Profectò in sacris paginis æternum væ eis annuntiatur *Ezech. 34. Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, greg.m autem non pascebant: quod infirmum fuit, non consolidabant, & quod ægrotum non sanabant: quod confractum, non alligabant, & quod abjectum, non reducebant, & quod perierat non quærebant; ideo oves factæ sunt in devorationem & erraverunt.* Et *c. Irrefragabili. 13. de offic. Jud. Ordin.* dicitur, fore ut sanguis subditorum requiratur de manibus Prælatorum Ecclesiasticorum, qui subditis suis debitè invigilare, eorumque excessus & errores corrigere neglexerunt. Ubi etiam Pontifex ad facilitandum Superiorum munus omnem appellationem in correctione morum prohibet, ibi: *ut autem correctionis & reformationis officium liberè exercere valeant, decernimus, ut executionem illorum nulla consuetudo, vel appellatio valeat impedire.*

3 1. Horrenda sunt, quæ de gravissima & periculosissima obligatione Superiorum Ecclesiasticorum & Pastorum animarum scribunt SS. Patres, & Theologi, inter quos Avila, doctrina & virtute suo tempore celeberrimus Theologus dicere non dubitavit: *Tanta est obligatio Pastorum animarum, ut si tertiam tantùm partem reipsa adimplerent, ab omnibus Sanctis reputarentur, & tamen si hac contenti sunt, damnationem non evadent.* Et S. Chrisost. *Homil. 34. ad Hebr. apud Barbos. p. 1. de Offic. & potest. Epis. Tit. 1. cap. 6. n. 23.* dicere non est veritus: *Miror, si potest salvari aliquis Rectorum.* Et in Acta Apost. apud Strein in hanc Regulam n. 1. de Episcopis tanquam supremis Prælatis & animarum Pastoribus in specie scribere ausus est: *Non multos Episcopos salvari, eò quòd difficillimum sit, tot animarum sibi commissarum bonam & sufficientem rationem reddere.* Ut proin mirum sit, & meritò cum aliis SS. Patribus S. Chrysostomus miretur, tamen aliquos ambire tam periculosum munus Superiorum, imo, ut ait *loc. cit.* S. Chrysost. *aliquos etiam concurrere, & præcipitare semetipsos in tantam molem & difficultatem Regiminis.* Cæterùm ex dictis facilè eruitur verus sensus Regulæ; Nam

4 Resp. II. Verus sensus Regulæ est: *Gravissima, & tanta est Pastorum animarum obligatio invigilandi subditis sibi concreditis, errores eorum corrigendi, avertendi, illosque debitè regendi, à via rectâ aberrantes reducendi, ut etiam in casu, quo ipsis inscitiâ & ignorantibus aliquo ex concreditis animabus malè vivendo pereat, coram Deo inexcusabiles sint,* ob jura & rationes n. 1. allegatas.

5 Portò qualiter, seu quò modò subditi à Superioribus prudenter ac utiliter regi & corrigi possint ac debeant: an etiam, & quando rigor adhibendus sit, partim jam supra in Reg. II. diximus, partim, imò plenè & optimè præscribitur in Concil. Trident. *Sess. 13. de Reform. cap. 1.* illis huc relatu dignis verbis. *Illud primum eos admonendos censet, ut se Pastores, non percussores esse meminerint, atque ita præesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios & fratres diligant; eluborentque, ut hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda præceptio: ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate & patientia: cùm sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia quàm austeritas, plus exhortatio quàm comminatio, plus charitas quàm potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populi salutaris ac necessaria conservetur, & qui correcti fuerint, emendentur; aut si respicere noluerint, ceteri salubri in eos animadversionis exemplo, à vitiis deterreantur: cùm sit diligentis & pii simul pastoris officium, morbis ovium levia primum adhibere fomenta; post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora & graviora remedia descendere, sin autem ne ea quidem proficiant illis submovendis, cæteras saltem oves à contagionis periculo liberare. Cùm igitur vel criminum plerumque ad evitandas pœnas & Episcoporum subterfugienda judicia, querelas & gravamina simulent, & appellationis diffugio judicis præsidium impediant, ne remedio, ad innocentiæ præsidium instituto, ad iniquitatis defensionem abutantur, atque ad hujusmodi eorum calliditati & vigiliæ occurratur, ita statuit, & decrevit: In causis visitationis & correctionis, sive habilitatis & inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Episcopo seu illius in spiritualibus Vicario Generali, ante definitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine, non appelletur &c. nec Episcopus seu Vicarius appellationi hujusmodi, tanquam frivolæ, deferre teneatur; sed ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis judice emanata, nec non omni stylo & consuetudine, etiam immemorabili, contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere: nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit: quibus casibus Sacrorum & antiquorum Canonum statuta illibata persistant.* Quamvis enim hic corrigendi modus specialiter præscriptus sit Episcopis, tamen etiam aliis Prælatis, & Superioribus Ecclesiasticis, servatis servandis, communiter meritò adaptatur.

6 Quæritur II. An, & quas fallentias patiatur hæc Regula? Resp. Abstrahendo ab aliis, etiam sequentes: Et quidem 1. In casu quo superior invincibiliter ignorat, subditum in occulto malè vivere & perire, quia sicut juxta communem Theologorum vere invincibilis ignorantia facti in omnibus tollit voluntarium, & à culpa excusat, sic etiam in hoc.

7 Fallit 2. in casu, quò Superior monendo, corrigendo, puniendo, quæ potuit & debuit, fecit, & tamen subditus in mala vita perseveravit & periit, quia in tali casu contra subditum incorrigibilem meritò pro sua excusatione utitur verbis Oseæ *cap. 13. v. 9. Perditio tua Israël: tantummodo in me auxilium.* & Jerem. *51. v. 9. curavimus Babylonem, & non est sanata.* Dummodo talem, si communitati scandalosus est, tanquam ovem scabiosam, ne alios inficiat, competentibus mediis à communitate amoveat, uti ex officio tenetur.

REGULA XI.

Indignum est, & ab Ecclesiæ Romanæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis Homagium compellatur.

SUMMARIUM.

- 1 *Homagium aliud propriè seu strictè tale.*
- 2 *Aliud impropriè tale.*
- 3 *Regula loquitur de Homagio propriè tali. Verus Regulæ sensus quis? ibid.*
- 4 *Homagium improprium licet præstare & exigere pro spiritualibus.*
- 5 *Etiam temporalia, quæ aliàs de Jure debentur, exigere & præstare licet pro spiritualibus.*
- 6 *Clerici propter Feuda sæcularia, quæ habent, Homagium propriè tale præstare possunt & debent.*

1 QUæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis proprius illius sensus sit? Ante responsionem notandum, Homagium variè, præcipuè verò bifariam sumi, propriè videlicet seu strictè, & impropriè. Homagium propriè seu strictè tale est juramentum, quo quis alicui tanquam territorii Domino spondet & jurat subjectionem & obedientiam quoad certas operas & bona temporalia, sicque Vasallus, & quasi homo illius, cui jurat. *Homagium* enim quasi *hominis legium* dicit; quia liceat, seu obligat hominem illi, cui homagium seu juramentum præstat, Gloss. *in Clement. 2. de Re judicat.* & ibi Abbas *n. 6.* Vivianus *de Reg. J. in fine* & alii communiter.

2 Homagium impropriè tale est juramentum fidelitatis, obedientiæ & reverentiæ, quod Clerici post adeptam aliquam spiritualem dignitatem vel beneficium præstare tenentur Episcopis, quibus tanquam propriis Prælatis, Superioribus & Dominis suis, Patribusque spiritualibus fidelitatem, obedientiam & reverentiam specialiter debent. *c. Nullus. 5. de Jurejur. & c. gravem 15. de Excess. Prælat.* ubi Papa graviter punit Archidiaconum, quòd post præstitum Episcopo Homagium, illum pro Domino suo agnoscere recusârit. Hòc notato,

3 Resp. Regula XI. intelligenda est de Homagio propriè & strictè tali, quo alicui juratur & spondetur obedientia & subjectio quoad præstanda temporalia, ita ut proprius illius sensus sit: *Nullus potest pro beneficio, seu pro illius collatione aut nominatione, vel præsentatione ad illud, nec pro alia quacunque re spirituali compelli ad præstandum Homagium propriè tale, nec illud illico deponere.* Ratio est, quia hòc ipso, quòd per Homagium proprie tale spondeantur temporalia, nec collator, nec Patronus sive Ecclesiasticus sive sæcularis pro beneficio, nec quis alius pro alia re spirituali tale Homagium exigere, nec quis ultra illud præstare potest sine labe Simoniæ, quæ semper committitur, quoties datur, vel promittitur temporale pro spirituali, prout amplius dictum *Tit. V. Tit. III. de Simonia:* & textu claro *c. Ex diligenti 17. de Simonia.* Ubi de Homagio proprio specialis dispositio habetur, & in Summario breviter adducitur illis verbis: *Pro habendis spiritualibus Homagium facere, Simoniacum est; cum, ut textu ait, hoc præstare divinis & humanis legibus contraire noscatur.*

4 Aliter res se habet in Homagio impropriè tali n. 2. declarato, quia vi hujus nullus obligatur ad munus & obsequium temporale, ad quod aliàs de jure vel consuetudine non teneur, sed ad fidelitatem, obedientiam in spiritualibus non tam personæ,

sonæ, quàm dignitati exhibendam, quod utique Simoniâ caret, & non tantùm licitum, sed & obligatorium est, *arg. cit. c. gravem. 15. de Jurejur.* junctô Concil. Trident. *Sess. 24. de Reform. c. 12. & c. Egò N. Episcopus 4. de Jurejur.* ubi formula hujusmodi Homagii & professionis præscribitur.

5 Nec valet objicere contra sensum Regulæ, quòd *cit. c. Episcopus. 4. de Jurejur.* in forma Homagii & professionis Episcopis ibidem præscriptæ, inter alia Episcopus etiam ita juret, & se obliget: *Legatum Apostolicæ Sedis, quem certum esse cognovero, in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo*; quæ temporalia esse nemo dubitat. Resp. enim, Episcopos ad præfata Legatis Apostolicis præstanda aliàs jam de jure obligatos esse, consequenter nonnisi ea, quæ de jure debita, & juri insunt, promittere: quæ autem sic insunt, in Juramento exprimi, & à recipiente spiritualia sine labe Simoniæ promitti possunt *c. Significasti. 4. de Elect. & ibi Giess. v. conditione.* Barb. *ibid. n. 2.*

Quæritur II. An, & quas fallentias habeat Regula XI. Resp. Docere quidem aliquos, hanc Regulam in Feudis fallere, utpote propter quæ etiam Clerici Homagium propriè tale Domino directo præstare possunt & debent *arg. c. Cæterum 5. de Judic. & c. Ex transmissa. 6. de foro compet.* Verùm quia feudatarii Clerici Homagium non præstant pro re spirituali, sed pro temporali, pro bonis videlicet temporalibus, Clerico sive regulari, sive sæculari, seu eorum Ecclesiæ aut Monasterio in feudum concessis, indeque agunt, ad quæ aliàs de jure tenentur, contra Regulam nostram minimè agunt, consequenter in casu feudi Regulam fallere dicendum non est: de cujusmodi Feudis ampliùs diximus *lib. III. Tit. XX. §. 2. num. 51.* 5

CAPUT II.

De Regulis Juris in Sexto.

REGULA I.

Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sinè institutione Canonica obtineri.

SUMMARIUM.

1 *Quid? & quotuplex sit Beneficium?*
2 *Institutio beneficii alia propriè talis & strictè accepta:*
3 *Alia latè sumpta.*
4 *Latè sumpta alia collativa, seu verbalis: alia corporalis seu realis, quæ etiam Investitura dicitur: alia authorizabilis.*
5 *Institutio Canonica quid?*
6 *Quis sit verus sensus Regulæ?*
7 *Declaratur exemplis ex Jure desumptis.*
8 *Beneficium obtineri nequit per liberam in alium cessionem, vel mutationem cum illo privatâ authoritate.*
9 *Solvitur objectio.*
10 *Regula fallit in casu, quo Papa dispensat.*
Papa potest in toto Jure dispensare. *Ibid.*
11 *Fallit secundò secundùm aliquos in casu præscriptionis.*
12 *Probant id ex Jure, & num. seq.*
13 *Ac ex Regula Cancellariæ Apostolicæ de Triennali.*
14 *Secundùm alios nequit beneficium præscriptione obtineri.*
Probant id ex ratione & Jure: & duobus seqq.
17 *Solvunt argumenta contrariai & seq.*
19 *Respondent ad Regulam Cancellariæ de Triennali, eam in foro interno non procedere.*
Oportet concordare Jura Juribus. *ibid.*
20 *Utraque sententia habet sua fundamenta.*
21 *Formalia Regulæ Cancellariæ efferuntur.*
22 *Verius est, Regulam in utroque foro procedere;*
23 *Si debitæ adsint conditiones.*
24 *Papa per Regulam derogavit Juri communi.*
25 De Jure id possumus, quod licitè possumus. *Ulterior ratio pro utroque foro.*
26 *Respondetur ad argumenta contraria.*
27 *Præter alias conditiones requiritur bona fides.*
28 *De aliis requisitis remissivè.*

QUæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis genuinus illius sensus sit? Ante Responsionem notum supponimus priùs ex *lib. III. Tit. V. de Præbend. & Dignit.* quid, & quotuplex sit beneficium: siquidem juxta dicta ibidem *n. 6.* Beneficium Ecclesiasticum propriè dictum est *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale, authoritate ecclesiasticâ constitutum*; quæ definitio *num. 7. & seqq.* ibidem plenè declaratur. Beneficium sic definitum multiplex est, veluti Episcopatus, Abbatia, Præpositura, Decanatus, Personatus, Canonicatus, Parochia, Vicaria perpetua, variæ aliæ beneficia simplicia &c. de quibus *cit. lib. III. Tit. V. §. 2. & 3.* 1

Notum supponimus ulteriùs *ex Tit. VII. de Institution. §. 1.* quid, & quotuplex sit Institutio: Hæc enim juxta dicta ibidem *n. 2.* latè & propriè seu strictè sumi potest. Propriè sumpta est concessio beneficii per Superiorem Ecclesiasticum facta alicui ad præviam præsentationem Patroni: prout *cit. loc. n. 3. & 4.* ampliùs diximus. 2

Institutio latè sumpta comprehendit sub se omnem modum, quo legitimè & canonicè confertur & acquiritur beneficium Ecclesiasticum sive per electionem ritè celebratam & confirmatam: sive per postulationem admissam: sive per præsentationem à Patrono factam cum Institutione subsecuta: sive per liberam collationem: sive per permutationem 3

mutationem interveniente legitimâ authoritate. Et de hac Institutione in lato sensu sumpta intelligenda venit Regula nostra uti *loc. cit. §. 1. n. 1.* jam diximus & probavimus.

4 Ubi etiam *nu. 3. & seq.* ulteriùs diximus, probavimus, & explicavimus qualiter Institutio adhuc sit triplex, *collativa*, nempe, *corporalis* seu *realis*, & *authorizabilis*. *Collativa* est (quam alii etiam verbalem appellant) per quam unô ex num. præc. dictis modis ritè confertur beneficium. *Corporalis*, seu realis est ipsa inductio in possessionem beneficii, quia mediante illa post jam factam Institutionem collativam seu verbalem datur vera realis possessio beneficii priùs legitimè collati, quæ etiam *Investitura* seu Installatio vocatur. *Authorizabilis* est, quâ confertur cura animarum in beneficio curato.

5 Porro Institutio debet esse verè *canonica*: id est, juxta præscriptum SS. Canonum facta; sicut enim *legitimum* dicitur, quod legibus conforme est, sic *Canonicum* vocatur, quod juxta SS. Canones fit. Requirunt autem SS. Canones ad Institutionem Canonicam tria, videlicet ut fiat sine vitio conferentis, recipientis, & formæ: seu ut in conferente beneficium adsit legitima potestas, sive jus conferendi illud: & in recipiente habilitas, seu ne sit inhabilis ad recipiendum beneficium: ac ut debita à Jure, vel consuetudine aut peculiari locorum statuto præscripta servetur forma, prout ampliùs diximus *loc. cit. num. 10. & seqq.* Quænam autem ad quamvis Institutionem canonicam requiratur forma, quis gaudeat potestate eligendi, postulandi, beneficium conferendi &c. & quinam habiles vel inhabiles sint ad illud recipiendum plenè diximus *lib. I. Tit V. de Postulat.* item *Tit. VI. de Electione. Tit. XIV. de ætate & qualitate præficiendorum.* Item *lib. III. Tit. V. de Præbend. & Dignit.* His præsuppositis,

6 Resp. ad quæstionem num. 1. positam: Regula I. intelligenda est de quovis beneficio propriè tali, & Institutione latè quidem sumpta, semper tamen verè canonica, ita ut verus ac genuinus illius sensus sit: *Nullum beneficium propriè dictum licitè obtineri potest sine Institutione verè canonica, seu juxta Canones facta, talis nempe, in quo nec ex parte conferentis, nec ex parte recipientis beneficium, nec ex parte formæ reperitur vitium seu defectus.* Ratio est; quia Institutio canonica quasi ostium reputatur, unde legitimus patet accessus ad beneficia ecclesiastica; per quod ostium si quis non intrat, & cui verus ostiarius, id est potestate beneficium ecclesiasticum conferendi præditus, & Ecclesiæ Prælatus, servatâ formâ & Regulis Canonicis, non aperit, ille aliunde ascendit, & tanquam fur ac latro reputatur *Joan. 10.* uti cum aliis in hanc Regulam benè discurrit Vivianus. Aliam, eamque solidam ex Jure affert rationem Strein *in hanc R. g. nu. 3.* quia aliàs si beneficium, & fructus ex bonis Ecclesiasticis sine Canonica Institutione & Jure requisitis obtineri possent, *plurimæ in Ecclesia perturbationes, imò ruina sanctæ Religionis oriretur. Can. quoniam invest. 13. can. 16. q. 7.*

7 Declaratur sensus Regulæ exemplis ex Jure desumptis: sic enim 1. quia ex parte conferentis defectus est, ab excommunicato vel suspenso beneficium obtineri nequit, cùm potestate conferendi illud, licèt aliàs sibi competente, tamdiù careat, quamdiù excommunicatus existit. *arg. c. Conquerente. ib. de offic. Judic. ord. & c. Novit. 9. de* 4

his, quæ sunt à Prælat. 2. quia ex parte recipientis defectus est, beneficium obtinere non possunt illegitimè nati, infames, hæretici, infideles, uxorati, bigami, debitâ ætate carentes, &c. quia hi omnes de jure inhabiles sunt ad recipiendum beneficium, uti jam diximus *lib. I. Tit. XIV. de ætate & qualitate præficiendorum.* Ubi n. 2. universalem attulimus rationem ex Epist. S. Clementis ad S. Jacobum Fratrem Domini scripta, & relata *can. Tales 4. dist. 23.* illis verbis: *Melius est enim paucos habere Ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles.* 3. quia ex parte formæ est defectus, si præscriptus modus à Jure *c. quia propter. 42. de Elect.* non servatur, invalida est electio, prout fusè diximus *lib. I. Tit. VI. de Elect. §. 5. à n. 108.* Sic sexcenta alia in Jure reperiuntur exempla, ex quibus patet, quòd si ob defectum conferentis, recipientis vel formæ, Institutio Canonica fieri nequeat, beneficium obtineri non possit.

Ex quibus inferunt Doctores, beneficium etiam licitè obtineri non posse libertâ in alium cessione, vel permutatione cum alio propriâ Beneficiatorum authoritate *c. admonet. 4. de Renunt. c. quæsitum 5. de Rerum permut.* Neque transactione propriè dicta sive onerosa, vel alia pactione, quæ à jure tanquam simoniacæ reprobantur, consequenter canonica institutione carent. *c. constitutus. 4. & c. super eo 7. de Transact. & c. fin. de Pactis.* 3

Nec valet contra hactenus dicta objicere *c. quoniam de Magistris.* ubi decernitur, *ut Magistri, qui clericos & pauperes Scholares gratis docent, competens aliquod beneficium præbeatur*; ergo etiam aliô modô, quàm Institutione Canonica beneficium obtineri potest. Resp. enim, beneficium hic largè sumi, non pro Jure perpetuo percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, sed pro ipsis nudis fructibus, qui tamdiu dari decernuntur, quamdiu Magister docet: vel si Magister est Clericus, & ei beneficium proprium confertur, non decernitur, ut ei sine Institutione Canonica conferatur. 9

Quæritur II. An non dentur fallentiæ contra Regulam hanc I. ita ut possint beneficia sine Institutione Canonica obtineri? Resp. Eam fallere in casu, quo Papa dispensat circa requisita ad Canonicam Institutionem; quia juxta unanimem DD. Papa in quovis Jure Ecclesiastico dispensare valet. *c. Proposuit 4. de Concess. Præbend.* ubi Pontifex ait: *qui secundùm plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare*, junctô *c. 2. de Præbend. in 6.* ibi: *licèt Ecclesiarum, Personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, ita, ut non solùm ipsis, cùm vacant, possit de Jure conferre, verùm etiam jus in ipsis tribuere vacaturis. & Clem. 1. §. fin. ut lite pendente* ibi: *Eccl. siarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plena & libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere ad Romanum Pontificem.* 10

Secundò. Fallere eam volunt plures in casu præscriptionis, ita ut vi hujus sine canonica institutione obtineri, & retineri valeat beneficium bona fide cum titulo saltem colorato possessum. Ita docent Navarr. *Consil 30. de Præb.* Garcias *de Benefic. p. 8. cap. 1. n. 15.* Gomez *de Triennali possess. quæst. 42.* Less. *Lib. II. de Just. & Jure. dubit. 10. n. 35.* Pirrhing *Lib. II. Tit. XXVI. de Præscript. nu. 115.* Sanch. Laym. & alii. 11

sonæ, quàm dignitati exhibendam, quod utique Simoniâ caret, & non tantùm licitum, sed & obligatorium est, *arg. cit. c. gravem. 15. de Jurejur.* junctô Concil. Trident. *Sess. 24. de Reform. c. 12. & c. Egò N. Episcopus 4. de Jurejur.* ubi formula hujusmodi Homagii & professionis præscribitur.

5 Nec valet objicere contra sensum Regulæ, quòd *cit. c. Episcopus. 4. de Jurejur.* in forma Homagii & professionis Episcopis ibidem præscriptæ, inter alia Episcopus etiam ita juret, & se obliget: *Legatum Apostolicæ Sedis, quem certum esse cognovero, in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo*; quæ temporalia esse nemo dubitat. Resp. enim, Episcopos ad præfata Legatis Apostolicis præstanda aliàs jam de jure obligatos esse, consequenter nonnisi ea, quæ de jure debita, & juri insunt, promittere: quæ autem sic insunt, in Juramento exprimi, & à recipiente spiritualia sine labe Simoniæ promitti possunt *c. Significasti. 4. de Elect. & ibi Giess. v. conditione.* Barb. *ibid. n. 2.*

Quæritur II. An, & quas fallentias habeat Regula XI. Resp. Docere quidem aliquos, hanc Regulam in Feudis fallere, utpote propter quæ etiam Clerici Homagium propriè tale Domino directo præstare possunt & debent *arg. c. Cæterum 5. de Judic. & c. Ex transmissa. 6. de foro compet.* Verùm quia feudatarii Clerici Homagium non præstant pro re spirituali, sed pro temporali, pro bonis videlicet temporalibus, Clerico sive regulari, sive sæculari, seu eorum Ecclesiæ aut Monasterio in feudum concessis, indeque agunt, ad quæ aliàs de jure tenentur, contra Regulam nostram minimè agunt, consequenter in casu feudi Regulam fallere dicendum non est: de cujusmodi Feudis ampliùs diximus *lib. III. Tit. XX. §. 2. num. 51.* 5

CAPUT II.

De Regulis Juris in Sexto.

REGULA I.

Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sinè institutione Canonica obtineri.

SUMMARIUM.

1 *Quid? & quotuplex sit Beneficium?*
2 *Institutio beneficii alia propriè talis & strictè accepta:*
3 *Alia latè sumpta.*
4 *Latè sumpta alia collativa, seu verbalis: alia corporalis seu realis, quæ etiam Investitura dicitur: alia authorizabilis.*
5 *Institutio Canonica quid?*
6 *Quis sit verus sensus Regulæ?*
7 *Declaratur exemplis ex Jure desumptis.*
8 *Beneficium obtineri nequit per liberam in alium cessionem, vel mutationem cum illo privatâ authoritate.*
9 *Solvitur objectio.*
10 *Regula fallit in casu, quo Papa dispensat.*
Papa potest in toto Jure dispensare. *Ibid.*
11 *Fallit secundò secundùm aliquos in casu præscriptionis.*
12 *Probant id ex Jure, & num. seq.*
13 *Ac ex Regula Cancellariæ Apostolicæ de Triennali.*
14 *Secundùm alios nequit beneficium præscriptione obtineri.*
Probant id ex ratione & Jure: & duobus seqq.
17 *Solvunt argumenta contrariai & seq.*
19 *Respondent ad Regulam Cancellariæ de Triennali, eam in foro interno non procedere.*
Oportet concordare Jura Juribus. *ibid.*
20 *Utraque sententia habet sua fundamenta.*
21 *Formalia Regulæ Cancellariæ efferuntur.*
22 *Verius est, Regulam in utroque foro procedere;*
23 *Si debitæ adsint conditiones.*
24 *Papa per Regulam derogavit Juri communi.*
25 De Jure id possumus, quod licitè possumus. *Ulterior ratio pro utroque foro.*
26 *Respondetur ad argumenta contraria.*
27 *Præter alias conditiones requiritur bona fides.*
28 *De aliis requisitis remissivè.*

QUæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis genuinus illius sensus sit? Ante Responsionem notum supponimus priùs ex *lib. III. Tit. V. de Præbend. & Dignit.* quid, & quotuplex sit beneficium: siquidem juxta dicta ibidem *n. 6.* Beneficium Ecclesiasticum propriè dictum est *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale, authoritate ecclesiasticâ constitutum*; quæ definitio *num. 7. & seqq.* ibidem plenè declaratur. Beneficium sic definitum multiplex est, veluti Episcopatus, Abbatia, Præpositura, Decanatus, Personatus, Canonicatus, Parochia, Vicaria perpetua, variæ aliæ beneficia simplicia &c. de quibus *cit. lib. III. Tit. V. §. 2. & 3.* 1

Notum supponimus ulteriùs *ex Tit. VII. de Institution. §. 1.* quid, & quotuplex sit Institutio: Hæc enim juxta dicta ibidem *n. 2.* latè & propriè seu strictè sumi potest. Propriè sumpta est concessio beneficii per Superiorem Ecclesiasticum facta alicui ad præviam præsentationem Patroni: prout *cit. loc. n. 3. & 4.* ampliùs diximus. 2

Institutio latè sumpta comprehendit sub se omnem modum, quo legitimè & canonicè confertur & acquiritur beneficium Ecclesiasticum sive per electionem ritè celebratam & confirmatam: sive per postulationem admissam: sive per præsentationem à Patrono factam cum Institutione subsecuta: sive per liberam collationem: sive per permutationem 3

mutationem interveniente legitimâ authoritate. Et de hac Institutione in lato sensu sumpta intelligenda venit Regula nostra uti *loc. cit. §. 1. n. 1.* jam diximus & probavimus.

4 Ubi etiam *nu. 3. & seq.* ulteriùs diximus, probavimus, & explicavimus qualiter Institutio adhuc sit triplex, *collativa*, nempe, *corporalis* seu *realis*, & *authorizabilis*. *Collativa* est (quam alii etiam verbalem appellant) per quam unô ex num. præc. dictis modis ritè confertur beneficium. *Corporalis*, seu realis est ipsa inductio in possessionem beneficii, quia mediante illa post jam factam Institutionem collativam seu verbalem datur vera realis possessio beneficii priùs legitimè collati, quæ etiam *Investitura* seu Installatio vocatur. *Authorizabilis* est, quâ confertur cura animarum in beneficio curato.

5 Porro Institutio debet esse verè *canonica*: id est, juxta præscriptum SS. Canonum facta; sicut enim *legitimum* dicitur, quod legibus conforme est, sic *Canonicum* vocatur, quod juxta SS. Canones fit. Requirunt autem SS. Canones ad Institutionem Canonicam tria, videlicet ut fiat sine vitio conferentis, recipientis, & formæ: seu ut in conferente beneficium adsit legitima potestas, sive jus conferendi illud: & in recipiente habilitas, seu ne sit inhabilis ad recipiendum beneficium: ac ut debita à Jure, vel consuetudine aut peculiari locorum statuto præscripta servetur forma, prout ampliùs diximus *loc. cit. num. 10. & seqq.* Quænam autem ad quamvis Institutionem canonicam requiratur forma, quis gaudeat potestate eligendi, postulandi, beneficium conferendi &c. & quinam habiles vel inhabiles sint ad illud recipiendum plenè diximus *lib. I. Tit V. de Postulat.* item *Tit. VI. de Electione. Tit. XIV. de ætate & qualitate præficiendorum.* Item *lib. III. Tit. V. de Præbend. & Dignit.* His præsuppositis,

6 Resp. ad quæstionem num. 1. positam: Regula I. intelligenda est de quovis beneficio propriè tali, & Institutione latè quidem sumpta, semper tamen verè canonica, ita ut verus ac genuinus illius sensus sit: *Nullum beneficium propriè dictum licitè obtineri potest sine Institutione verè canonica, seu juxta Canones facta, talis nempe, in quo nec ex parte conferentis, nec ex parte recipientis beneficium, nec ex parte formæ reperitur vitium seu defectus.* Ratio est; quia Institutio canonica quasi ostium reputatur, unde legitimus patet accessus ad beneficia ecclesiastica; per quod ostium si quis non intrat, & cui verus ostiarius, id est potestate beneficium ecclesiasticum conferendi præditus, & Ecclesiæ Prælatus, servatâ formâ & Regulis Canonicis, non aperit, ille aliunde ascendit, & tanquam fur ac latro reputatur *Joan. 10.* uti cum aliis in hanc Regulam benè discurrit Vivianus. Aliam, eamque solidam ex Jure affert rationem Strein *in hanc R. g. nu. 3.* quia aliàs si beneficium, & fructus ex bonis Ecclesiasticis sine Canonica Institutione & Jure requisitis obtineri possent, *plurimæ in Ecclesia perturbationes, imò ruina sanctæ Religionis oriretur. Can. quoniam invest. 13. can. 16. q. 7.*

7 Declaratur sensus Regulæ exemplis ex Jure desumptis: sic enim 1. quia ex parte conferentis defectus est, ab excommunicato vel suspenso beneficium obtineri nequit, cùm potestate conferendi illud, licèt aliàs sibi competente, tamdiù careat, quamdiù excommunicatus existit. *arg. c. Conquerente. ib. de offic. Judic. ord. & c. Novit. 9. de* 4

his, quæ sunt à Prælat. 2. quia ex parte recipientis defectus est, beneficium obtinere non possunt illegitimè nati, infames, hæretici, infideles, uxorati, bigami, debitâ ætate carentes, &c. quia hi omnes de jure inhabiles sunt ad recipiendum beneficium, uti jam diximus *lib. I. Tit. XIV. de ætate & qualitate præficiendorum.* Ubi n. 2. universalem attulimus rationem ex Epist. S. Clementis ad S. Jacobum Fratrem Domini scripta, & relata *can. Tales 4. dist. 23.* illis verbis: *Melius est enim paucos habere Ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles.* 3. quia ex parte formæ est defectus, si præscriptus modus à Jure *c. quia propter. 42. de Elect.* non servatur, invalida est electio, prout fusè diximus *lib. I. Tit. VI. de Elect. §. 5. à n. 108.* Sic sexcenta alia in Jure reperiuntur exempla, ex quibus patet, quòd si ob defectum conferentis, recipientis vel formæ, Institutio Canonica fieri nequeat, beneficium obtineri non possit.

Ex quibus inferunt Doctores, beneficium etiam licitè obtineri non posse libertâ in alium cessione, vel permutatione cum alio propriâ Beneficiatorum authoritate *c. admonet. 4. de Renunt. c. quæsitum 5. de Rerum permut.* Neque transactione propriè dicta sive onerosa, vel alia pactione, quæ à jure tanquam simoniacæ reprobantur, consequenter canonica institutione carent. *c. constitutus. 4. & c. super eo 7. de Transact. & c. fin. de Pactis.* 3

Nec valet contra hactenus dicta objicere *c. quoniam de Magistris.* ubi decernitur, *ut Magistri, qui clericos & pauperes Scholares gratis docent, competens aliquod beneficium præbeatur*; ergo etiam aliô modô, quàm Institutione Canonica beneficium obtineri potest. Resp. enim, beneficium hic largè sumi, non pro Jure perpetuo percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, sed pro ipsis nudis fructibus, qui tamdiu dari decernuntur, quamdiu Magister docet: vel si Magister est Clericus, & ei beneficium proprium confertur, non decernitur, ut ei sine Institutione Canonica conferatur. 9

Quæritur II. An non dentur fallentiæ contra Regulam hanc I. ita ut possint beneficia sine Institutione Canonica obtineri? Resp. Eam fallere in casu, quo Papa dispensat circa requisita ad Canonicam Institutionem; quia juxta unanimem DD. Papa in quovis Jure Ecclesiastico dispensare valet. *c. Proposuit 4. de Concess. Præbend.* ubi Pontifex ait: *qui secundùm plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare*, junctô *c. 2. de Præbend. in 6.* ibi: *licèt Ecclesiarum, Personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, ita, ut non solùm ipsis, cùm vacant, possit de Jure conferre, verùm etiam jus in ipsis tribuere vacaturis. & Clem. 1. §. fin. ut lite pendente* ibi: *Eccl. siarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plena & libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere ad Romanum Pontificem.* 10

Secundò. Fallere eam volunt plures in casu præscriptionis, ita ut vi hujus sine canonica institutione obtineri, & retineri valeat beneficium bona fide cum titulo saltem colorato possessum. Ita docent Navarr. *Consil 30. de Præb.* Garcias *de Benefic. p. 8. cap. 1. n. 15.* Gomez *de Triennali possess. quæst. 42.* Less. *Lib. II. de Just. & Jure. dubit. 10. n. 35.* Pirrhing *Lib. II. Tit. XXVI. de Præscript. nu. 115.* Sanch. Laym. & alii. 11

12 Moventur 1. *ex c. Cura* 11. *de Jure Patronatûs.* ubi aperte videtur admitti præscriptio in beneficio, ibi: *Ex donatione Laicorum nullus vestrûm aliquas sibi Ecclesias vindicare præsumat vel retinere taliter acquisitas, nisi legitima præscriptione fuerit munitus.* Ergo, inferunt, ubi legitima præscriptio adest, eâ beneficium obtineri & retineri potest 2. *Ex can. Possessiones. can.* 16. *q.* 1. *& concord. vi* quorum possunt intuitu meritorum Religionis aut necessitatis fructus seu proventus Ecclesiastici sine Institutione Canonica præscribi; ergo etiam beneficium, quod est jus dictos fructus percipiendi.

13 3. Et quidem principaliter ex Regula Cancellariæ Apostolicæ de Triennali (quam quidem communiter 33. dicunt, sed de facto 36. est, uti constat ex *lib. III. Tit. V. de Præb. & Dign. §.* 16. *ad finem*, ubi omnes Regulæ Cancellariæ tempore Clementis XI. vigentes per extensum adduximus, inter quas 36. de Triennali reperitur.) in hac siquidem Regula expresè disponitur, quòd si quis beneficium per triennium pacificè possederit, super eodem ita possessor amplius molestari nequeat.

14 Econtra Glossa hîc v. *Beneficium* Covarruv. *p.* 2. *in c. Possessor.* §. 10. *n.* 10. *v. Sexta Conclusio.* Zoësius *de Præscrip. n.* 19. Abbas *in c. Pastoralis de causa Possess. n.* 27. Palao *Tract.* 13. *disp.* 2. *p.* 33. *n.* 3. Strein. *in hanc Reg. n.* 3. *& seqq.* absolutè volunt, nec triennio, nec longiori tempore beneficium sine Canonica Institutione præscribi, vel præscriptione obtineri, aut retineri posse. Probant id præcipuè ex illa ratione, quòd sine possessione non currat præscriptio *l. sine possess.* 25. *ff. de acquir. possess. & R g* 3. *de R. J in* 6. ibi: *sine possessione præscriptio non procedit*: Beneficium Ecclesiasticum verò sine Canonica Institutione nequit possideri; cùm sine illa non valeat obineri, uti habet textus clarus Regulæ nostræ. Accedit, quòd possessioni beneficii sine canonica institutione obtenti resistat jus *arg. hujus Reg.* 1. *v. Non potest.* ubi autem jus resistit, juridica possessio non datur. *L. qui universas* 30. §. 1. *v. Namque ff. de acquir. poss. ff.* Ergo nec præscriptio, ut de Glossa cit. ait: *In beneficiis consideratur canonica institutio, non possessio antiqua: & sic nota casum, in quo non currit præscriptio.*

15 Probant 2. ex *c. Ex frequentibus.* 3. *de insiit.* ubi pro excommunicatis habentur, qui ex longæva consuetudine (quam Papa *pravam* appellat) beneficia ecclesiastica sine institutione canonica receperunt vel retinuerunt non obstante antiqua possessione: de quibus sic retinentibus Glossa, v. *detinent*, ait: *quòd nullam possit habere excusationem, quantocunque tempore ea tenuerit, quia diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed auget. arg. c. Non satis.* §. *de Simonia.*

16 Probant 3. Ex mala sequela: quia si beneficium ecclesiasticum absque canonica institutione vi triennalis possessionis, & inde factæ præscriptionis obtineri & retineri posset, sequeretur, Ordinarium in Canonica Visitatione non posse à triennali possessore exigere, & examinare titulum beneficii, quod est contra torrentem Doctorum, quorum sententiam etiam nos sumus secuti *lib. III. Tit. V. de Præbend. n.* 349.

17 Argumenta contrarium sentientium à n. 12. adducta ita solvunt: Et quidem ad *c. Cura de jure Patronat.* respondet Glossa hîc v. *obtineri. Hic non præscribitur Ecclesia tanquam beneficium sed ut proprietas.* Potest enim Ecclesia jure proprietatis præscribi per aliam Ecclesiam, ut sit ibi subjecta vel unita. *c.* 1. *de Præscript.* prout *lib. II. Tit. XXVI. n.* 34. jam dictum, non autem ut beneficium.

18 Ad *can. Possessiones*, ibid. cit. ajunt: ibi non esse sermonem ullum de proprio beneficio, sed de solis nudis fructibus beneficii, quos ex justis causis etiam aliis tribui posse extra dubium est per cit. can. & plura alia jura. Nec tamen tales fructus percipiens pro rè dicitur beneficiatus, vel canonicus, cum *fructus beneficii ex justa causa etiam laicus possit habere, non tamen potest esse canonicus*, ut benè notat Glossa *in c. Cum M. de constit. v. receperunt.*

Ad Regulam Cancellariæ de Triennali Respondent, eam præcisè ad lites in foro externo vitandas & tollendas esse introductam, hunc que solum esse finem illius, ac propterea in tantum duntaxat prodesse habenti possessionem triennalem, quòd in foro externo ab alio molestari amplius non valeat; minimè verò juvare ipsum in foro interno, quin in conscientia gravi terobligatus maneat, ut beneficium sine institutione canonica ob defectum ex parte conferentis, recipientis, vel formæ intervenientem obtentum iterum dimittat, cùm *finis & ratio legis sit anima legis. can. Consuetudo.* 5. *dist.* 1. *& Certum sit, quòd is committat in legem, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem* juxta *Reg.* 88. *J. in* 6. Accedit, quòd per hanc responsionem evitetur absurdum supra n. 16. positum, & magis salvetur concordantia juris communis cum Regula Cancellariæ eorumque vitetur correctio ac contradictio, quod pro possibili semper fieri oportet. *c. cùm expediat.* 29. *de Elect. in* 6. ibi: *Expedit concordare jura juribus, & eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari.* 19

Fatendum sanè, utramque sententiam suis non carere fundamentis: & quoniam circa hanc controversiam in specie nos in Jure Canonico positivè nil adhuc resolvimus, sed *lib. II. Tit. XXVI. nu.* 35. Authores pro & contra sentientes duntaxat adduximus, de eadem utpote multùm practica etiam nostram opinionem infra n. 22. aperiemus; ad quam magis firmandam & intelligendam operæ pretium duximus, prius per extensum adducere totam Regulam Cancellariæ de Triennali. Hæc itaque Regula num. 36. olim 33. sic sonat. 20

De Triennali.

36. Item statuit, & ordinavit idem D. N. quòd si quis quæcunque beneficia Ecclesiastica quæliacunque sint absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, Apostolica vel ordinaria collatione aut electione, & electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione & institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederit (dummodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex reservatione generali in corpore Juris clausa reservata fuerint se non intruserit) super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas & inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitùs extinguendo. 21

Suppositâ itaque hoc tenore Regulæ, & attenta vi Juris, quam Regulæ Cancellariæ habent, dicimus, Eum, qui etiam absque institutione canonica (sive vitium & defectus se teneat ex parte conferentis, sive recipientis, sive formæ) beneficium per triennium pacificè possidet, non in foro externo duntaxat, sed etiam interno validè & licitè illud retinere, eôque frui, & à nemine amplius molestari valet, si quinque sequentes conditiones concurrant, videlicet. 22

Primò. Si illud absque Simonia obtinuit.

Secundò. Si illud ex titulo saltem colorato etsi aliàs vitium Juris habente, v. g. per electionem formæ juris minùs conformem, vel collationem, vel præsentationem & subsecutam institutionem minùs legitimam obtinuit. 23

Tertiò. Si per integrum triennium nulla super beneficio mota fuerit lis, consequenter omnino pacificè fuerit possessum.

Quartò. Si se non intrusit in casu, quò beneficium Sedi Apostolicæ ex reservatione generali in corpore Juris est reservatum.

Quintò. Si illud non tantùm pacificè, sed etiam bona fide possederit. 19

24 Ratio præcipua Conclusionis est, quod licèt vi Juris communis beneficium Ecclesiasticum sine canonica institutione licitè nec obtineri, nec retineri valeat per hactenus dicta, tamen Papa sicut in aliis, sic etiam in materia beneficiorum jus commune de plenitudine potestatis immutare, corrigere, vel in eo dispensare valeat, textu clato *c.* 2. *de Præb. in* 6. cum concord. n. 10. allegatis, idque per citatam Regulam Cancellariæ expresè fecisse, & quemlibet Papam de novo facere posse, quando de novo Regulas Cancellariæ edit, manifestum appareat.

25 Conclusioni nostræ obstare non videtur, quod dicunt contrariæ opinionis authores, videlicet rationem, finem & intentionem condendi hanc Regulam præcisè fuisse, tollere & vitare lites in foro externo, consequemer in foro interno eam non procedere. Nam contra est; Tum quia si Papa inde finitè aliquid statuit, approbat, retineri posse asserit, ordinariè pro utroque foro intelligendum venit, nisi aliter exprimat, uti ex innumeris Juris exemplis, ipsisque aliis Regulis Cancellariæ Apostolicæ patet; nam ordinariè loquendo *id de jure possumus, quod licitè possumus*, uti benè observat Glossa in hanc Regulam *v. licitè. arg. l. Nepos Proculo.* 125 *ff. de Verb. Signif.* & ibi Alciatus Berb. *de Dictionibus. Dict.* 268. *n.* 7. consequenter quia Papa vi Regulæ Cancellariæ dicit, Beneficium triennio pacificè possessum, *retineri posse* de utroque foro, sicque etiam de licita retentione intelligendas est. Tum quia aliàs dicta Regula foret scandalosa, utpote occasionem continui peccati præbens, & periculum interitûs animæ inducens, hoc ipso quòd expresè dicat, pacificum possessorem triennalem beneficium retinere posse, alioquin illum super eo molestare non valere: & tamen retinentem semper continuò graviter peccare implicitè asserat, sicque illud ad jugiter peccandum inducat, eô ferè modô, quò leges Civiles præscriptionem longissimi temporis etiam cum mala fide admittentes tanquam peccati occasionem præbentes à SS. Canonibus meritò reprobatæ existunt, conformiter toti *Tit. Constit.* & *c. fin. de Præscript.* ibi: *cùm sit generaliter omni constitutioni derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari.* Tum quia sæpè dicta Regula in favorem triennaliter possidentium inducta, possidenti plùs noceret, quàm faveret, eique non tam utilis, quàm perniciosa foret, dum, etsi illum in foro externo à litibus immunem redderet, in conscientia illaqueatum, & continuo peccato mortali gravatum, sicque in summo periculo æterni interitûs incomparabiliter majori cum damno quàm commodo constitutum relinqueret: *quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Et per hoc patet etiam responsio ad jura in contrarium allata n. 14. & 15. quia videlicet eâdem derogatum censetur per Regulam Cancellariæ. Ad sequelam n. 16. positam respondetur, eam minimè sequi; quia non obstante, quòd quis beneficium vi possessionis triennalis habeat, potest ab illo Ordinarius petere titulum, & videre, an illum saltem coloratum habeat, utpote quem ipsa Regula requirit. 26

Cæterùm quòd necessariæ sint quinque conditiones à n. 22. positæ, ratio est, quia quatuor primas ipsa etiam Regula Cancellariæ expresè requirit, uti legenti patet. Quinta autem ideò necessaria est, quia sine illa nulla nec triennalis datur præscriptio. *c.* 2. *de R. J. in* 6. ibi: *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Hinc licet Regula Cancellariæ de bona fide expressam memoriam non faciat, eam tamen implicitè requirit; cùm aliàs iterum ansam præberet peccandi, quòd omnis generis malitiosi homines sub spe acquirendi triennalem possessionem, & eâ mediante obtinendi stabile beneficium, variis dolis & malitiis suragerent obtinere beneficium, utpote certi & securi, quòd quantumvis iniquè & mala fide illud acquirant, post triennium tamen validè & licitè illud retinere valeant. 27

Porro quandonam in obtinendo beneficio Simonia committatur, plenè declaratum habetur *Lib. V. Tit. III. de Simonia.* Quandonam autem habeatur titulus saltem coloratus, ex *Lib. III. Tit. V. de Præb. & Dignit.* videre est: ex quo *Lib. & Tit.* §. 15. etiam habes, quando dicatur beneficium reservatum Sedi Apostolicæ. Quando verò quis dicatur *intrusus*, fusè explicatum est *cit. Lib. III. Tit. V.* §. 17. post Regulas Cancellariæ. Quando autem quis censeatur habere bonam fidem patebit ex Regula statim sequente, dum interea Controversiam circa Regulam Cancellariæ Apostolicæ de Triennali compendiosè & substantialiter ita concludimus: *Quicunque beneficium Ecclesiasticum cum titulo saltem colorato bona fide per integrum triennium pacificè possidet, validè & licitè in foro utroque illud retinere, & à nemine amplius molestari potest, dummodo simoniacè non obtinuerit, & casu quo beneficium ex reservatione generali in corpore Juris clausa Sedi Apostolicæ reservatum est, in illud intrusus non sit.* 28

REGULA III.

Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit bona fides?*
2 *Et quid mala?*
3 *Qui possidet rem, quam scit vel judicat esse alienam, eam nullo tempore præscribere potest:*
4 *Etsi id non ab initio, sed intermedio præscriptionis tempore cognoscat.*
5 *Post completum præscriptionis tempus resciens rem esse alienam, non tenetur eam restituere.*
6 *Qui ab initio dubitat, an res sit aliena, non potest eam præscribere:*
7 *Benè verò si dubium intermedio præscriptionis tempore primùm supervenit.*
8 *Num requiratur non tantùm theologica, sed etiam juridica fides bona?*

9 *Verus sensus Regulæ quis sit?*
10 *Per illam correctam fuit Jus civile admittens malam fidem in præscriptione.*
11 *Tempus immemoriale non excusat à mala fide.*
12 *In foro externo bona fides præsumitur, donec probetur mala.*
13 *Quibus modis mala fides probari possit.*
14 *Fallentia aliqua circa hanc Regulam.*

1 QUæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis proprius illius sensus sit? Suppositâ ex lib. II. Tit. XXVI. notitiâ præscriptionis ante Responsionem, Notandum, quòd per bonam fidem pro acquirenda præscriptione requisitam nil aliud intelligatur, quàm proba existimatio sive credulitas, quâ quis prudenter credit vel judicat rem, quam possidet, & de cujus præscriptione quæritur, esse suam. *arg. can. S' virgo* 5. *caus.* 34. *q.* 1. Dicitur autem notanter *prudenter*, seu rationabiliter; nam qui ex crassa vel affectata ignorantia id judicat, bonam fidem habere censendus non est, quia malè, seu iniquè ignorat rem non esse suam, sed alienam, juxta illud *Psal.* 68. *Noluit intelligere, ut bene ageret.*

2 Mala fides econtra ad propositum in ordine ad præscriptionem est certa scientia seu cognitio, quâ quis scit, vel prudens existimatio aut credulitas, quâ prudenter seu rationabiliter credit vel judicat, rem, quam possidet, & præscribere vult, non esse suam, sed alienam. *arg. c. fin. de præscript.* Hoc notato,

3 Resp. I Regula H. id dicere vults quòd possessor malæ fidei, hoc est, ille, qui possidet rem aliquam, quam scit, vel prudenter credit aut existimat, esse alienam, eam nullo, etiam longissimo & immemoriali tempore præscribere possit. Ratio datur *cap. fin. de Præscript.* ibi: *quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Synodali judicio definimus, *ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica quàm civilis.*

4 Procedit Regula etiam casu, quo quis possessionem bona fide incœpit quidem, prudenter credens vel judicans rem esse suam, postea verò tempore intermedio ad præscribendum per Jura requisito rescit, vel prudenter credit aut judicat rem esse alienam: textu claro *cit. c. fin. de Præscript.* ibi: *Oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.*

5 Secus foret, si post jam completum bona fide tempus requisitum supervenit notitia, rem fuisse alienam; quia quamvis fuerit aliena, tamen vi præscriptionis legitimæ postea facta est propria possessoris, ita ut eam non ut alienam mala fide, sed ut suam bona fide possideat, consequenter eam restituere non amplius teneatur, sed ut suam in utroque foro validè & licitè retinere queat: prout cum Glossa communiter recepta *in c. fin. de Præscript. & c. Vigilanti 5. eod v. noverit.* amplius diximus & probavimus *lib. II. Tit. XXVI. de Præscript. à n.* 21.

6 Pariter procedit Regula in casu, quo quis statim ab initio, dum rem possidere incipit, dubitat an res sua, vel aliena sit; quia talis bonâ fide ad præscriptionem semper necessariâ caret. *c. fin. de Præscript.*

7 Non tamen procedit in casu, quo post possessionem bona fide jam cœptam dubium supervenit; quia licèt in hoc casu indagare teneatur de veritate, nihilominus donec de ea verisimiliter & prudenter constet, possessionem & præscriptionem continuare potest, quia *in pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*, juxta *Reg. 65. de R. J. in 6.* vi cujus Regulæ rem hujusmodi quasi suam, consequenter bona fide possidere potest, donec intra tempus præscriptum appareat aliena, uti amplius declaravimus *lib. II. Tit. XXVI. de Præscrip. n. 65.*

Num autem ad Præscriptionem non tantùm fides bona Theologica, sed etiam Juridica requiratur, sicque non tantùm ignorantia facti, sed & Juris excuset à mala fide, sufficienter explanatum habetur *lib. II. Tit. XXVI. à n. 67.* ubi vide, ne superflua fiat repetitio. Cæterum ex hactenus dictis,

Resp. II. Verus & genuinus sensus Regulæ secundæ, & quidem in ordine ad malam fidem sequens est: *Possessor malæ fidei, saltem theologicæ, id est, ille, qui possidet rem aliquam, quam ab initio, vel intermedio tempore ad præscriptionem per Jura requisito scit, vel prudenter credit aut judicat, vel ab initio possessionis dubitat, esse alienam, eam nullo etiam immemoriali tempore præscribere potest.* Vel loquendo de bona fide requisita, sequens: *Nemo rem alienam præscribere potest, nisi toto tempore ad præscriptionem de Jure requisito prudenter & rationabiliter credat vel existimet, eam esse suam, aut saltem ab initio possessionis non dubitet, eam esse alienam*, per Rationes & Jura supra allegata.

Solùm specialiter Notandum, quòd per Regulam nostram, & concordantia Jura allegata, correctæ sint Leges Civiles. *l. un. C. de Usucap. transform. & §. diutina. 12. Instit. eod.* vi quarum ad præscriptionem rerum mobilium triennium, & ad immobilium longum tempus sufficiebat, dummodo ab initio adfuerit bona fides. Et *l. si quis §. 1. C. de Præscript. 30. & 40. annor.* vi cujus ad præscriptionem longissimi temporis bona fides nec quidem ab initio requiritur. Correctæ sunt, inquam, hæ leges civiles, & pro correctis, ac non amplius attendendis tam à Legistis, quàm Canonistis habentur. *arg. c. fin. de Præscript.* ibi: *tam Canonica, quàm Civilis.* Et meritò, quia nutriebant peccatum, & alliciebant ad illud, cùm homines sub spe vel desiderio acquirendi præscriptionem, rem, quam sciebant alienam, dimittere noluerint, sicque continuò in gravi peccato perrexerunt. Cujusmodi Lex tanquam scandalosa, & animabus damnosa à Jure Canonico corrigi omnino potest & debet textu claro *cit. c. fin. de Præscript.* ibi: *Cùm generaliter omni Constitutioni sit derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari.* præsertim cùm in materia concernente salutem animarum, Juris Canonici dispositio in utroque, tam Civili videlicet, quàm Canonico foro sit observanda juxta ea, quæ dicta sunt in Proœmio *Lib. I. Decret. §. 12. n. 217. & seqq.*

Nec juvat mala fide præscribentem longissimum vel immemoriale tempus quamvis enim hujusmodi tempus ordinariè præbeat præsumptionem Juris, & de Jure de bona fide, uti cum Glossa & aliis benè observat & docet Barbos. ad hanc Regulam *n. 6.* tamen in casu, quo prudenter constat, malam fidem vel ab initio possessionis adfuisse, vel intermedio ad præscriptionem requisito tempore intervenisse, prorsus nil prodest. *c. Vigilanti c. de Præscript.* ibi: *Quoniam nulla antiqua eorum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem.* Et meritò quia eò gravius peccaminosa & animabus periculosa est malæ fidei possessio, quò longiori tempore fuerit protracta. *arg. c. fin. de consuet.* ut proin mala fides potiùs in præscriptione longissimi, quàm ordinarii temporis per SS. Canones fuerit removenda, uti benè observat Dynus *in hanc Reg. n. 6.* & Barb. *in cit. c. fin. n. 6.*

Cæterum benè Notandum, quòd bona fides possidentis rem alienam, in foro externo semper præsumatur, nisi probetur contrarium, uti benè advertit Glossa communiter recepta in *c. Si diligenti. 17. de Præ-*

Præscript. v. bona Fides L. Verius 21. ff. de Probat. junctâ *Reg. 47. J. in 6. Præsumitur ignorantia* (facti scilicet de injusta possessione rei alienæ, non Juris) *ubi scientia non probatur.* ac *c. fin. de præsumpt.* vi cujus quivis præsumitur bonæ, donec probetur malus.

13 Quomodo autem, seu quibus modis & mediis probari possit mala fides possidentis rem alienam, ex professo traditum habetur *Lib. II. Tit. XXVI. à n. 84.* Solùm notandum, quòd cùm juxta dicta n. 11. in præscriptione immemoriali, vel longissimi præsumptio Juris & de Jure de bona fide stet pro possidente, mala fides illius non nisi illis modis probari possit, quibus aliquid probatur contra præsumptionem Juris, & de Jure juxta Gloss. communiter receptam in *c. Is qui fidem 30. de Sponsal.* & benè *in hanc Reg. loc. cit.* observat Barb.

Quæritur II. Utrum detur Exceptio seu fallentia circa hanc Regulam, Resp. Juxta aliquos inveniri aliquam *cap. Placuit. 1. de Præscript.* ubi Episcopus locum à se ad fidem conversum triennio præscripsit contra alium Episcopum, qui monitus locum convertere neglexit, licèt Episcopus præscribens ab initio, & intermedio tempore optimè sciverit, locum non suæ, sed alterius esse Diœcesis, consequenter in mala fide constitutus fuisse videatur, quamvis alii hunc Episcopum à mala fide, etiam ab initio possessionis immunem dicant, & ideo in hoc casu fallentiam esse negent, eo quòd specialiter constitutum sit à Jure favore fidei, ut in hujusmodi casibus talis Præscriptio fieri queat, indeque etiam ita præscribens authoritate canonis excusetur, uti benè advertit *Gloss. in can. placuit. 1. cau. 16. q. 1.* 14

REGULA III.

Sine possessione præscriptio non procedit.

SUMMARIUM.

1 *Unde hæc Regula?*
2 *Possessio quid?*
3 *Alia est naturalis seu corporalis tantùm:*
4 *Alia Civilis seu Juris tantùm:*
5 *Alia naturalis & civilis simul:*
6 *Alia civilissima.*
7 *In rebus incorporalibus non datur vera, sed quasi possessio, quæ idem operatur, ac illa.*
8 *Ad inchoandam præscriptionem rerum corporalium requiritur possessio naturalis & civilis simul: ad continuandam sufficit sola civilis:*
9 *Non item naturalis.*
10 *Ad præscriptionem rerum incorporalium requiritur & sufficit quasi possessio.*
11 *Verus sensus Regulæ quis sit?*
12 *Declaratur Juris exemplis, & seqq.*
13 *Plura de Possessione remissivè.*

1 HÆc Regula concordat cum *L. sine possessione 25. ff. de Usurpat. & Usucap.* & juxta Barb. *hic n. 1.* ex eadem desumpta est, ibi: *Sine possessione usucapio contingere non potest.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis genuinus illius sensus sit? Ante responsionem pro faciliori intelligentia hujus Regulæ breviter recapitulare servit, quæ *lib. II. Tit. XII. de Causa possess. & proprietate. §. 1.* jam dicta sunt, quid & quotuplex sit possessio. Hæc siquidem juxta ibidem dicta, est rei corporalis detentio concurrente corporis, animi & Juris adminiculo: dum nempe quis rem naturaliter non tantùm detinet, sed eam detinendi etiam jus & animum habet. Quæ definitio tamen Possessioni corporali & civili simul sumptæ duntaxat competit.

3 Sciendum namque, Possessionem aliam esse naturalem seu corporalem tantùm (quam alii etiam possessionem facti appellant) aliam civilem, seu Juris tantùm: aliam naturalem seu corporalem, & civilem seu Juris simul. Possessio naturalis est ipsemet actus possidendi, seu actualis detentio rei, quâ quis animo simul & corpore rem detinet, atque rei ipsi præsens existit, vel saltem res in ejus conspectu est.

Possessio Civilis, seu Juris tantùm, est quæ habetur juris adminiculo, & de Jure solo animo continuatur: prout fit, quando possessor nec est in re, nec res in conspectu illius, uti contingit, si possessor à rebus suis sine animo eas deserendi ad tempus corpore discedit; in hujusmodi enim casu, etsi rem suam corporaliter non possideat, eam tamen civiliter, ac de jure possidet, cùm animum & jus possessionem continuandi habeat. *l. licèt. 4. C. de acquir. Possess.* 4

Possessio naturalis seu corporalis, & Civilis seu Juris simul, est, quando utraque simul concurrit, ita ut quis rem aliquam non tantùm corporaliter actu possideat, sed eam possidendi etiam jus & animum habeat: quæ possessio semper justa est: cùm econtra possessio naturalis tantùm etiam injusto invasori competere possit. Hinc juxta *gloss. hic: Possessio naturalis tantùm, plurimùm facti, & parùm vel nil juris dicitur habere: Possessio civilis tantùm plurimùm juris, & parùm facti habet. Possessio verò naturalis & Juris simul plurimùm facti & Juris habet.* 5

Præter præfatas asseritur à Doctoribus adhuc alia Possessio, quam *Civilissimam* dicunt, estque illa, quæ acquiritur ex mera dispositione Legis, consuetudinis aut statuti absque alio actu corporis nostri. *Arg. l. Raptores. 54. C. de Episcop. & Cleric.* 6

Porrò quamvis definitio possessionis, & dicta hactenus de ea potissimùm intelligenda sint de possessione rerum corporalium, cùm incorporalia propriè non possideantur. *c. Cùm Ecclesia. 3. de consuet. poss.* tamen incorporalium & spiritualium datur *quasi possessio. L. ait Prætor. 23. ff. Ex quibus causis major. & L. si quis. 10. pr. ff. Si servit. vind.* quæ *quasi possessio* idem in rebus incorporalibus & spiritualibus operatur, quod possessio vera in rebus corporalibus; cùm etiam pro tuenda incorporalium possessione extent interdicta. *L. 1. §. 5. ff. uti possidetis.* ut proin sicut in corporalibus sine vera, sic in corporalibus sine *quasi possessione* præscriptio non procedat. Quibus prænotatis, 7

Resp. I. Ad quæst. n. 2. positam: Regula III. intelligenda est de possessione tam naturali quàm civili, ac etiam quasi possessione taliter, quòd ad inchoandam præscriptionem rerum corporalium requiratur possessio naturalis & civilis simul: ad continuandam 8

tinuandam verò eandem justè cœpram sufficiat sola Civilis, non item sola naturalis: ad præscribendam verò incorporalia sufficiat & requiratur *quasi possessio*. Ita Glossa communiter recepta in hanc Regulam *v. Sine arg. l. Licèt.* 4. *C. de acquir. possess.* ubi dicitur: *licèt possessio* (& consequenter præscriptio) *mudò animò acquiri non possit, tamen solò animò retineri valet.* Uti de secundo hujus conclusionis membro exemplum suprà *n.* 4. adduximus in discedente à bonis suis ad tempus cum animo illa retinendi.

9 Quòd verò sola naturalis seu corporalis possessio nec ad continuandam præscriptionem sufficiat, patet ex dictis de præcedenti Regula II. ubi clarè probatum est, quod si intermedio ad præscriptionem requisito tempore notitia rei alienæ interveniat, consequenter bona fides desinat, & possessio civilis esse cesset, præscriptio non ampliùs currat.

10 Ad præscriptionem autem rerum incorporalium sufficere & requiri possessionem quali talem patet ex Juribus *n.* 6. allegatis. Quâ responsione præmissâ,

11 Resp. II. Genuinus sensus Regulæ est: *Sine possessione naturali & civili simul sumpta præscriptio rerum corporalium inchoari non potest: per eam tamen ritè inchoata, sola civili possessione continuari & perfici potest tempore per jura præscripto. Ad præscriptionem verò rerum incorporalium requiritur & sufficit quasi possessio debito tempore continuata.* Patet responsio per Jura hactenus allegata; cujus ratio universalis & principalis est; quia præscriptio principaliter fundatur & ædificatur super possessione. *arg. l. Usucapio.* 3. *ff. de Usucap.* ergo sicut non datur ædificium sine fundamento *arg. c. veniens.* 10. *de Præscript.* junctâ *l. Egi* 26. *pr. ff. de Except. rei judicatæ.* ita, si ab initio non ponitur, vel intempestivè auferatur, aut amittitur possessio, præscriptionem corruere necesse est. Hinc universaliter infertur, quòd qui rem aliquam possidere non valet, præscribere nequeat, quia deest Præscriptionis fundamentum, Possessio nempe.

Declaratur Juris exemplis: Sic enim quia Laici 12 non possunt possidere loca Religiosa & Sacra, *l. qui universas.* 30. *ff. de acquir. possess.* ibi: *nam locum Religiosum, aut sacrum non possumus possidere:* neque jus eligendi in Ecclesia, *arg. c. Sicrosanctis* 51. & *c. Massana* 56. *de Elect.* junctis *Gloss. ibid.* Nec Decimas. *can.* 1. *cau.* 16. *q.* 7. & *c. Causam* 7. *de præscript.* præfata jura & loca sacra præscribere non possunt; cùm juxta Regulam 3. *sine possessione præscriptio non procedat.*

Sic pariter quia jus resistit & impedit, ne quis 13 acquirat possessionem rei ad usum publicum deputatæ, puta, fluminum, pontium, viarum &c. præscribi non possunt, etsi populus eis uti desierit, *arg. l. vlam. ff. de via publ.* Similiter, quia liber homo possideri nequit, *arg. l. qui universas.* 30. *ff. de acquir. possess.* & *l. cùm hæredes.* 23. *eod.* etiam præscribi non valet. Hinc *l. Usucapionem.* 9. *ff. de usucap.* dicitur: *Usucapionem recipiunt res corporales exceptis rebus sacris, sanctis, publicis populi Romani, & Civitatum, item liberis hominibus.* Plura Juris exempla adducit Barbosa in hanc Reg. ex quibus clarè patet, quòd, ubi possessio deficit, præscriptio fieri non possit.

Cæterùm quomodo probari possit possessio rerum: item quomodo acquiratur, & iterum amittatur, plenè declaratum habetur *lib. II. Tit. XII. de causa possess. & propriet. §.* 4. 5. 6. & 7.

REGULA IV.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

SUMMARIUM.

1 *Hæc Regula desumitur ex S. Augustino.*
2 *Intelligitur de solo peccato contra justitiam commisso.*
3 *Per verba:* non dimittitur, *intelligitur dimissio quoad culpam & pœnam æternam coram Deo.*
4 *Pœnas civiles remittere possunt principes.*
5 *Verus sensus Regulæ quis?*
6 *Restitutio ab hæredibus facta non juvat defunctum, nisi eam mandaverit: nec omissio illius nocet eidem.*
7 *Vulgare dictum: restituam, ne anima in purgatorio pati debeat, videndum.*
8 *Solvitur objectio contra hoc.*
9 *Tot sunt fallentiæ contra Regulam, quot sunt causæ à Restitutione excusantes.*
10 *Enumerantur. præfatæ causæ.*

1 HÆc Regula desumitur ex Epist. 54. S. Augustini ad Macedonium, & refertur *can.* 1. *cau.* 14. *q.* 6. ibi: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: sed, ut dixi, si restitui potest. Plerumque enim qui aufert, amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse malè vivendo: nec aliud habet unde restituat.*

Quæritur itaque I. Quomodo hæc Regula intel- 2
ligenda, & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam non de quovis, sed de solis peccatis contra justitiam, injustè auferendo, retinendo, vel injustè damnificando commissis intelligi, quæ non dimittuntur, nisi injustè ablatum vel retentum restituatur, vel damnum injustè causatum refarciatur, vel si physica aut moralis impossibilitas intervenit, id, quamprimum fuerit possibile, præstandi seria habeatur voluntas. Ratio in textu citato allegatur; *quia, si reddi potest, & non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur.* Quod item intelligendum de eo, cui quidem hic & nunc moraliter vel physicè impossibile est restituere, vel damnum refarcire; voluntas tamen id faciendi deest, quando potuerit; quia præsens physica vel moralis impossibilitas juxta communem tam Juristarum, quàm Theologorum sententiam non extinguit, sed tantùm suspendit obligationem restituendi, quamdiu impossibilitas durat. Cùm res semper clamet ad Dominum suum.

Per verbum autem, *non dimittitur*, intelligitur 3
dimissio tam quoad culpam, quam ei annexam pœnam æternam (in materia gravi) coram Tribunali Divino ita, ut etsi quis de peccato injustitiæ pœniteat, illudque confiteatur, & firmum propositum id non ampliùs perpetrandi habeat, tamen nec culpa, nec pœna eidem annexa remittatur, nisi restituat, vel ubi de facto non potest, finceram voluntatem restituendi habeat. Quod idem de injustè damnificante intelligendum; quia verè *restitutionis* venit omnis utilitas actoris *l. cùm Prætor* 81. *ff. de V. S.* & ampliùs patet ex *lib. V. Tit. XXXII. de Injuriis & damno dato.*

4 Dicitur tamen notanter: *coram Tribunali Divino*; quia pœnam pro peccato injustitiæ in foro debitam à supremo Principe, vel legitimo Magistratu pro justo arbitrio pœnâ remitti, vel moderari posse, indubitati juris est, *arg. l. Princeps* 31. *ff. de legibus* præxi & consuetudine, quæ optima legum interpres est ubique confirmatum.

5 Resp. II. Propriùs sensus Regulæ IV. sequens est: *Peccatum injustè auferendo, detinendo vel damnificando contra justitiam commissum coram Tribunali Divino nec quoad culpam, nec quoad eidem etiam annexam pœnam æternam dimittitur, nisi, ubi possibile est, restituatur ablatum, vel refarciatur damnum injustè illatum; aut ubi impossibilitas physica vel moralis adest, sincera id præstandi voluntas adsit, vel alia justa causa excuset.* Sensus hic ex le perspicuus est, & ex jam dictis patet.

6 Solùm addendum, quòd reatus culpæ & pœnæ non dimittatur, nisi ipsemet injustè auferens, vel damnificans, dum adhuc in vivis est, restitutionem, si potest, per se, vel alios faciat, aut ut de suis fiat, demandet; consequenter non sufficiat, nec illum à reatu culpæ vel pœnæ liberet, etiam si hæredes illius, ipso prius non mandante vel decernente, aut committente eam præstent. Quamvis enim hi cognita injustè ablata in natura vel æquivalente, absque ulla testatoris commissione restituere, & damna injustè illata refarcire ipsimet teneantur; tamen si id absque mandato vel commissione testatoris ex se ipsis, uti tenentur, faciunt, per hoc defuncto nullatenus prosunt, nec pœnas purgatorii (ubi materia levis est) tollunt vel minuunt, multò minùs à pœnis æternis, ad quas in materia gravi statim damnatus est, ampliùs liberant. Sicut econtra eidem nec in minimo nocent, nec liberationem è purgatorio retardant, si defunctus in vivis adhuc existens restitutionem debitam ritè demandavit, hæredes verò ea non facere culpabiliter omittunt, uti post D. Thomam *quodlib. 6. art. 13.* cum aliis bene docet Navar. *in Manu. cap.* 27. *n.* 68. *§. quæritur.*

7 Ex quo bene infert Strein *ad hanc Regulam n.* 5. ridendum esse vulgare illud dictum hæredum: Debeo vel volo illud aut illud à patre, matre, vel fratre &c. injustè ablatum restituere, vel damnum injustè illatum refacere, ne aliàs pati debeant in altera vita. Vel enim defunctus in vivis existens demandavit debitam restitutionem, vel non: si posterius, pœnas illius nec minuent nec tollent, etiamsi restituant: si prius, non tenebant ei, sed sibi solis, si restitutionem facere ex parte, vel ex toto culpabiliter negligent.

Nec obstat huic doctrinæ *c. Inliteris.* 5. *de Rapto-* 8
ribus. ubi Papa vult compelli hæredes ad compensationem damni à defuncto illati, *ut sic à peccato valeat liberari*; quia verba hæc mendosa sunt, cum locò verbi *valeat* in singulari, legendum sit, *valeant* in plurali, quatenus non defunctum, sed hæredes afficiat, qui damna per defunctum injustè illata refarcire ita tenentur, ut, quamdiù id non præstant, à peccato liberari non valeant, uti benè advertit Barbos. *ad hunc Reg. nu.* 8. hunc que sensum juxta originale, & antiquiores codices veriorem judicat Abbas *in cit. c. In literis. n.* 4. Vel, si verbum *valeat* in singulari defunctum afficiens accipiendum contendatur, non directè, sed indirectè intelligendum sit, id est, non quòd restitutio hæredum directè juvet defunctum, & à peccati pœnis liberet, sed quia indirectè ei prodest, dum per suffragia, preces & oblationes, quæ in sepultura Ecclesiastica (quâ defunctus interim privatus erat pro eo fieri solent, eidem succurritur, ut citiùs à pœna peccati in purgatorio sustinenda liberetur. Barb. Navar. Strein *loc. cit.* & alii.

Quæritur II. An etiam, & quæ sint Exceptiones 9
aut fallentiæ contra hanc Regulam quarum? Resp. Eas contra verba Regulæ modè sumpta esse tot quot sunt causæ excusantes à restitutione. De quibus etsi ex professo tractent Theologi, nosque de illis etiam Theologia morali satis egerimus *Tr. 9. disp. 5. q.* 6. tamen pro majore dilucidatione Regulæ eas etiam hîc saltem breviter apponere bonum visum fuit.

Prima causa à restitutione excusans est impossibi- 10
litas physica; ratio est, quia *nemo potest ad impossibile obligari, Reg. 6. de R. J. in 6.*

Secunda: Si restitutio sive damno multò gravio-
ri, quam læsus sustinuit, v. g. in fama, vita, membris, bonisque fortunæ sibi, suisve inferendo fieri non potest *can. si Res.* 1. *cau.* 14. *q.* 6.

Tertia: Si is, cui restitutio facienda debitum voluntariè & ultro remittat *arg. l. In re mandata* 21. *C. Mandati.*

Quarta: Si dilatio restitutionis in magnum bonum creditoris cedit, uti & in casu quò ipse pecuniâ, vel alia re restituenda in suam perniciem, vel gravius damnum esset abusurus.

Quinta: Si quis cedat bonis suis, donec ad pinguiorem fortunam venerit. *l. Cùm & filii familias.* 7. *C. qui bonis ced. poss.*

Sexta: Si in damno dato nulla intercessit culpa theologica, in foro interno nulla restituendi obligatio est: *arg. can. Erit autem. dist.* 4. & ampliùs diximus *lib. II. Tit. XXXVI §.* 2. ubi etiam, an & quando in foro externo restitutio obligatoria sit ob damnum datum ex culpa levi vel levissima.

Septimò: ponunt alii ut casum præscriptionis, uti patet ex *Tit. de Præscript.* Quibus similes causas alias plures repetire est apud Theologos.

REGULA V.

Peccati venia non datur nisi correcto.

SUMMARIUM.

1 *Per verbum,* Venia, *intelligitur hic venia culpæ, & annexæ pœnæ æternæ: verba,* nisi correcto, *idem sonant, ac nisi pœnitenti.*
2 *Aliqui etiam de peccato veniali Regulam intelligunt.*
3 *Majoris mali vitandi gratiâ in foro externo peccata impunita relinquuntur.*
4 *Verus sensus Regulæ quis?*
5 *Solvuntur objectiones. & seq.*

QUæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? 1
& quis verus illius sensus sit? Resp. Per *Veniam* in hac Regula, intelligi venias culpæ præsertim mortalis, & pœnæ æternæ à Deo infligendæ: non verò

verò veniam pœnæ temporalis per Judicem in foro externo infligendæ. Per verba, *nisi correcto*, autem non intelligi idem, ac pœnis in foro externo sufficienter, & juxta exigentiam delicti jam castigato & punito, sed prout idem sonat ac *nisi pœnitenti*, & peccatum derelinquenti, indeque se corrigenti & correcto existenti. Gloſſa *in hanc Reg. v. Peccati venia.* Barbos. *in eandem nu. 2. & ſeqq.* Strein. *nu. 1.* Dynus *ibidem*, qui cum aliis bene advertit, hanc Regulam multùm concordare cum præcedenti, ita ut, ſicut juxta illam peccatum contra juſtitiam commiſſum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum, ita univerſaliter prorſus nullum dimittatur peccatum, ſeu venia illius quoad culpam & pœnam æternam annexam tribuatur, niſi verè pœnitenti, & emendandi propoſitum ſerium explicitè vel implicitè habenti, ſicque correcto; ut proin per nulla quantumvis multa & magna opera bona obtineri valeat venia culpæ mortalis, & pœnæ æternæ annexæ, niſi etiam accedat pœnitentia, id eſt, perfecta contritio, vel ſaltem imperfecta ſeu attritio cum abſolutione ſacramentali: prout certum eſt apud Theologos quoque, inter alias rationes etiam illam cum S. Thoma *p. 3. q. 86. art. 2.* aſſerentes, quòd cùm homo, committendo peccatum, propria voluntate à Deo ſummo & infinito bono ſit averſus, ſine omni propriæ voluntatis motione, & mediante pœnitentia ad Eum converſione gratiam & veniam ab Eodem non recuperet.

2 Extendunt aliqui Regulam etiam ad peccatum veniale: licèt enim illius venia ſine contritione, & ſacramentali abſolutione obtineri valeat aliis mediis, tamen quia & ipſum aliqua ſaltem averſio à Lege Dei & inordinata converſio ad creaturam eſt, ſine pœnitentia ſaltem virtuali in hac vita non dimittitur, utì cum D. Thom. *loc. cit. q. 87. art. 1.* bene docent Laym. *lib. 5. Tom. 6. c. 4. n. 12.* & alii.

3 Cæterùm quòd verba, *niſi correcto*, intelligenda ſint, ac *niſi pœnitenti*, & non, ut aliqui volunt, niſi pœnis Juris in foro externo ſufficienter jam caſtigato, ac propterea correcto, etiam inde patet; quia in foro externo ad vitandum ſcandalum etiam diſponente Jure ab Eccleſia ſæpè relinquuntur peccata impunita, daturque eorum venia taliter non correctis. *can. Denique. diſt. 4. can. ut conſtitueretur 25. diſt. 50. can. quidam cau. 18. q. 4. can. Schiſm. 34. cau. 24. q. 1. cum Concord.*

Reſp. II. Proprius ſenſus Regulæ eſt ſequens: 4
Nullus peccati ſaltem mortalis, & pœnæ æternæ annexæ venia ſeu remiſſio datur, niſi vere pœnitenti, id eſt, perfectam contritionem, vel ſaltem imperfectam ſeu attritionem unà cum Sacramento pœnitentiæ habenti, indèque correcto. Patet ſenſus ex dictis.

Huic ſenſui Regulæ non adverſatur, quod contra 5
neceſſitatem pœnitentiæ objiciatur ex *can. fin. diſt. 4.* ubi Papa reſcribit, eos, qui in Quadrageſima diebus Dominicis carnes comedunt, & uſque ad mediam noctem comeſtationes protrahunt, *ſi ab hac conſuetudine averti non poſſunt, cum venia ſuo genio eſſe relinquendos, ne fortè pejores exiſtant*: ergo, infertur, etiam ſine pœnitentia obtinetur venia; Reſpondetur enim, textum hunc non eſſe intelligendum de venia culpæ & annexæ pœnæ Divinæ, ſed de venia pœnæ humanis legibus conſtitutæ in foro externo infligendæ, quæ majoris mali vitandi causâ quandoque remittitur, & peccatum illam inducens permittitur. *cit. can. Schiſma cau. 24. q. 1.* Gloſſ. *in cit. can. fin.* Strein. *in hanc Reg. n 5.*

Pariter non obſtat communiter objici ſolitum c. 6
quod quidam 5. de Pœnit. & Remiſſ. ubi Papa dicit, eos, qui fatentur, ſe à criminibus abſtinere non poſſe, tamen admittendos eſſe ad confeſſionem, addita ratione, *quia*, ait, *licèt non ſit vera humiſmodi pœnitentia, admittenda tamen eſt eorum confeſſio*; ergo, infertur, etiam ſine vera pœnitentia datur venia & remiſſio: Nam contra eſt, quòd licèt Papa hîc etiam impœnitentes & indiſpoſitos ad confeſſionem admitti mandet, minimè tamen velit, ut ad confeſſionem admiſſi ſine vera pœnitentia, & emendationis propoſito abſolvantur, ſed ut occaſione confeſſionis charitativis & fervidis adhortationibus ad veram pœnitentiam inducantur: uti cum communi aliorum benè advertit Barb. *in cit. c. quod quidam.* patetque ex ultimis verbis hujus capituli, ibi: *crebris & ſalutaribus monitis pœnitentia indicenda.*

REGULA VI.

Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.

SUMMARIUM.

1 *Regula hæc unde deſumpta.*
2 *Impoſſibile quid dicatur?*
3 *Impoſſibile aliud eſt de facto: aliud de jure.*
4 *Quid ſit impoſſibilitas Facti?*
5 *Et quid Juris?*
6 *Ambæ æquiparantur.*
7 *Quod pendet à voluntate Principis, & concedi non conſuevit, impoſſibile cenſetur.*
8 *Sicut & quod ſine diſpenſatione Papæ fieri nequit.*
9 *Nemo ad aliquid impoſſibile ſive de facto, ſive Jure ullò modò obligari poteſt.*
10 *Difficilia hîc non reputantur inter impoſſibilia.*
11 *Verus ſenſus Regulæ quis?*
12 *Conditio impoſſibilis contractui adjecta illum invalidat: in Teſtamento tamen & Matrimonio habetur pro non adjecta.*
13 *Solvitur objectio contra Regulam, & ſeq.*

HÆc Regula deſumpta eſt ex *l. Impoſſibilia. 185. ff. de R. J.* ibi: *Impoſſibilium nulla eſt obligatio:* cui etiam plures aliæ Juris Civilis leges correſpondent, quas citat Barb. *hîc num. 1.* unde antiqui verſus: 1

Ultra poſſe meum non me lex juſta coëgit,
Nec putat eſſe reum, qui totum poſſe peregit.

Quæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? & 2
quis verus illius ſenſus ſit? Ante reſponſionem ſciendum, quid & quotuplex ſit, ac dicatur *impoſſibile.* Impoſſibile ut ſic dicitur omne illud, quod inſpectâ humanâ potentiâ à nullo fieri poteſt, ſive quia naturæ vires tranſcendit. *l. Continuus 137. § Illud. 4. de Verb. oblig.* ſive quia à Jure naturali, divino aut humano prohibetur, ſicque moraliter fieri nequit. *l. Filius 15. in fine. ff. de Conditon. Inſtitut.* Barb. *hîc, num. 2.*

Huic definitioni conformiter, licèt variæ ſpecies impoſſibilium referantur à Gloſſa & DD. in hanc Regulam, tamen ut hîc obſervat Barboſa *ſo. cit.* omnes communiter & pernecaſſarie reducuntur ad duas ſpecies, videlicet ad impoſſibile de facto, ſeu naturæ: & ad impoſſibile de jure: ſeu ad impoſſibilitatem facti & juris *arg. c. fin. de Pactis.* ibi: *Nam etiam juxta legitimas ſanctiones pactum turpe, vel rei turpis aut impoſſibilis de Jure vel de facto nullam obligationem inducit.* Concordat *c. Seiſcitatus. 13. de Reſcript.* ibi: *Sentimus, quòd tam de Jure, quàm de Facto illa impotentia conſideatur*; ubi etiam utriuſque impotentia ſeu impoſſibilitas explicatur. Uti enim Philoſophi & Theologi dividunt impotentiam in phyſicam & moralem: ſic Legiſtæ ſtatuunt impoſſibilitatem Juris & facti.

4 Impoſſibile ſeu impoſſibilitas *facti* (quæ etiam impoſſibilitas naturalis ſeu naturæ dicitur) eſt, & dicitur, quando conſideratis circumſtantiis loci, temporis, viribus, facultatibus perſonæ, naturaliter loquendo, abſolutè fieri nequit; uti reſpectu cujuſvis hominis eſt digitò tangere cœlum, ſolem aut lunam detrahere, mortuum reſuſcitare: reſpectu infantis graviſſimum pondus portare: reſpectu cæci literas legere. §. *Si impoſſibilis. 11. Inſtit. de inutil. ſtipulat.*

5 Impoſſibile *de Jure* dicitur, quod à Jure, ſeu lege naturali, divina aut humana prohibitum, honeſtè, & ſecundum bonos mores fieri nequit; hinc *l. Filius. qui ff. de condition. Inſtit.* dicitur: *quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & (ut generaliter dicamus) quæ contra bonos mores ſunt, nec facere nos poſſe, credendum eſt.* Concordant *l. Si ſtipulor. 35. ff. de Verb. oblig. c. fin. de pactis. can. faciat. 25. cau. 22. q. 2.* junctâ Gloſſ. *v. non poteſt.*

6 Advertendum autem cum Fagn. in *c. Nos quidem. de Teſtam. n. 56.* quòd *Impoſſibilitas Juris & facti æquiparentur.* Bartol. in *l. continuus. §. Inſpiciendum. ff. de Verb. oblig n. 2.*

7 Porrò juxta eundem Fagn. in *c. Cùm ſit ord. de ætate & qualit. n. 31.* etiam *ea, quæ pendent à vol. ntate Principis, & concedi non conſueverunt, reputantur inter impoſſibilia. arg. l. apud Julianum.* alias incipit: *Africonus. 39 §. fin. ff. de Legatis 1.* & ibi Bart. *n. 2.*

8 Item illud impoſſibile cenſeri, quod fieri non poteſt de Jure communi, ſed tantùm ex Diſpenſatione Papæ. Fag. in *c. de illis. de deſponſ. impub. n. 42.* quod etiam notat Gloſſ. in *l. Continuus. v. Relictæ. ff. de verb. oblig.* Innocent. in *c. Poſtoralis. 5. de cauſ. Poſſeſſ. & proprietat.* His præmiſſis,

9 Reſp. I. Ad quæſtionem *n. 2.* poſitam: Regula intelligenda eſt de utroque impoſſibili, ita ut vi illius ad id, quod de facto, vel de jure impoſſibile eſt, nemo obligari poſſit neque per legem aut conſtitutionem, *can. Erit autem 2. diſt. 4.* ibi: *Erit autem lex honeſta, juſta, poſſibilis.* nec per præceptum, nec per ſententiam, nec per contractum *c. fin. Pactis.* nec per Teſtamentum. *l. 3. ff. de Cond. & Demonſtr. §. Impoſſibilis.* junctâ *l. ſi quis inquilinos. 112. §. fin. ff. de legat.* Immo nec ſui ipſius obligatio ad impoſſibile nec de facto valet, uti montes Alpium ultro in æquem deferre. *arg. cùm hæres. 4 §. 1. ff. de ſtatu lib.* nec ad impoſſibile de jure. *l. Inter ſtipulantem. 83. §. Sacram. & l. ſi ſtipulor. 35. §. Item. ff. de Verb. oblig.*

10 Reducunt aliqui, ut Layman. in *c. Seiſcitatus. de Reſcriptis. n. 1.* ad impoſſibile de facto etiam illud, quod quidem abſolutè fieri poteſt, ſed non niſi ſummâ cum difficultate. Verùm, licèt hæc ordinariè excuſet à lege humana communiter lata, per dicta in Regula IV, tamen, quia abſolutè impoſſibile non eſt, & ad id quis ſe ipſum obligare, atque ob graves, præſertim publicas cauſas per legem & præceptum a legitima poteſtate obligari poteſt, hæc impoſſibilitas ad hanc Regulam ſpectare non videtur. Hinc

Reſp. II. Verus & proprius ſenſus Regulæ hîc eſt: *Ad impoſſibile de facto vel de jure nemo obligari poteſt neque per legem, vel præceptum, neque per ſententiam ſui ejus, neque per Teſtamentum, neque per pactum vel contractum, neque propria voluntate.* 11
Per Jura citata: & Ratio eſt; Tum quia omnis obligatio tendit ad aliquid dandum, præſtandum. §. 1. *Inſtit. de action.* quæ autem impoſſibilia ſunt, dari & præſtari nequeunt; ergo. Tum quia, uti benè diſcurrit Strein *ad hanc Reg. n. 5.* omni legi peculiare eſt, ne primæ Regulæ, Divinæ videlicet, ſit difformis, conſequenter ut ſit poſſibilis, & honeſta exiſtat. *cit. can. Erit autem. 2. diſt. 4.* ad ne hominibus præſertim impiis occaſionem præbeat turbandi & quærulandi, ſi lex vel præceptum ex aliqua ratione impoſſibile exiſtat.

Notanda tamen differentia in prædictis, videlicet, quòd ſi conditio impoſſibilis adjiciatur contractui, is totaliter vitietur, & irritus evadat. *§. ſi impoſſibilis. 12 Inſtit. de inutili ſtipulat.* ibi: *ſi impoſſibilis conditio obligationibus adjiciatur, nil valet ſtipulatio. cum concord. à Gloſſ. ibidem citatis.* Si verò in Teſtamento vel Matrimonio apponitur, utrumque propter ſpecialem Juris favorem valeat, & conditio pro non adjecta habeatur. *l. Reprehendenda. 5. C. de Inſtit. & c. fin. de condit. appoſit.* niſi (loquendo de Matrimonio) appoſita eſſet conditio contra ſubſtantiam matrimonii: tunc enim eticm ipſum matrimonium invalidum & irritum foret textu claro *cit. c. fin. de condit. appoſ.* quem per extenſum retulimus *lib. IV. Tit. V. de condit. appoſ. §. 2. n. 40.* 12

Contra Regulam & ſenſum ipſum communiter objici, & per modum Exceptionis poni ſolet. Primò caſus, quo quis ſe obligat ad damna & pericula ex caſibus fortuitis eventura, quæ obligatio tenet *l. quæ fortuitis. 6. C. de Pignorat. Act.* cùm tamen impoſſibile ſit evitare caſus fortuitos. Sed reſpondetur, intentionem contrahentium non eſſe evitare caſus fortuitos, ſed ſolummodo ſe obligare ad ſuſtinenda damna & pericula inde provenientia, quod eſt poſſibile. Strein *hîc n. 6.* Pech. *ibid. n. 12.* qui ambo benè addunt, in conventione de hujusmodi caſibus fortuitis tantùm comprehendi caſus evenire ſolitos, non verò inſolitos ac inauetos. *l. Fiſtulas. 78. §. fin. ff. de contrah. Empt.* 13

Secundò Hæres tenetur ſolvere legatum pro Republica factum ad opus lege prohibitum: *l. ſi ſervum. 91. ff. de Verb. obligat.* ergo datur obligatio ad impoſſibile. Sed Reſpondetur, in tali caſu legantem non cenſeri voluiſſe legare, quod lege prohibitum, ſed permiſſum eſt, non recordando, vel ignorando, quod lege ſtatutum habetur; nec mirum, ſi in miſeræ hujus vitæ ſtatu mentis imbecillitas ſubinde aberret, *arg l. Hæc conſultiſſima. 8. C. quì Teſtamentum facere poſſ.* Strein *hîc. n. 6.* vel dic, 14
gulam in hoc Exceptionem pati.

REGULA VII.

Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Privilegium aliud est Reale:*
3 *Aliud Personale.*
4 *Regula habet duas partes.*
5 *Verus sensus Regulæ quoad primam partem, quòd personam sequatur.*
6 *Sensus ejusdem quoad alteram partem, quòd extinguatur cum persona.*
7 *Solvuntur obligationes contra Regulam quoad primam partem: & duobus seqq.*
10 *Et quoad secundam partem.*
11 *De Privilegiis remissivè.*

1 HÆc Regula desumpta habetur ex *l. In omnibus* 68. *ff. de R. J.* ibi: *In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficiat.* cui concordat *l. Lex privilegia.* 196. *ff. de Reg. Jur.* ibi: *Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: & ideò quædam ad hæredes transmittuntur, quæ causæ sunt, quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis proprius illius sensus sit? Ante responsionem notandum, juxta jam dicta *lib. V. Tit. XXXIII. de Privilegiis.* §. 1 *n.* 12. Privilegium aliud esse *Reale*, aliud *Personale.* Illud est, quod directè & immediatè ipsi rei, alicui loco, dignitati, officio, causæ, &c. vel ratione ipsius conceditur, ac propterea tempore, quò durat, eidem adstringitur. *l. Imperatores.* 7. *ff. de Publician.*

3 Personale est, quod immediatè ac directè soli alicui personæ, & ratione illius, v. g. propter singularem ipsius experientiam, doctrinam, virtutem, fidelitatem vel merita confertur. Quo nomine non veniunt privilegia, quæ toti alicui communitati, vel certo generi hominum dantur; quia etsi omnes personæ in tali communitate existentes, vel sub tali genere constitutæ tali privilegiò gaudeant, indeque communiter *Privilegium Personale* vocetur: tamen quia non intuitu unius personæ, sed intuitu totius communitatis est concessum, & omnes tam præsentes quàm futuros sub tali communitate viventes, vel sub genere existentes afficit, ad easque transit, privilegium merè personale, vel propriè tale esse non censetur, sed reale: cujusmodi est Privilegium Restitutionis in integrum minoribus concessum, quò non unus solus, sed omnes minores in perpetuum gaudent. *l. Non solùm.* 6. *ff. de In integr. Restit.* Tale etiam privilegium est S. C. Velleiani concessum mulieribus: item privilegia concessa corpori mystico, veluti civitati, Collegio, Academiæ, Religioni &c. His prænotatis,

4 Resp. I. Regula solummodo intelligenda est de privilegio merè personali, seu propriè tali. Habet autem hæc Regula duas partes: una est, quòd Privilegium personale semper & ubique sequatur personam, in quocunque tandem loco existat, ita ut quovis tempore & loco privilegiatus illò gaudere valeat, nisi ad certum locum vel tempus, aut certam, ob quam concessum est, causam ab ipso concedente sit restrictum. Altera pars est, quòd cum persona extinguatur, seu pereat, si talis persona moritur, nec ad ullos transeat hæredes.

5 Resp. II. Verus sensus Regulæ sequens est: & quidem quoad primam partem. *Privilegium merè personale semper & ubique sequitur personam, cui est concessum, eique adhæret, ita ut illo semper frui queat in quocunque tandem loco existat, nisi ab ipso concedente sit restrictum.* Quoad alteram verò partem: *Privilegium merè personale extinctâ per mortem personâ, cui est concessum, pariter extinguitur, ita ut prorsus ad nullum hæredem, vel quemquam alium transeat.* Exempla prioris partis obvia sunt; sic v. g. Scholaris etiamsi loco migret, & extra Academiam existat, privilegio gaudet, quòd à Judice laico capi & teneri non valeat. *Auth. Habita. C. Ne filius pro patre.* Strein *hic n.* 2. sic qui habet privilegium legendi libros prohibitos, comedendi carnes diebus jejunalibus, Breviarium aut Horas mentaliter persolvendi, aut locò earum Rosarium recitandi, illò, ubicunque est, frui potest; quamvis ob scandalum vitandum subinde hic & nunc abstinendum sit, quod prorsus per accidens est.

Quoad secundam partem, quòd cum persona privilegium merè personale extinguatur, & ad nullum hæredem transeat, exemplis plena sunt Jura, adeò ut in *l. penult.* §. *si puellæ.* 5. *ff. de ritu nupt.* & *l. Privilegio.* 27 *pr. C. de Decurionibus* & *l. In Filiis.* 35. *eod.* sancitum habeatur, quòd privilegium parentibus concessum nec ad filios transferatur. Et quamvis Regula, & sensus illius satis sint clari, tamen 6

Quæritur II. An non hæc Regula etiam patiatur suas Exceptiones, & Fallentias? Resp. Plures à nonnullis adduci, quæ tamen re benè considerata, & si id, quod objiciunt, solvitur, Fallentiæ non sunt, & Regulæ non adversantur. Hujusmodi objectiones plures breviter adducit Gloss. *in hanc Reg.* & quidem Primò contra primam partem Regulæ: Usus pallii Archiepiscopo, vel alii Episcopo ex privilegio competens est privilegium personale. *arg. c.* 2. *de Authorit. & usu Pallii.* & tamen hoc non sequitur personam; cùm Archiepiscopus extra propriam diœcesin illò uti non valeat, *arg. c.* 1. *de Authorit. & usu Pallii.* Et ibi Gloss. *v. quamlibet.* Resp. enim privilegium de usu Pallii ex primæva concessione esse restrictum ad propriam diœcesin, & pro certis duntaxat diebus, *c. ad honorem, de authorit. & usu Pallii.* Tenor autem privilegii attendendus & servandus est, *c. Porrò* 7. & *c. Recepimus.* 8. *de Privileg.* Gloss. *hic.* consequenter hæc objectio non obest, cùm in sensu ejus expressè mentionatum sit, *nisi privilegium ab ipso concedente sit restrictum.* 7

Objicitur secundò: Præsente majore minor non utitur privilegiò, *arg. c. Antiqua* 23. *de Privileg.* ubi Patriarchis interdicitur, crucem ante se deferri curare, quando in ea urbe Summus Pontifex, vel ejus legatus utens insigniis Apostolicæ Authoritatis, præsens est. *can. Denique. dist.* 21. Resp hoc esse speciale ob reverentiam superioris. Adde, hujusmodi privilegium etiam cum restrictione saltem implicita esse datum, videlicet quamdiu Superior in loco præsens non est. Gloss. *hic.* 8

Objicitur tertiò: Privilegium personale extinguitur nonnunquam etiam ante mortem personæ; ut cùm quis abutitur privilegiò. *can. Privilegium.* 63. *cau.* 11. *q.* 3. ibi: *Privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.* Idem fit propter delictum, propter contrarium factum, propter necessitatem &c. ut ait Gloss. in *cit. can. Privilegium.* ergo privilegium personale non semper sequitur personam, cùm in dictis casibus manente persona non maneat privilegium. Resp. Regulam habere implicitam clausulam; nisi ex causa per dispositionem juris amittatur; quod enim non est, sequi non potest. Vel dic, Regulam in hoc pati exceptionem. 9

Quoad secundam partem Regulæ, quòd extinctâ personâ extinguatur, & ad nullos transeat hæredes, objicitur *l. Non solùm.* 6. *ff. de In integrum Restit.* vi cujus privilegium restitutionis in integrum à personis in ætate minore constitutis transit etiam ad hæredes: & *l. Hæredes.* 20. *C. ad S. C. Vellejanum.* disponens, quòd privilegium, seu beneficium exceptionis adversus creditores mulieribus competens, pariter ad hæredes extendatur, consequenter cum persona non extinguatur. Sed Respondetur; hæc privilegia non esse merè personalia, sed communiter duntaxat personalia, de quibus Regula nostra non est intelligenda, prout jam supra 4. diximus. 10

11 Cæterùm si quid amplius de materia privilegiorum desideratur, exactè & fusè tractatum invenitur *cit. Lib. V. Tit. XXXIII. de Privileg. & excess. privilegiat.*

REGULA VIII.

Semel malus semper præsumitur esse malus.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta.*
2 *Præsumptio alia est Juris tantùm:*
3 *Alia Juris & de Jure:*
4 *Alia hominis.*
5 *Regula intelligenda est de præsumptione hominis, & Juris tantùm;*
6 *Non in diverso,*
7 *Sed eodem duntaxat genere delicti.*
8 *Si illud consummavit,*
9 *Et se non emendavit.*
10 *Malus de præsenti non præsumitur retrò malus.*
11 *Verus sensus Regulæ quis?*
12 *Emendatio tanquam facti non præsumitur, sed probari debet.*
13 Quilibet habendus est bonus, donec probetur malus, *non procedit, quando quis jam semel fuit malus.*
14 *Fallentiæ Regulæ quæ?* & duobus seqq.
15 *Semel contumax cur denuo citetur?*
16 *A perjuro recipitur juramentum in suum gravamen, sed non in sui commodum, vel aliorum præjudicium.*

1 HÆc Regula desumpta est ex *can. Parvuli.* 14. *cau.* 22. *q.* 5. *c. Scribam.* 9. *de Præsumpt.* & aliis LL. citatis à Glossa *hic.*

2 Pro intelligentia hujus Regulæ supponitur notitia de natura & varietate præsumptionis ex *lib. II. Tit. XXIII.* §. 1. ubi inter alias triplicem potissimùm præsumptionem esse diximus, videlicet *Præsumptionem Juris tantùm: Præsumptionem Juris & de Jure* simul: ac *Præsumptionem hominis.* Prima est, quæ in Jure quidem expressè invenitur, pro certa veritate tamen non habetur, sed amittit probationem in contrarium. Gloss. communiter recepta in *c. Is, qui fidem.* 30. *de Sponf.* ubi plura hujus exempla adducit.

3 *Præsumptio Juris & de Jure* illa est, quæ in jure non tantùm expressè habetur, sed ab eodem tam firmiter tenetur, ut pro ipsa veritate habeatur, indèque probatio in contrarium faciendæ non admittatur. Gloss. *loc. cit.* ubi pariter plura ex Jure exempla adducit, puteque ex *cit. c. Is qui fidem de Sponf.* ubi Pontifex inquit: *contra hanc præsumptionem non est probatio admittenda.*

4 *Præsumptio hominis* est, quæ in Jure expressa non habetur, sed juxta rerum ac personarum circumstantias, & apparentia indicia prudenter concipitur: estque alia violenta, scilicet quæ moralem certitudinem inducit: non violenta, prout ampliùs declaratur *cit. lib. II. Tit. XXIII. de Præsumpt.* §. 1. His suppositis,

5 Quæritur I. Quomodo Regula VIII. intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. pro intelligentia hujus Regulæ quatuor esse advertenda cum Gloss. *hic*, & quidem Primò, Regulam non loqui de præsumptione Juris, & de Jure, quasi verò ille, qui semel scitur malus, semper pro certo habeatur malus, negata omni probatione in contrarium: sed de *præsumptione Juris* tantùm, vel hominis, admittente probationem innocentiæ.

6 Secundò: Eam non nisi *in eodem genere delicti* esse intelligendam; ut proin licet quis in uno genere delicti v. g. luxuriæ sciatur reus, tamen propterea vi hujus Regulæ in alio, vel omni genere delicti v. g. injustitiæ, simoniæ &c. reus præsumi non posset *arg. c. Ille vos.* 4. §. *fin. de Pignor.* junctâ *l. si cui crimen* §. 1. *ff. de Accusat.*

Sed tantùm in eodem genere delicti, uti tacendo plura alia Juris exempla patet ex *cit. can.* 14. *cau.* 22. *q.* 5. ubi perjurus semel repertus reus semper præsumitur perjurus, indeque à præstando juramento, & ferendo testimonio semper rejectus existit, ibi: *& qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa, vel alterius jurator existat.* Item ex *c. Scribam.* 9. *de Præsumpt.* ubi de negligentibus servare leges & admonitiones præsumitur, quòd eas etiam in futurum sint neglecturi; ibi: *Scribam eis multiplices leges meas, ex priùs datis & neglectis apparet, quòd hæc negligant.* 7

Tertiò intelligendam esse, quando quis fuit malus in fine actûs, & non in principio tantùm; id est, quando delictum quidem inchoavit, illud tamen, cùm posset, non consummavit; eò quòd resipuisse, & delictum horruisse censeatur, consequenter semper reus præsumi non debeat. 8

Quartò: *Nisi de emendatione sufficienter appareat:* probato enim, vel sufficienter cognitô, quòd reus alicujus delicti de eo verè pœnituerit, illudque emendaverit, malus in eodem delicto præsumi non ampliùs debet *can. Ferrum.* 18. *dist.* 50. ibi: *Non ergo in eo debet despici, quod fuit; quia jam incipit esse, quod non fuit.* 9

Addit quintò Barb. *in hanc Reg. n.* 9. verbum *semper* in hac Regula sumi debere à tempore, quò semel malus extitit, non autem respectu temporis antecedentis: ut proin licèt tabellio falsarius etiam in futurum præsumatur talis, indeque removeri debeat *l. si aliquid. C. de suscept. cum concord.* non tamen præsumitur retrò falsarius quoad instrumenta ante compertam falsitatem confecta. Et ex his, 10

Resp. II. Verus sensus Regulæ sequens est: *Semel in aliquo genere delicti inventus malus, in eodem genere semper præsumitur malus præsumptione Juris tantùm, vel hominis, nisi de vera emendatione sufficienter constet.* Ratio Regulæ est; quia ex præteritis præsumitur de statu præsenti & futuro. *c. Mandata.* 6. *de Præsumpt.* ibi: *quia ex transactis in te vita didicimus, quid de subsequenti conversatione tua præsumamus. cum concord.* hinc illi antiqui versiculi: 11

Rumor de veteri faciet ventura timeri;
Cras poterunt fieri turpia sicut heri.

Nec valet dicere: forsan se jam plenè emendavit, & animum mutavit; quia emendatio est facti, consequenter non præsumitur, sed ex actibus contrariis probari debet. *l. Ei.* 2. *ff. de Probat.* 12

Pariter non valet objicere illud tritum Juris: *Quilibet præsumendus est bonus, donec probetur malus. c. un. de Scrutin.* & *l. Merito* 51. *ff. pro socio.* Resp. enim tritum illud procedere, quando actus malus 13

rum præcessit, & bonam illam præsumptionem non enervavit; hoc enim præcedente præsumptio de simili valet, donec emendatio, quæ tanquam facti non præsumitur, probetur, *cit. l. Ei 2. ff. de Probat.*

4 Quæritur II. An, & quæ sint Fallentiæ, seu Exceptiones contra hanc Regulam? Resp. Eam juxta aliquos fallere 1. in genere diversi delicti juxta dicta *n.* 6. 2. in casu, quo quis in principio duntaxat, sed non in fine actus malus fuit, per dicta *n.* 8. 3. si de vera emendatione sufficienter constet, per dicta *n.* 9. Verùm cùm juxta dicta hi casus in Regula non comprehendantur, fallere contra eam propriè dici non possunt.

5 Objiciunt alii, & locò fallentiæ ponunt casum contumaciæ; semel enim contumax non semper præsumitur contumax; cùm peremptoriè citatus, si non comparet, denuò citetur *c. Ex litteris 2. de Dolo & contum.* quod necessarium non esset, si illum in contumacia perseverarum ritè præsumeretur. Sed Resp. quòd secundò citati & non comparentis contumacia gravior sit, & gravioribus pœnis subjaceat, quam primò citati, indeque jura velint, ut per secundam citationem contumacia magis appareret: vel concedo in hoc casu fallentiam Regulæ.

Objicitur ulteriùs: Juramenta calumniæ, fidelitatis, & obedientiæ etiam à prius perjuris exiguntur & recipiuntur *c. cùm in Ecclesiis. 10. de Major.* ergo semel perjurus non præsumitur semper perjurus. Resp. cum Gloss. in *cap. Cùm in Ecclesiis. v. Juramentum.* & Abb. *n.* 4. hoc procedere de Juramentis, quæ cedunt in præjudicium ipsius jurantis, illumque onere & obligatione gravant: non item in Juramentis cedentibus in jurantis commodum, & aliorum præjudicium; & in hoc sensu fallentia conceditur. 6

REGULA IX.

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Ratum habere propriè quid sit?*
3 *Regula intelligenda est de propria ratihabitione.*
4 *Probatur exemplò Juris.*
5 *Verus sensus Regulæ quis?*
6 *Afferuntur apparentes, sed non veræ Fallentiæ contra Regulam. & seqq.*

1 HÆc Regula desumitur ex *c. penult. de Sentent. excommun. in 6.* & convenit cum *l. Si pupilli. 6. §. Sed si ego 6. ff. de Negot. gest.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Ante Responsionem notandum: Ratum habere aliquid nil aliud esse, quàm approbare, comprobare, confirmare, & ut suum agnoscere id, quod per alium nostro nomine gestum vel factum est, non habitò à nobis ad hoc faciendum mandatò, commissione, aut requisitione; seu quod per alium non procuratorem nostrum nomine nostro factum est. *l. quod enim. 12. §. 1 ff. Ratam rem habere.* qua ratihabitione rem, seu negotium gestum ita nostrum facimus, quasi à nobis ipsis gestum, aut ad id mandatum datum fuisset, uti dicetur in Regula statim sequenti ita sonante: *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari non est dubium.* Hoc notato,

3 Resp. I. Regula IX. dicens, quòd ratum habere, seu ratificare nemo possit illud, quod suo nomine factum non fuit, intelligenda est de propria Juridica ratihabitione, seu ratificatione cum Juris effectu, quæ fictione Juris translativa rem quasi à nobis gestam efficit, nostramque facit, ac proin Juris effectus & obligationem nobis incumbentem inducit: Non verò de simplici ratihabitione, quâ quodvis factum alienum non nostrò sed alieno quocunque tandem nomine gestum approbare, gratum & ratum habere possumus, v. g. si quis tuum inimicum non tuo, sed alio nomine, vel ex proprio odio occidit, potes quidem factum homicidium simpliciter approbare, gratum & ratum habere (licèt sic approbando peccES) tamen fictione Juris homicidium quasi à te factum, sicque tuum non redditur, nec pœnas & obligationes ex homicidio consurgentes contrahis. Ratio est; quia ad ratihabitionem juridicam propriè talem, seu quòd quis factum alienum ratum habeat in sensu Regulæ, essentialiter requiritur, ut factum sit nomine ratihabentis. *arg. cit. c. penult. de Excommun. in 6. & l. si Pupilli cum concord.* citatis à Tiraquello *de Retract. lig. §. 1. Gloss. 9. n. 24.* quo tanquam essentiali requisito deficiente ratihabitio non datur, consequenter sic factum propriè & cum effectu Juris ratum haberi non potest, id ipsum, quod dicit Regula.

Probatur & declaratur responsio ulteriùs clarissimo multùm allegabili exemplò Juris *c. Cùm quis. 23. de Sentent. Excommun. in 6.* ibi: *Cùm quis absque tuo mandato manus injecit in Clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam à canone incunctanter incurris; cùm ratihabitio retrotrahatur, & mandato debeat comparari. Si verò injectio eadem tuo nomine non fuit facta, tunc licèt pecces ratam habendo eandem, non tamen propter hoc excommunicationis vinculò innodaris; cùm quis ratum habere nequeat, quod suo nomine non est gestum.* 4

Resp. II. Verus sensus Regulæ iste est: *Nemo potest factum alienum propriè ratum habere cum effectu Juris, ita ut hujus fictione translativa censeatur suum factum, indeque effectus Juris inducat & obligationes ratihabenti imponat, si tale factum non ratihabentis, sed suo proprio, vel alterius nomine pergit.* Per rationes & jura jam allegata; cui accedit etiam illa ratio, quòd si quis ratum habere valeret id, quod ipsius nomine non est gestum, facilè præjudicium emergere posset tertio, cum quo negotium gestum est, cùm is forsan ex justa causa negotium cum tali habere noluisset, ac propterea, si scivisset, negotium nomine illius agi, à negotio, v. g. contractu abstinuisset. 5

Quæritur II. An, & quales dentur fallentiæ circa hanc Regulam? Resp. Plures afferri à quibusdam, veluti Primò *can. Lugdunensi. 10. can. 9. q. 2.* ubi habetur, quod ordinati ab alieno Episcopo (etsi ordinatio ipsius Ordinarii nomine facta non sit) possint ministrare in ordine suscepto, si proprius Episcopus ordinationem ratam habet. Ex quo satis apparere videtur, ratihaberi posse etiam illa, quæ nomine nostro gesta non sunt. 6

Secundò. Vigore *c. quod sicut. 28. v. quod si. de Elect.* Capitulares absentes à præsentibus non vocati, sed contempti, ratificare possunt electionem, licèt eorum nomine non fuerit celebrata. 7

Tertiò. *c. Cùm non. 3. de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Cap. t.* dicitur, quod alienatio valeat, si eam ratam habeat Capitulum, etsi minimè ipsius nomine, sed eo positivè reclamante fuerit facta, ibi: *nisi eam ratam postmodum habuisset.* 8

Quartò.

9 Quartò. *vi l. 1. ff. de Recept. & l. 1. C. de his, qui latron. receptores* furum puniuntur ex eo, quòd sua receptione videantur furta ratificare, licèt eorum nomine facta non sint.

10 Verùm præfata & similia quantumvis videantur adversari Regulæ, eamque in illis fallere. re tamen bene inspecta eidem sufficienter conciliantur, fitque hanc in illis fallere meritò non existimatur. Et quidem ad tres primas apparentes Fallentias Resp. cum Gloss. hic: *talia Jura non loqui propriè de ratificatione, sed de novo quodam consensu.* Et meritò; quia cùm ex dictis Ratihabitio propriè sumpta id operetur, ut ratificans per fictionem juris censeatur author illius actûs, qui in suo nomine factum ratificavit, ac proin ex eo obligationem contrahat: hoc autem non evenit in præmissis casibus, utpote in quibus aliquis actum suo nomine non factum, superveniente consensu approbat duntaxat, & quandoque confirmat, (si nempe is à sola potestate & consensu hujus dependet.) Vide Laym. in *c. Eos. qui. de Tempor. Ordin. in 6.* & *c. prudentiam. de officio Judicis delegati. n. 2.* Et sic intelligenda etiam venit Glossa in *c. sicut 33. de Simon.* dum ait: *Et ita secundum canones possum habere ratum, quod non meo nomine gestum est.*

Ad quartam de Receptoribus furum Resp. quòd eos, quia veniunt in partem præstæ, & fures occultant, cum eis consentire, illosque fovere possint, quàm ipsorum rata habere furta censeatur. Pech. *in hanc Reg. n. 2.* 11

REGULA X.

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Ratihabitio æquiparatur mandato.*
3 *Et retrotrahitur ad tempus & locum, quò actus nomine ratihabentis fuit gestus.*
4 *Ad quod tamen requiritur primò ut sit Ratihabitio propriè talis.*
5 *Secundò, ut actus tempore, quo fuit gestus, potuerit à ratificante mandari.*
6 *Tertiò: & res tempora ratificationis adhuc sit integra.*
7 *Quartò: ut actus ab initio non fuerit invalidus.*
8 *Regulæ verus sensus quis? Declaratur exemplis: & seq.*
10 *Fallit Regula, si deest unum ex requisitis.*
11 *Item quando ad substantiam actus expressum requiritur mandatum.*
12 *Item quoad incurrendam irregularitatem.*

1 HÆc Regula pariter desumitur ex *c. penult. de Sent. excom. in 6.* Item ex *l. si fundus. 16. §. 1. ff. de Pignor.* & *l. 1 §. dejecisse. 12. ff. de vi & vi armata.* cum *Concordant.* à Glossa relatis *hic* & intelligenda est de Ratihabitione propria in Regula præcedente n. 3. jam declarata.

2 Quæritur I. Quid propriè dicere velit hæc Regula? quomodo intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam propriè id dicere velle; quòd, quando aliquis suo nomine quid facit, etiamsi à te mandatum, vel commissionem id faciendi non habeat, tamen, si postea illud ratum habes, seu ratificas & approbas, idem fit, & idem sequantur Juris effectus; ac si mandatum, illud faciendi eidem expressè dedisses; consequenter propria ratihabitio expresso mandato æquiparatur per Jura *n. 1.* citata: quod de omni actu & contractu, imo etiam de ipsis delictis intelligendum est, *arg. cit. c. penult. de Sentent. excom. in 6 & l. 1. §. dejecisse. ff. de vi & vi armata.* dummodo delictum sit tale, quod nomine alterius committi potest: ferus est in delictis, quæ nomine alterius fieri nequeunt, uti sunt delicta libidinis, adulterium, stuprum &c. hæc enim sicut alteri demandari nequeunt, ita etiam ab alio facta propriè ratihaberi non possunt, uti benè advertit Gloss in *cit. §. dejecisse, v. Mandato.*

3 Porrò Ratihabitio non tantùm æquiparatur mandato, sed etiam retrotrahitur tam ad tempus, quàm locum, in quo actus nomine alterius fuit gestus, ita ut actus non primùm à tempore ratificationis, sed jam à tempore & die, quo alterius nomine fuit gestus, validus esse, & effectum suum habere censeatur, uti pro indubitato habet Regula nostra; patetque ex cit. *l. si fundus. §. 1. ff. de Pignor.* & propter contractum nomine suo gestum. & ratihabitum non in loco ratihabitionis, sed in loco actûs gesti quis forum sortiatur, ut cum aliis benè advertit Barbos. *in hanc Reg. n. 10. arg. l. cum decem. 71. §. 1. ff. de solut.*

Verùm ut Ratihabitio præfatos operetur effectus plura requiruntur, veluti primò, ut ratihabitio sit propriè talis, quâ ratihabetur, seu approbatur actus verè nomine ratihabentis gestus, quia *Rerum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*, uti habet Regula præcedens. 4

Secundò, ut eo tempore, quo actus gestus est, potuerit à ratificante mandari: defectu cujus negotium nomine infantis, vel furiosi gestum ab illis etiam cessante impedimento ratihaberi nequit; quia ab eis tempore, quo gerebatur negotium, mandari non potuit. Barb. *hic n. 2. & 3.* Abb. *in c. fin. de conversi. in fin.* cum communi aliorum. Et ratio est; quia ratihabitio rei alicujus mandato comparari non potest, quæ mandari nequit. 5

Tertiò requiritur, ut tempore ratihabitionis res adhuc sit integra, id est, omnia adhuc in eo statu existant, in quo fuere tempore, quo actus nomine alterius fuit gestus. Barb. *in l. si uxor. §. si quis uxorem. 3 ff. de adult.* Barb. *hic n 7. arg. c. quamvis 8. de Rescript. in 6* Hinc etiam non valet ratihabitio, si intermedio tempore, aut alius jam fuit quæsitum jus tertio, aut eidem injustè præjudicatum. Barb. *hic n. 8.* cum communi aliorum. *arg. c. quamvis. 5. & c. si pro te. 13. de Rescript. in 6.* junctâ *l. si partem. 19. §. ult. ff. quemadmodum servitutes.* 6

Quartò requiritur, ut actus ab initio de jure non fuerit invalidus ex defectu conditionis vel solemnitatis à mea potestate non dependentis, uti pro Regula universali ad propositum post Abbatem, & Innocentium in *c. prudentiam. 21. de officio Judicis delegat.* tradit ibidem Fagn. *n. 2.* Laym. in *c. Nonnulli. 28. §. Sum & alii. de Rescript. n. 4.* ubi plura exempla ad propositum refert; quia ubi actus ab initio ita invalidus est, intrat Regula 18 *Juris in 6. Non firmatur tractu temporis, quod ab initio de Jure non subsistit.* 7

Resp. II Verus sensus Regulæ hic est: *Quantocunque aliquid ab alio nomine nostro gestum postea ratificamus, & approbamus, idem est, & eosdem habet effectus Juris, ac si à nobis ei prius expressè fuisset mandatum, seu verum ad id dedissemus mandatum.* Per Jura *num. 1.* citata, patetque Juris exemplis: sic enim v. g. si quis rem aliquam sine meo mandato, nomine tamen meo emit, & possessionem ejus accipit, & ego postea ratam habeo, 8

seu ratifico, approbo emptionem, idem acquiro dominium & possessionem rei, ac si à Procuratore expressum mandatum ad id habente fuisset empta. *arg. l. si ego. 24. ff. de Negot. g. st*

9 Item si quis sine meo mandato, nomine tamen meo percussit Clericum, & ego postea ratum habeo, æquè excommunicatus fum, ac si prius ad id dedisseu mandatum, *textu expresso c. penult. de Sentent. Excommun. in* 6. Sic rursus, si alius me etiam inscio, sed meo nomine aliquem dejecit à possessione, & ego hoc postea ratifico, perinde teneor interdicto *unde vi* ad possessionem restituendam & refarcienda damna illata, sicut tenerer, si id à principio mandassem. *c. Cùm ad sedem. 15. de Restit. spoliat. l. 1. §. sed & si. 14. ff. de vi, & vi armata.*

Quæritur II. An, & quæ dentur Fallentiæ circa hanc Regulam? Resp. Eam fallere *primò* in illis casibus, in quibus deest unum ex necessariò requisitus à n. 4 allegatis. 10

Secundò, quando expressum mandatum requiritur ad formam & substantiam actûs, vel in vim authoritatis; cùm ista per ratihabitionem non suppleantur *c. Cùm dilecta. 22. de Rescript.* & ibi Felin. *num. 6. Barb. hic num. 16.* Surd. *Decis. 159. num. 10.* 11

Tertiò, Fallit quoad irregularitatem incurrendam ob homicidium per alium meo nomine factum, & à me ratificatum, uti docet Gloss. *in can. si quis Viduam. 8. dist. 50.* Covat. *in Clement. si furiosus. p. 2. §. 1. n. 5.* Barb. *hic n. 17.* & alii ab eodem relati contra Navarr. *in Manu. cap. 27. n. 233.* 12

REGULA XI.

Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Nomine* Partium *in Regula intelliguntur* Actor & Reus. Actor *quis dicatur? ibid.*
3 Reus *quis?*
4 *Quid intelligatur per verbum* Jura?
5 *Et quid per verbum* obscura?
6 *Verus sensus Regulæ quis?*
7 *Declaratur exemplis Juris.*
8 *Ratio Regulæ, & sensus illius.*
9 *Solvitur objectio.*
10 *Fallit Regula in casibus favorabilibus.*
11 *Item in causis piis.*
12 *Et si actor est in possessione.*
In pari causa potior est conditio possidentis.

1 HÆc Regula desumitur ex *l. Favorabiliores. 125. ff. de* R. *I.* ibi: *Favorabiliores rei potius, quàm actores habentur*, cui concordat *c. Ex litteris. 3. de probat.* ibi: *cùm promptiora sint Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, præterquam in liberali causa.* Item *c. Inter dilectos 6. de fide Instrum. in fin.* ibi: *cùm obscura sunt jura partium, convenit contra eum, qui petitor est, judicari.*

2 Quæritur I. Quomodo intelligenda sit Regula? Et qui verus illius sensus? Ante responsionem explicare prius oportet terminos in Regula positos. Notandum itaque per *Partes* in Regula intelligi *Actorem* & *Reum*; in omni siquidem judicio vel processu præter Judicem concurrunt *Actor* & *Reus*. Actor est & dicitur, qui alterum ad judicium provocat, & rem aliquam ab eo præstandam petit. *l. In tribus. 13. ff. de Judiciis*, qui propterea à petendo etiam Petitor nominatur *cit. c. Inter dilectos. de fide Instrum. in fine.* In processu autem Criminali Accusator vocatur.

3 Reus, in genere loquendo, non pro criminoso, & delinquente sumitur, sed à Re, quæ ab eo petitur, sic nominatur, ita ut sensu Regulæ omnis ille dicatur *Reus*, à quo aliquid ab Actore etiam iniquè petitur. *c. forus de Verb. Signif.* ibi: *Reus à re, quæ petitur, nuncupatur; quis quamvis conjecturis sceleris non sit, Reus tamen dicitur, quamdiu in Judicium pro re aliqua petitur.*

4 Per verbum *Jura* intelliguntur Partium probationes, & defensiones, vel media ad probandum, vel se defendendum allumpta & producta; uti sunt depositio testium, instrumenta & scripturæ publicæ ac privatæ, juramenta, confessio alterius partis, leges item & canones in vim probationis adducti. Pech. *ad hanc Reg. num. 4.*

Per verbum *obscura* intelligitur, seu *obscura Jura* esse censentur, quando probationes, instrumenta, documenta, argumenta à partibus pro & contra producta ita sunt constituta, ut consideratis considerandis judex prudenter discernere non valeat, sed meritò dubius hæreat, pro quanam parte genuina veritas & justitia militet. His notatis, 5

Resp. ad quæstionem *n.* 2. positam, Regulam 6 in sequenti sensu, qui genuinus & verus est, intelligendam esse: *Si partium Jura, id est, eorum probationes & allegationes non sunt satis claræ seu manifestæ, sed dubiæ & obscuræ, seu ita constitutæ, ut judex æquò animò consideratis considerandis prudenter discernere non possit, quanam prævaleant, aut pro qua parte justitia magis militet: Reo potiùs, quàm Actori favere, consequenter illum à petitione Actoris absolvere debemus.* Per Jura clara *n. 1.* allegata.

Declaratur Juris exemplis: sic enim si duo Judices ordinarii super eadem causa cognoscant, & unus reum absolvat, alter verò condemnet eundem, quia Jura censentur obscura, absolutoria seu cessio Rei ob favorem ejusdem præferenda est. *l. Inter pares. 38. ff. de Re judicat.* & *l. Arrianus. 47. de Obligat. & Actio.* Dynus *in hanc Reg. n. 2.* Sic pariter si ago contra Titium hypothecaria actione, & probo rem mihi esse obligatam à Domino: Titius verò probet, illam rem sibi eodem die à Domino fuisse obligatam, consequenter, cuinam prius vel posterius non appareat, sed obscurum maneat, Titius tanquam reus absolvendus est. *l. si debitor. 10. ff. de pignor.* Sic in aliis causis civilibus, si partium jura præfato modo manent obscura, semper Reo magis quàm Actori favendum, sicque Reus vel flatim absolutè absolvendus, vel saltem præ Actore subinde ad juramentum suppletorium admittendus est in causis dictum juramentum admittentibus juxta dicta *Lib. II. Tit. XXIV. de Jurejur. à n.* 191. 7

Præter Jura jam allegata Ratio universalis est; 8 quia Reus invitus, & plerumque inopinatus, & impræparatus in judicio comparere debet: cùm econtra Actor priùs cunctis sibi necessariis & conducentibus jam prævisus reum adhuc impræparatum ad judicium inopinatò citari faciat, sicque plus illi, quàm huic favere æquitas postulet, uti cum aliis in hanc Regulam observat Barb *num.* 3. præsertim cùm suadente humanitatis ratione Jura promptiora sint ad absolvendum, quàm condemnandum, *cit. c. Ex litteris de probat.*

Objicitur contra Regulam: *l. Si quis intentione. 66. ff.* 9

66. ff. de Judic. jubemur petitionem ambiguam Actoris in favorem ipsius interpretari; ergo non semper Reo, sed etiam Actori in dubio favendum est. Respondet glossa, hanc legem intelligendam esse de initio causæ, non de fine ipsius, quando agitur de ejusdem decisione, circa quam observanda est Regula XI. Verum Barb. *lo. cit.* cum aliis rejecta opinione glossæ meritò censet, Regulam ab initio, in medio & fine judicii esse observandam, cùm non loquatur de claritate vel obscuritate petitionis ab Actore factæ (quam utique non in illius odium, sed favorem interpretari oportet, *arg. cit. l. si quis*) sed de jurium ab utraque parte productorum obscuritate post sufficientem discussionem adhuc remanente, volens, ut hæc stante semper reo potius quàm actori faveatur per concordantia Jura *n.* 1. citata.

10 Quæritur II. An, & quæ dentur Fallentiæ contra Regulam? Resp. Eam fallere *primò* in casu quo actor iovet causam favorabilem, puta pro matrimonio, libertate, dote aut testamento; in hujusmodi enim casibus stante dubio actori potius quam reo favendum est, Barb. *hic n. 4. c. fin. de sponsal. & re judicat.* junctis *c. Ex litteris de probat.* & aliis juribus citatis à glossa hic, quæ hosce duos versiculos addit:

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos,
Si sunt æquales, qui producuntur utrinque.

Fallit *secundò* in omni causa pia, si eam metur actor juxta Tiraquel. *de Privileg. piæ causæ Privil. 146. cum seqq.* Barb. *lo. cit.* Ratio est: quia causæ piæ etiam inter favorabiles causas veniunt. 11

Fallit *tertiò*, si actor est in possessione: in hac enim & ipse tuendus est, donec de jure partis adversæ constet, *c. Ex litteris. 3. v. Quòd si. de probat.* & *l. fin. C. de R. V.* Ratio est; quia in possessione existens actor præter jura, quæ cum reo paria habere censetur, etiam militante pro se gaudet Regulâ 65. Juris in 6. *In pari causa potior est conditio possidentis.* 12

REGULA XII.

In Judiciis non est acceptio personarum habenda.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Quid intelligatur in Regula per verbum* in Judiciis?
3 *Acceptio personarum quid?*
4 *Quando non exigente justitia, sed ex mera libera voluntate quid confertur, potest sine acceptione personarum una præ alia respici.*
5 *Verus sensus Regulæ, quis?*
6 *Solvitur objectio.*
7 *Ponuntur apparentes, sed non veræ Fallentiæ contra Regulam. & n. seqq.*

1 HÆC Regula conformis est præcepto Divino *Deut. 1.* ibi: *quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus: nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cujusquam personam; quia Dei judicium est.* Et traducta videtur ex *c. Novit. v. Cæterum de Judiciis.* & *c. Statutum. 11. §. Insuper. & seqq. de Rescript. in* 6. ac *c. 1. de Sentent. & re judicata. in* 6.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Verbum *in Judiciis* in hac Regula sumitur in lato sensu, ita ut nomine Judiciorum intelligantur non tantùm discussio & definitio causæ inter actorem & reum controversæ, sed alii actus, quibus examinantur & judicantur personarum jura, merita, qualitates in ordine ad justitiam tam distributivam quàm commutativam administrandam: in quo sensu vi Regulæ reprobatur acceptio personarum non solùm quando juxta justitiam commutativam discernitur & judicatur causa inter actorem & reum, sed & si discernuntur & judicantur jura, merita, qualitates, habilitates &c. ad servandam justitiam distributivam in conferendis beneficiis, officiis, dignitatibus, imponendis pro bono publico communibus oneribus &c. in quibus, ut in illis non est habenda acceptio personæ, seu non sunt attendendæ qualitates illius ad rem nihil facientes vel conferentes, sed id tantum, quod juxta jura, æquitatem & exigentiam rei, pro causa vel objecto plus, minusve servit, uti cum aliis bene observat Dynus *hic n. 7.* Barb *hic n. 3.* Strein. *hic n. 1.* Vincentius Tanino Ord. Min. Reform. glossator Regularum Juris solidus & clarus, *hic n.* 8. & patebit ex num. sequenti.

3 Per *Acceptionem Personarum* intelligit, & reprobat Regula illud vitium, quò aliquid, quod exigente justitia debetur uni, confertur vel adjudicatur alteri non intuitu juris vel meritorum hunc præ illo magis dignum vel aptum facientium, sed ob aliquam personæ conditionem, aut qualitatem, quæ ad id, quod confertur, prorsus nil facit vel confert, v. g. quia pulcher, quia affinis, quia consanguineus est: sic committitur acceptio personæ contra Regulam, si judex ei contra æquitatem adjudicat causam, quia illius affinis est; cùm affinitas prorsus nil faciat ad justitiam causæ: item si quis alicui præ alio longè digniore confert Parochiam, quia ejus consanguineus est; quia consanguinitas nil confert ad Parochiam: item si quis alicui præ alio longè utiliore confert officium publicum, à quo bonum commune multùm dependet, quia amat illum, vel reciprocè quia æstimatur aut amatur ab illo; cùm nec passivus nec activus amor horum quidquam faciat ad officium publicum, uti benè advertunt DD. in præced. citati, estque in re etiam communis Theologorum acceptionem personarum sic explicantium.

Notanter autem dicitur, quod *exigente justitia* commutativa nempe, vel distributiva, *debetur uni*, quia in casu, quo quis non ex justitia, sed ex mera gratia & libera voluntate aliquid v. g. eleemosynam tribuit, vel distribuit, non committit vitiosam acceptionem personarum, si unam personam v. g. consanguineam, gratam, amatam præ alia respicit, uni nil vel minùs aut plus quàm alteri largitur, vel largiri facit, uti cum D. Thoma 2. 2. *q. 63.* Sylvestro *v. Acceptio personarum.* & aliis advertit Barb. *hic n.* 4. id benè declarans exemplo divino: sic enim ait; quia Deus non ex debito justitiæ, sed ex mera gratia, bonitate & benignitate dona sua & gratias prout vult, distribuit (si enim ex justitia est debitor gratiæ, jam gratia non esset gratia) non dicitur acceptor personarum, quando præfata dona sua diversimodè, uni multa & magna: alteri modica & panca, uni duo, alteri quinque talenta pro divino beneplacito suo distribuit; uti patet ex textu Evangelii apud *Matth. 20. v. 15. aut non licet mihi, quod volo, facere.* Hinc 4

Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *In Judiciis seu, quando ex justitia commutativa, vel distributiva aliquid judicandum vel distribuendum est, non est habendus respectus vel acceptio personarum, hoc est,* 5

seu ratifico, approbo emptionem, idem acquiro dominium & possessionem rei, ac si à Procuratore expressum mandatum ad id habente fuisset empta. *arg. l. si ego. 24. ff. de Negot. g. st*

9 Item si quis sine meo mandato, nomine tamen meo percussit Clericum, & ego postea ratum habeo, æquè excommunicatus fum, ac si prius ad id dedisseu mandatum, *textu expresso c. penult. de Sentent. Excommun. in* 6. Sic rursus, si alius me etiam inscio, sed meo nomine aliquem dejecit à possessione, & ego hoc postea ratifico, perinde teneor interdicto *unde vi* ad possessionem restituendam & refarcienda damna illata, sicut tenerer, si id à principio mandassem. *c. Cùm ad sedem. 15. de Restit. spoliat. l. 1. §. sed & si. 14. ff. de vi, & vi armata.*

Quæritur II. An, & quæ dentur Fallentiæ circa hanc Regulam? Resp. Eam fallere *primò* in illis casibus, in quibus deest unum ex necessariò requisitus à n. 4 allegatis. 10

Secundò, quando expressum mandatum requiritur ad formam & substantiam actûs, vel in vim authoritatis; cùm ista per ratihabitionem non suppleantur *c. Cùm dilecta. 22. de Rescript.* & ibi Felin. *num. 6. Barb. hic num. 16.* Surd. *Decis. 159. num. 10.* 11

Tertiò, Fallit quoad irregularitatem incurrendam ob homicidium per alium meo nomine factum, & à me ratificatum, uti docet Gloss. *in can. si quis Viduam. 8. dist. 50.* Covat. *in Clement. si furiosus. p. 2. §. 1. n. 5.* Barb. *hic n. 17.* & alii ab eodem relati contra Navarr. *in Manu. cap. 27. n. 233.* 12

REGULA XI.

Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Nomine* Partium *in Regula intelliguntur* Actor & Reus. Actor *quis dicatur? ibid.*
3 Reus *quis?*
4 *Quid intelligatur per verbum* Jura?
5 *Et quid per verbum* obscura?
6 *Verus sensus Regulæ quis?*
7 *Declaratur exemplis Juris.*
8 *Ratio Regulæ, & sensus illius.*
9 *Solvitur objectio.*
10 *Fallit Regula in casibus favorabilibus.*
11 *Item in causis piis.*
12 *Et si actor est in possessione.*
In pari causa potior est conditio possidentis.

1 HÆc Regula desumitur ex *l. Favorabiliores. 125. ff. de* R. *I.* ibi: *Favorabiliores rei potius, quàm actores habentur*, cui concordat *c. Ex litteris. 3. de probat.* ibi: *cùm promptiora sint Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, præterquam in liberali causa.* Item *c. Inter dilectos 6. de fide Instrum. in fin.* ibi: *cùm obscura sunt jura partium, convenit contra eum, qui petitor est, judicari.*

2 Quæritur I. Quomodo intelligenda sit Regula? Et qui verus illius sensus? Ante responsionem explicare prius oportet terminos in Regula positos. Notandum itaque per *Partes* in Regula intelligi *Actorem* & *Reum*; in omni siquidem judicio vel processu præter Judicem concurrunt *Actor* & *Reus*. Actor est & dicitur, qui alterum ad judicium provocat, & rem aliquam ab eo præstandam petit. *l. In tribus. 13. ff. de Judiciis*, qui propterea à petendo etiam Petitor nominatur *cit. c. Inter dilectos. de fide Instrum. in fine.* In processu autem Criminali Accusator vocatur.

3 Reus, in genere loquendo, non pro criminoso, & delinquente sumitur, sed à Re, quæ ab eo petitur, sic nominatur, ita ut sensu Regulæ omnis ille dicatur *Reus*, à quo aliquid ab Actore etiam iniquè petitur. *c. forus de Verb. Signif.* ibi: *Reus à re, quæ petitur, nuncupatur; quis quamvis conjecturis sceleris non sit, Reus tamen dicitur, quamdiu in Judicium pro re aliqua petitur.*

4 Per verbum *Jura* intelliguntur Partium probationes, & defensiones, vel media ad probandum, vel se defendendum allumpta & producta; uti sunt depositio testium, instrumenta & scripturæ publicæ ac privatæ, juramenta, confessio alterius partis, leges item & canones in vim probationis adducti. Pech. *ad hanc Reg. num. 4.*

Per verbum *obscura* intelligitur, seu *obscura Jura* esse censentur, quando probationes, instrumenta, documenta, argumenta à partibus pro & contra producta ita sunt constituta, ut consideratis considerandis judex prudenter discernere non valeat, sed meritò dubius hæreat, pro quanam parte genuina veritas & justitia militet. His notatis, 5

Resp. ad quæstionem *n.* 2. positam, Regulam 6 in sequenti sensu, qui genuinus & verus est, intelligendam esse: *Si partium Jura, id est, eorum probationes & allegationes non sunt satis claræ seu manifestæ, sed dubiæ & obscuræ, seu ita constitutæ, ut judex æquò animò consideratis considerandis prudenter discernere non possit, quanam prævaleant, aut pro qua parte justitia magis militet: Reo potiùs, quàm Actori favere, consequenter illum à petitione Actoris absolvere debemus.* Per Jura clara *n. 1.* allegata.

Declaratur Juris exemplis: sic enim si duo Judices ordinarii super eadem causa cognoscant, & unus reum absolvat, alter verò condemnet eundem, quia Jura censentur obscura, absolutoria seu cessio Rei ob favorem ejusdem præferenda est. *l. Inter pares. 38. ff. de Re judicat.* & *l. Arrianus. 47. de Obligat. & Actio.* Dynus *in hanc Reg. n. 2.* Sic pariter si ago contra Titium hypothecaria actione, & probo rem mihi esse obligatam à Domino: Titius verò probet, illam rem sibi eodem die à Domino fuisse obligatam, consequenter, cuinam prius vel posterius non appareat, sed obscurum maneat, Titius tanquam reus absolvendus est. *l. si debitor. 10. ff. de pignor.* Sic in aliis causis civilibus, si partium jura præfato modo manent obscura, semper Reo magis quàm Actori favendum, sicque Reus vel flatim absolutè absolvendus, vel saltem præ Actore subinde ad juramentum suppletorium admittendus est in causis dictum juramentum admittentibus juxta dicta *Lib. II. Tit. XXIV. de Jurejur. à n.* 191. 7

Præter Jura jam allegata Ratio universalis est; 8 quia Reus invitus, & plerumque inopinatus, & impræparatus in judicio comparere debet: cùm econtra Actor priùs cunctis sibi necessariis & conducentibus jam prævisus reum adhuc impræparatum ad judicium inopinatò citari faciat, sicque plus illi, quàm huic favere æquitas postulet, uti cum aliis in hanc Regulam observat Barb *num.* 3. præsertim cùm suadente humanitatis ratione Jura promptiora sint ad absolvendum, quàm condemnandum, *cit. c. Ex litteris de probat.*

Objicitur contra Regulam: *l. Si quis intentione. 66. ff.* 9

66. ff. de Judic. jubemur petitionem ambiguam Actoris in favorem ipsius interpretari; ergo non semper Reo, sed etiam Actori in dubio favendum est. Respondet glossa, hanc legem intelligendam esse de initio causæ, non de fine ipsius, quando agitur de ejusdem decisione, circa quam observanda est Regula XI. Verum Barb. *lo. cit.* cum aliis rejecta opinione glossæ meritò censet, Regulam ab initio, in medio & fine judicii esse observandam, cùm non loquatur de claritate vel obscuritate petitionis ab Actore factæ (quam utique non in illius odium, sed favorem interpretari oportet, *arg. cit. l. si quis*) sed de jurium ab utraque parte productorum obscuritate post sufficientem discussionem adhuc remanente, volens, ut hæc stante semper reo potius quàm actori faveatur per concordantia Jura *n.* 1. citata.

10 Quæritur II. An, & quæ dentur Fallentiæ contra Regulam? Resp. Eam fallere *primò* in casu quo actor iovet causam favorabilem, puta pro matrimonio, libertate, dote aut testamento; in hujusmodi enim casibus stante dubio actori potius quam reo favendum est, Barb. *hic n. 4. c. fin. de sponsal. & re judicat.* junctis *c. Ex litteris de probat.* & aliis juribus citatis à glossa hic, quæ hosce duos versiculos addit:

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos,
Si sunt æquales, qui producuntur utrinque.

Fallit *secundò* in omni causa pia, si eam metur actor juxta Tiraquel. *de Privileg. piæ causæ Privil. 146. cum seqq.* Barb. *lo. cit.* Ratio est: quia causæ piæ etiam inter favorabiles causas veniunt. 11

Fallit *tertiò*, si actor est in possessione: in hac enim & ipse tuendus est, donec de jure partis adversæ constet, *c. Ex litteris. 3. v. Quòd si. de probat.* & *l. fin. C. de R. V.* Ratio est; quia in possessione existens actor præter jura, quæ cum reo paria habere censetur, etiam militante pro se gaudet Regulâ 65. Juris in 6. *In pari causa potior est conditio possidentis.* 12

REGULA XII.

In Judiciis non est acceptio personarum habenda.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Quid intelligatur in Regula per verbum* in Judiciis?
3 *Acceptio personarum quid?*
4 *Quando non exigente justitia, sed ex mera libera voluntate quid confertur, potest sine acceptione personarum una præ alia respici.*
5 *Verus sensus Regulæ, quis?*
6 *Solvitur objectio.*
7 *Ponuntur apparentes, sed non veræ Fallentiæ contra Regulam. & n. seqq.*

1 HÆC Regula conformis est præcepto Divino *Deut. 1.* ibi: *quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus: nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cujusquam personam; quia Dei judicium est.* Et traducta videtur ex *c. Novit. v. Cæterum de Judiciis.* & *c. Statutum. 11. §. Insuper. & seqq. de Rescript. in* 6. ac *c. 1. de Sentent. & re judicata. in* 6.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Verbum *in Judiciis* in hac Regula sumitur in lato sensu, ita ut nomine Judiciorum intelligantur non tantùm discussio & definitio causæ inter actorem & reum controversæ, sed alii actus, quibus examinantur & judicantur personarum jura, merita, qualitates in ordine ad justitiam tam distributivam quàm commutativam administrandam: in quo sensu vi Regulæ reprobatur acceptio personarum non solùm quando juxta justitiam commutativam discernitur & judicatur causa inter actorem & reum, sed & si discernuntur & judicantur jura, merita, qualitates, habilitates &c. ad servandam justitiam distributivam in conferendis beneficiis, officiis, dignitatibus, imponendis pro bono publico communibus oneribus &c. in quibus, ut in illis non est habenda acceptio personæ, seu non sunt attendendæ qualitates illius ad rem nihil facientes vel conferentes, sed id tantum, quod juxta jura, æquitatem & exigentiam rei, pro causa vel objecto plus, minusve servit, uti cum aliis bene observat Dynus *hic n. 7.* Barb *hic n. 3.* Strein. *hic n. 1.* Vincentius Tanino Ord. Min. Reform. glossator Regularum Juris solidus & clarus, *hic n.* 8. & patebit ex num. sequenti.

3 Per *Acceptionem Personarum* intelligit, & reprobat Regula illud vitium, quò aliquid, quod exigente justitia debetur uni, confertur vel adjudicatur alteri non intuitu juris vel meritorum hunc præ illo magis dignum vel aptum facientium, sed ob aliquam personæ conditionem, aut qualitatem, quæ ad id, quod confertur, prorsus nil facit vel confert, v. g. quia pulcher, quia affinis, quia consanguineus est: sic committitur acceptio personæ contra Regulam, si judex ei contra æquitatem adjudicat causam, quia illius affinis est; cùm affinitas prorsus nil faciat ad justitiam causæ: item si quis alicui præ alio longè digniore confert Parochiam, quia ejus consanguineus est; quia consanguinitas nil confert ad Parochiam: item si quis alicui præ alio longè utiliore confert officium publicum, à quo bonum commune multùm dependet, quia amat illum, vel reciprocè quia æstimatur aut amatur ab illo; cùm nec passivus nec activus amor horum quidquam faciat ad officium publicum, uti benè advertunt DD. in præced. citati, estque in re etiam communis Theologorum acceptionem personarum sic explicantium.

Notanter autem dicitur, quod *exigente justitia* commutativa nempe, vel distributiva, *debetur uni*, quia in casu, quo quis non ex justitia, sed ex mera gratia & libera voluntate aliquid v. g. eleemosynam tribuit, vel distribuit, non committit vitiosam acceptionem personarum, si unam personam v. g. consanguineam, gratam, amatam præ alia respicit, uni nil vel minùs aut plus quàm alteri largitur, vel largiri facit, uti cum D. Thoma 2. 2. *q. 63.* Sylvestro *v. Acceptio personarum.* & aliis advertit Barb. *hic n.* 4. id benè declarans exemplo divino: sic enim ait; quia Deus non ex debito justitiæ, sed ex mera gratia, bonitate & benignitate dona sua & gratias prout vult, distribuit (si enim ex justitia est debitor gratiæ, jam gratia non esset gratia) non dicitur acceptor personarum, quando præfata dona sua diversimodè, uni multa & magna: alteri modica & panca, uni duo, alteri quinque talenta pro divino beneplacito suo distribuit; uti patet ex textu Evangelii apud *Matth. 20. v. 15. aut non licet mihi, quod volo, facere.* Hinc 4

Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *In Judiciis seu, quando ex justitia commutativa, vel distributiva aliquid judicandum vel distribuendum est, non est habendus respectus vel acceptio personarum, hoc est,* 5

est, non debet id, quod exigente justitia uni debetur, alteri adjudicari vel tribui intuitu alicujus conditionis vel qualitatis in persona repertæ, quæ ad justitiam causæ, quæ judicatur, vel ad rem, quæ tribuitur, nihil facit aut confert. Per Jura *n.* 1. citata. Cujus ulterior ratio est; quia justitia semper & ubique intendit æquitatem & æqualitatem: commutativa quidem arithmeticam, uti vocant, id est, ut perfectè & exactè in substantia, qualitate, pondere, numero, mensura vel æstimatione tantum detur, quantum debetur: distributiva verò geometricam, id est talem, quâ beneficia, dignitates, munera & officia publica, bona & onera communia juxta exigentiam & diversitatem qualitatum, meritorum, facultatum, idoneitatis &c. ita distribuuntur ac conferuntur, ut is, qui bonis qualitatibus, meritis, idoneitate &c. manifestè prævalet, aliis in collatione vel promotione præferatur, vel melius, utilius, nobilius, & dignius quid, quàm alter minùs dignus accipiat: ac ille, qui minus in facultatibus habet, ad minus, ille verò, qui majoribus facultatibus gaudet, ad plus pro sublevanda publica necessitate contribuendum adigatur; quam æquitatem vel æqualitatem in alterutro si quis intuitu impertinentis ad rem qualitatis vel conditionis in persona repertæ lædit, contra justitiam commutativam, vel distributivam procul dubio delinquit, & vitiosam acceptionem personarum habere censetur, uti cum præcitatis etiam alii tam Theologi, quàm Juristæ benè observant.

6 Objicitur contra Regulam & sensum ejus *can. Clerico.* 37. *dist.* 50. & *c. Nisi speciali.* 3. *de offic. legat.* ubi expressè habetur, quòd Papa ex speciali erga personam amore remiserit pœnam delicti; nam *cit. c. Nisi* dicitur: *Nisi specialis illa dilectio, quam ad personam tuam habuimus, & habemus, justum motum animi nostri temperaret, pœna docente cognosceres, quantum excesseris.* Resp. Quamvis etiam in justitia vindicativa Judices inferiores non possint habere respectum & acceptionem personarum, nisi in casibus à Jure præscriptis (nam *pro mensura peccati erit plagarum modus. Deut.* 25. *v.* 2.) tamen aliud est in Principe supremo, utpote qui lege sua superior existens jus aggratiandi, & pœnam remittendi vel mitigandi habet *per Vulgaria.*

Quæritur II. An hæc Regula? & quas Fallentias patiatur? Resp. Aliquas, uti casum in præced. num. ita & illos ponunt, in quibus ex dispositione legum in pœnis infligendis habetur respectus ad personas dignitate, libertate, vel alia qualitate præditas. *l. Aut facta* 16. §. 4. *ff. de Pœnis. l. ad Bestias.* 31. *ff. eod. can. Indignantur. cau.* 32. *q.* 6. Verùm quia respectus iste personarum habetur jure sic disponente, non delinquitur contra justitiam, nec quod uni ex justitia debetur, alteri tribuitur, consequenter non committitur vitiosa acceptio personarum per Regulam reprobata. 7

Sic pariter non est contra Regulam Fallentia, 8
quam alii tamen ponunt: quòd si quis ætate major contrahat cum pupillo sine authoritate tutoris, major vi contractûs obligetur pupillo, & tamen hic non obligetur illi *l. Julianus* 13. §. 29. *ff. de action. empt.* quia hoc non contra justitiam, sed juxta expressam Juris dispositionem, sicque justè, ac sine vitiosa acceptione personarum fit, præsertim cùm hæc Jure ordinatio æquissima sit, utpote per quam calliditati hominum obviatur, ne pupillis & minoribus infirmitate ac imbecillitate judicii plerumque adhuc laborantibus per circumventionem contractibus nocere valeant. *l.* 1. *ff. de Minor.*

REGULA XIII.

Ignorantia facti, non Juris excusat.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Ignorantia quid?*
3 *Alia est ignorantia Facti proprii vel alieni:*
4 *Alia Juris.*
5 *Utraque alia vincibilis: alia invincibilis; & quæ in foro interno?*
6 *Quæ in foro externo dicatur vincibilis?*
7 *Ignorantia vincibilis alia dicitur supina, seu crassa: alia affectata.*
8 *Aliud est ignorantiam excusare in ordine ad vitandum damnum: aliud ad acquirendum lucrum.*
9 *Regula habet duas partes, & quoad utramque secundum forum externum, & de ignorantia invincibili intelligenda est.*
10 *Verus sensus Regulæ quoad primam partem de ignorantia facti quis?*
11 *Facti alieni, non proprii ignorantia excusat.*
12 *Solvitur objectio: & n. seq.*
14 *Verus sensus Regulæ quoad secundam partem de ignorantia Juris.*
15 *Ignorantia Juris non excusat quoad acquirendum lucrum, benè verò quoad vitandum damnum.*
16 *Solvitur objectio contra Regulam: & n. seq.*
18 *Quis teneatur solvere expensas litis? remissivè.*
19 *Fallit Regula quoad primam partem in factis notoriis ac publicis.*
20 *Fallit etiam quoad secundam partem de Ignorantia Juris in militibus, minoribus, ac subinde etiam in rudibus.*
21 *Item in fœminis: & quomodo?*
22 *Item quando Jura non sunt clara, sed ambigua.*

HÆc Regula desumitur ex *l. Genero,* 8. *ff. de his, qui not. infam.* ex *l.* 1. *& seqq. ff. de Juris, & facti ignorantia*; uti & ex *Tit.* XVIII. *C. de Juris & facti ignorantia.* 1

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem sciendum, quid, & quotuplex sit Ignorantia. Quidam errorem cum ignorantiâ confundunt, & idem esse dicunt, sed minùs solidè; quia Error consistit in positivo falso judicio intellectûs: Ignorantia autem consistit in privatione scientiæ; & communiter benè describitur: Ignorantia est *privatio, seu carentia scientiæ, seu notitiæ circa ea, quorum scientiam habere possibile est.* 2

Ignorantia sic descripta alia est *Facti*, alia *Juris. Ignorantia facti* est, & dicitur, quando quis ignorat aliquid esse factum vel omissum, ad hunc, vel illum pertinere; v. g. ignorat quis, rem esse venditam: vel utrum Provincia quædam ad hunc vel illum pertineat Principem: an pugna sit commissa, an victoria ab hoc vel illo reportata. Hæc ignorantia rursus alia est *facti proprii*, alia *facti alieni.* Ignorantia *facti proprii* est, quâ facta nostra propria seu ea, quæ à nobis ipsis facta sunt, ignoramus, seu non ampliùs scimus. Ignorantia *facti alieni* est, quâ nescimus, quæ ab aliis fiunt, vel facta sunt. 3

Ignorantia *Juris* est, quâ ignoramus Jura, seu Leges vel Canones, aut Statuta municipalia, mandata vel decreta; tali ignorantiâ laborat v. g. qui solemni- 4

solemnitates Juris ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitas ignorat, vel quòd decimæ novalium primô triennio semper pertineant ad Parochum &c.

5 Ignorantia tam facti quàm Juris ulteriùs alia Vincibilis, alia Invincibilis est, quæ utraque aliter in externo, aliter in foro interno sumitur. In foro interno enim invincibilis ignorantia (quam etiam antecedentem, item probabilem & justam vocant) illa dicitur, quæ morali diligentia impediri, seu tolli non potuit, eò quòd vel in mentem non venerit cogitare vel dubitare de opposito: vel etsi inciderit, scientiam tamen vel notitiam etiam adhibitâ diligentiâ & inquisitione acquirere, & ignorantiam depellere quis non valuit. Ignorantia vincibilis verò (quæ etiam consequens dicitur) in eodem foro interno est, quæ morali diligentiâ superari, & tolli, scientiaque oppositi acquiri potuisset & debuisset.

6 In foro externo autem, in quo quivis scire præsumitur id, quod illius status conditio, aut officium requirit, omnis ille dicitur habere Ignorantiam vincibilem, qui ea ignorat, quæ scire ad statum & conditionem illius requiritur, etiamsi de illo dubitare, vel cogitare non inciderit. *arg. c. fin.* §. *Si quis. de Clandest. Despons.*

7 Porrò Ignorantia vincibilis adhuc dividitur in *crassam, seu supinam,* & in *affectatam.* Crassa, seu supina est, quâ quis ex tædio, pigritia, aliâve insufficienti causa vel nullam, vel non debitam adhibet diligentiam ad acquirendam notitiam eorum, quæ ex statu aut conditione scire debet: affectata verò ignorantia dicitur, quâ datâ operâ scire quis non vult, vel scire cavet, quæ scire tenetur, ut vel liberiùs, & sine remorsu conscientiæ delinquere, vel excusationem circa legis obligationem prætendere queat: juxta quod de talibus legitur Job. cap. 21. *Qui dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* & Psal. 35. *Noluit intelligere, ut benè ageret.* Sic de natura & diversitate Ignorantiæ tam Theologi, quàm Juristæ communiter docent, suamque doctrinam desumunt & firmant ex Juribus *n.* 1. citatis præsertim ex *Tit. ff. & C. de Juris & facti ignorantia.*

8 Prænotandum etiam hic, aliud esse ignorantiam excusare in ordine ad damnum vitandum: aliud in ordine ad acquirendum lucrum. *arg. l.* 8. *ff. de Jur. & fact. ignor.*

9 Resp. I. Ad quæstionem *n.* 2. positam: Regula XIII. quæ duas habet partes, unam de *Ignorantia facti*, alteram de *Ignorantia Juris*, quoad utramque intelligenda est secundùm forum externum, & quidem de Invincibili, non de Vincibili Ignorantia; per hanc enim sive facti, sive Juris sit, neminem excusari vel juvari, certum est: quia, si crassa & supina habetur, deperditi, socordis, ac hoc ipso inexcusabilis hominis est. *l. Plurimùm.* 3. *ff. de Juris & facti Ignorantia.* indèque à jure reprobatur, etiamsi facti sit. *l.* 6. *ff. de Juris & facti Ignorantia.* ibi: *Nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis*: junctâ *l. Regula est.* 9. §. 2. *eod.* ibi: *quis enim, si omnes in civitate sciant, quod ille solus ignorat?* Si Juris est, etiam à SS. Canonibus rejicitur. *c. fin. de Constit. in* 6. ibi: *dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.* si autem affectata, sive juris sive facti fuerit, minùs excusat, utpote pejor omni alia. Et Ratio ulterior est, quia scire, & scire debere, facilèque posse in Jure paria habentur. *cit. c. fin.* §. *Si quis. de Clandest. Despons.* & *l. si Titius.* 48. *pr. ff. de Fidejuss.*

10 Resp. II. Verus Regulæ sensus quoad primam illius partem de Ignorantia Facti hic est: *Invincibilis, seu probabilis ignorantia facti alieni in foro externo excusat, tam quoad vitandum damnum, quàm in commodis.* per Jura citata, junctâ *l.* 8. *ff. de Jur. & fact. ignor.* ibi: *Error facti ne maribus quidem in damnis vel compendiis* (id est, in damno vitando, vel lucro captando) *obest.* Ratio est; quia, cùm facta aliena quasi innumera, eaque diversa & obscura sint, etiam prudentissimos, & expertissimos facilè latent & fallunt, ut dicitur *l.* 2. *ff. de Jur. & fact. ignor.* Unde etiam hæc ignorantia facti alieni in judiciis semper præsumitur, nisi à parte adversa scientia probetur. *arg. l. verius.* 21. *ff. de Probat.* & *c. præsumitur* 47. *de R. J. in* 6. ibi: *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.*

Dicitur autem notanter: *Facti alieni*; nam ignorantia facti proprii non excusat. *c. Ab Excommunicato.* 41. *de Rescript.* & *l. Quamquam.* 7. *pr. ff. ad S.C. Vell.* cùm nemo prudens censeatur ignorare facta propria, nisi forsan valde antiqua sint, vel quis plurimis negotiis implicatus, aut in extremis existens foret, indeque verisimilis oblivio prudenter præsumi valeret: uti post Marant. in *l. Is potest. ff. de acquir. hæred. n.* 217. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 25. *à n.* 28. *& seqq.* observat Barb. *in hanc Reg. n.* 20. *& seq.* 11

Nec obstat Responsioni *can. In lectum.* 6. *cau.* 34. *q.* 2. ubi habetur, quod marito sit imposita pœnitentia ob concubitum cum sorore uxoris suæ ignoranter factum; cùm dicta soror absente uxore lectum clanculùm ingressa maritum deceperit, & secum quasi cum uxore propria ad copulam induxerit; Nam contra est, tum quia ille maritus propterea non fuit habitus reus adulterii: quòd autem punitus fuerit, non in pœnam delicti, sed ad evitandum scandalum, & pro majori cautela, si forsan in cavendo incestu & adulterio negligentia vel culpa intervenisset, factum est, Gloss. *hic*, & in *cit. can. In Lectum. v. Pœnitentiam.* 12

Pariter non obstat *c. Innotuit* 20. *de Elect.* ubi Canonici ignoranter eligentes indignum ob defectum Natalium repelluntur: consequenter etiam ignorantia facti non excusare satis innuitur; Nam respondetur *primò*: Pœnam privationis tunc non fuisse impositam. *Resp. secundò*: Canonicos illos improvidè, & ex vincibili ignorantia facti elegisse; quia ex officio tenebantur indagare & habere notitiam de habilitate eligendi: de vincibili autem ignorantia Regula non loquitur, sed ipsamet eam rejicit juxta dicta *n.* 9. 13

Resp. III. Verus sensus Regulæ quoad secundam illius partem de Ignorantia Juris sequens est: 14
Nulla ignorantia Juris sive divini & naturalis, sive humani, sive legis, sive Canonis, sive statuti municipalis, sive receptæ consuetudinis in foro externo excusat quoad acquirendum lucrum: benè verò quoad vitandum damnum in re sua amittenda emergens, arg. can. Turbatur 12. *cau.* 1. *q.* 4. Ratio est, quia leges ab omnibus intelligi & sciri debent. *l. Leges* 9. *C. de Legib.* & *l. Constitutiones.* 12. *C. de Jur. & fact. ignor.* ibi: *Constitutiones Principum nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus.* Proin ignorantia Juris, sicuti ignorantia facti, non præsumatur, sed pro culpa lata habeatur, uti post Bart. & Bald. benè observat Barb. *hic. n.* 23.

Dicitur autem notanter, *quoad acquirendum lucrum, benè verò quoad damnum vitandum in re sua amittenda*; quia leges ipsæ expressè sic distinguunt, *l. Juris.* 7. *ff. de Jur. & fact. ignor.* ibi: *Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum verò petentibus non nocet.* & *l. Error.* 8. *ff. eod.* ibi: *Cæterum omnibus Juris error in damnis avertendis non nocet.* 15

Objicitur contra secundam hanc partem Regulæ *c. fin. de Constit. in* 6. ubi expressè habetur, quod Statutorum, sicque Juris ignorantia excuset, nisi 16

nisi sit crassa aut supina. Resp. ibi sermonem esse de sententiis censurarum, ad quas contrahendas contumacia, & quasi contemptus potestatis Ecclesiasticæ aliquid sub censura prohibentis requiritur. *c. Sacro. 48. de Sent. Excom. & c. Ex parte. 23. de V. S.* quæ contumacia sine prævia monitione & notitia prohibitionis sub censura factæ non datur.

17 Objicitur ulteriùs: Jura, Leges ac Canones innumeri sunt, & maxima pars hominum eos inculpabiliter ignorat, cùm illos scire nec status, nec conditio eorum requirat; ergo æquum est, ut etiam Juris ignorantia probabilis aut invincibilis excuset. Resp. objectionem procedere quidem & stringere in foro interno, non item in externo; in hoc enim juxta Jura *n. 14.* citata nulla attenditur ignorantia; eò quòd, licèt multi Jura ignorent, de iis tamen in judicialibus, & subinde etiam extrajudicialibus majoris momenti negotiis ipsos concernentibus per alios informari, ac notitiam eorum acquirere possent &c. indeque ipsos ignorantia illorum in foro externo non excuset.

18 Cæterùm ex Regula hactenus declarata adducit Glossa *hic* notabilem doctrinam, an & quando vi dictæ Regulæ quis in judicio teneatur ad ex ensas litis; Verùm quia de hac materia sufficienter jam egimus *lib. II. Tit. 27. § 7* Lectorem illuc remittimus.

19 Quæritur II. An, & quales Regula XIII. patiatur fallentias? Resp. I. Eam quoad partem primam de *Ignorantia facti* fallere in casibus, & factis publicis ac notoriis, aut valde notabilibus & ponderosis, quæ ferè cunctis patent, & à quovis modicâ duntaxat adhibitâ diligentiâ sciri possunt. Barb. *hic n. 22.* Menoch. *de Præsumpt. præsumpt. 23. n. 68. arg cit. l. Regula est. 9. ff. de Juris & facti. ignor.* ibi: *sed facti Ignorantia ita demum cuique non nocet, si non ei summa negligentia objiciatur; quid enim, si omnes in civitate sciant, quod ille solus ignorat.* cum concordant. quamvis hæc propria fallentia dici vix queat; cùm in hujusmodi casibus censeatur adesse supina ac vincibilis ignorantia facti, sicut in illis factis, quæ quis vi status & conditionis scire tenetur: de qua ignorantia quia non loquitur Regula per dicta *n. 9.* fallentiæ in dictis casibus propriè non censetur subjecta.

Resp. II. Quoad secundam partem de *Ignorantia Juris* Regula fallit 1. in militibus & minoribus *l. Regula est 9. ff. de Jur. & fact. Ignor. & l. 1. C. eod.* Item in omnino rudibus, cæu quo copiam peritorum Juris, quos consulant, non habent, uti communiter volunt DD. *arg. cit. l. Regula §. 3. ff. de Jur. & fact. Ignor.* item *t. 1. § fin. de Edendo.* ac adhuc clariùs *l. fin. C. de Testament.* ibi: *in illis locis, in quibus verò inveniuntur homines literati, per præsentem legem Rusticanis concedimus &c.*

20 Fallit 2. juxta aliquos in fœminis propter sexus infirmitatem *arg. supe cit l. Regula.* Verùm quia hæc lex non absolute, sed cum restrictione fœminas excepit, ibi: *quod & in fœminis in quibusdam causis propter sexûs infirmitatem dicitur:* causas autem has *l. fin. C. eod.* non nisi illas esse dicat, ubi agitur de vitando damno, ibi: *Ne possim licere fœminis omnes suos contractus retractare in his, quæ ignoraverunt statuimus, si per ignorantiam Juris damnum aliquod circa jus vel substantiam patiantur, in his tantùm casibus, in quibus præteritatum legum Auctoritas eis suffragatur:* hinc propria fallentia dicenda non videtur; cùm Juris ignorantia quoad vitandum damnum nulli noceat, sed quemvis etiam vi Regulæ excusèt juxta dicta *n. 15.*

21 Fallit 3. quando Jura non sunt clara, sed ambigua, obscura, ac propterea multùm controversa inter DD. Hujusmodi enim Juris ignorantia tam quoad acquirendum, quàm vitandum damnum excusat. Barb. *hic. n. 26.* Abb. *in c. de quarta. de Præscript. n. 12.* & alii communiter: & Ratio est; quia ubi jus est verè dubium, ac inter DD. controversum, non est major ratio, cur quis unam potiùs quàm aliam opinionem sequi teneatur; quin imo talis ignorantia propriè non est Juris, cùm de ratione Juris seu legis sit esse manifestum. *con. Erit autem lex. dist. 4.*

REGULA XIV.

Cùm quis in Jus alterius succedit, justam ignorantiæ causam habere censetur.

SUMMARIUM.

1 *Hæc Regula exemplificat duntaxat, & declarat antecedentem.*
2 *Succedens in jus alterius sive universale, sive particulare præsumitur ignorare facta antecessoris.*
3 *Si contra ipsum agitur, non item, si ipse actionem instituit.*
4 *Verus sensus Regulæ quis?*
5 *Solvitur objectio.*
Ignorantia Successoris non tollit obligationem solvendi debita antecessoris, sed suspendit tantùm, donec probetur: ibid.

1 HÆc Regula desumpta ex *l. qui in ulterius. 42. pr. ff. de R. J.* nil aliud vult, quàm aliquò Juris exempio declarare & confirmare Regulam præcedentem XIII. uti benè notat Gloss. *hic in fine*; cùm enim juxta dicta in antecedente Regula, Ignorantia facti alieni excusèt: quid autem antecessor debet, an, & qualiter bona ipsius gravata sint, sit factum alienum, ignorans illud Successor meritò excusatur. Hinc pro brevi hujus Regulæ impeditione.

2 Quæritur, quomodo hæc Regula sit intelligenda? & quis verus illius sensus? Resp. I. Per verba: *in Jus alterius succedit.* hic non tantùm intelligi ilum, qui ex testamento, vel ab intestato in universum Jus alterius, sed quemvis alium, qui etiam quoad res particulares in jus alterius succedit, veluti Legatarius, Fidei-commissarius, Donatarius, Emptor; imò etiam Prælati, & alii in dignitate, officio, & beneficio succedentes: cùm hi æquè ac hæredes facta antecessorum, utpote aliena invincibiliter ignorare præsumantur, ac propterea excusari mereantur. Strein *in hanc Reg n. 1.* Canisius *in eandem in pr.* Barb. *ibid. n. 3. & 4.* & alii ab eo citati, per Jura in præcedenti Regula allegata.

3 Notandum tamen cum Gloss. cit. Dyno, Viviano *hic* & aliis, Regulam intelligi debere in casu, quo succedens in jus alterius convenitur ab aliquo, ut v. g. solvat debitum antecessoris, vel restituat rem ab ipso ablatam &c. in tali enim casu ex cusat ipsum ignorantia debiti tanquam facti alieni, quòd solvere non teneatur, nisi priùs debitum probetur: non autem in casu, quò successor ipse contra alium actionem instituit, tunc enim ignorantia ei non opitulatur; cùm quivis ad judicium provocans certus esse debeat de facto suo: quod totum liquet ex cit. *l. qui in alterius. 42. ff. de R. J.* ibi: *qui in alterius locum succedunt, justam habent causam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur, &c. Hæc ita de hærede dicta sunt, si cum eo ageretur, non etiam, si agat; nam planè,*

planè, qui agit, certus esse debet: cùm sit in potestate ejus, quando velit experiri, & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere. Et ex his

4 Resp. II. Genuinus sensus Regulæ XIV. hic est: *Qui in jus alterius sive universale, sive particulare succedit, invincibiliter censetur ignorare gesta antecessoris, consequenter nec in culpa nec in mora est solvendi debita per antecessorem occultè contracta, vel restituendi injustè ab eodem ablata, vel aliam præstandi occultam obligationem, donec à petente sufficienter probetur.* Per Jura & rationes jam allegatas.

5 Objicitur contra hanc Regulam & sensum illius *l. Ad diem. 77 ff. de Verb. oblig. & l. fin. ff. de Nautico fœnore.* vi quarum habetur, quod si quis alicui mille florenos ad certum diem sub pœna quinquaginta florenorum promiserit, ante adventum conventæ diei moriatur, hæres etiam ad pœnam teneatur; ergo Ignorantia facti ab antecessore non excusat successorem in jus illius. Resp. Has leges loqui de casu, quò debitum & pœna ex contracta adjecta jam sufficienter sint probata: in quo utique Ignorantia non amplius excusat, utpote quæ non extinguit reales obligationes & vera delicta antecessoris, sed successorem duntaxat immunem reddit à culpa & mora solvendi, donec debitum sufficienter probetur, quò factò ignorantia cessat, & stringit successorem in jus alterius eadem obligatio, quam habuit antecessor. Zoes. in *l. Stipulationum. 2. §. Ex his. ff. de V. O. n. 15.*

REGULA XV.

Odia restringi, & favores convenit ampliari.

SUMMARIUM.

1 *Regula celebris, sed difficilis explicatu est: & quare?*
2 *Quænam materia, lex, vel dispositio sit & dicatur favorabilis? & quæ odiosa? & trib. seqq.*
6 *Verus sensus Regulæ quis?*
7 *Declaratur Exemplis: & duob. seqq.*
10 *Omnes Leges panales censentur odiosæ, ac strictè interpretandæ.*
11 *Leges, Rescripta & Dispositiones, quæ à Jure communi exorbitant, censentur odiosæ.*
12 *Idem est de Privilegiis.*
13 *Afferuntur plura exempla ex Jure de restringendis, ac non extendendis odiosis. & trib. seqq.*
17 *Alia exempla de ampliandis, extendendis, & latè explicandis favoribus, ac odiis restringendis: & duobus seqq.*
Nomine Populi in odiosis non veniunt Clerici, benè verò in favorabilibus. ibid.
18 *Nomine Clericorum in odiosis non veniunt Episcopi, Prælati, Canonici, Religiosi: benè verò in favorabilibus.*
19 *Nomine Territorii in favorabilibus veniunt etiam loca exempta, non item in odiosis.*
20 *Regula circa exorbitantia à Jure communi, consequenter odiosa, fallit quando favor concessus est pro utilitate publica.*
21 *Vel pro cultu Divino, Fide, Religione, salute animarum, aut causa pia.*
22 *Vel ex motu proprio.*
23 *Item ubi est eadem ratio in lege expressa.*
24 *Item si extensio requiritur ad evitandum absurdum.*
25 *Circa ampliandos favores fallit etiam Regula in Beneficiis Ecclesiasticis.*
26 *Et quando præjudicatur Juri tertii jam quæsito.*

1 CElebrrima est hæc Regula, & in praxi frequentissimè occurrens, non tamen sine difficultate; cum non modica inter DD. controversia exsistat, quænam materia, lex & dispositio favorabilis: & quænam odiosa sit. Quamvis enim extra dubium sit, illas Leges, Canones, Statuta, privilegia, quæ meram beneficium in favorem unius sine præjudicio alterius & Juris communis continent, favorabiles censeri, indeque latè interpretari ac extendi posse & debere. *l. Beneficium. 3. ff. de Constit. Princ. & c. Cum Dilecti 6. de Donat.* Tamen quia in legibus dispositionibus, privilegiis &c. plerumque, quorduni est favorabile, alteri odiosum, vel a Jure communi exorbitans, ac econtra: difficultas in decidendo est, quænam favorabilis & quænam odiosa dispositio habenda sit?

2 Sanch. *lib. 1. de Matrim. disp. 1. n. 5.* cum aliis magnæ notæ Doctoribus putat, attendendam esse principalem intentionem disponentis vel legislatoris; si enim hic per suam legem, statutum, dispositionem principaliter intendit, alicui favorem exhibere, lex & dispositio favorabilis censenda, consequenter ampliandæ, extendendæ, & latè interpretanda est, licèt etiam in damnum & odium alterius redundet: si verò primarium intentum in alicujus odium & pœnam tendit, vel contra jus commune militat, lex odiosa reputari debet, etsi cedat etiam in alterius favorem. Quæ opinio vera & solida videtur, si accipitur cum restrictione, quam facit *disp. 3. n. 5.*

3 Ubi communioti, magis veræ ac solidæ adhæret doctrinæ, quam de hac materia jam tradidimus *lib. I Tit. 2. §. 17. d n. 437.* videlicet, quotiescunque odium & favor ab invicem separari possint, lex, vel dispositio partim favorabilis, partim odiosa censenda est; ac proin qua parte favorabilis, latè interpretanda venit: qua parte verò odiosa videtur, stictæ interpretationis est, ac restringi debet.

4 Si autem favor & odium in lege vel dispositione reperta separari nequeunt, attendenda est principalis intentio disponentis, seu legislatoris juxta dicta *n. 2.* quæ intentio tum ex verbis ipsius, tum ex subjecta materia desumi poterit.

5 Quod si verò non appareat an constitutio principaliter facta sit in favorem vel odium alterius, tunc favorabilis censenda, & consequenter latè interpretanda est. Et hanc doctrinam satis probavimus & declaravimus per Jura, rationem duplicem Gloss. DD. Bart. Bald. Jason. Covarr. Abbat. ipsumque Sanch & alios cit. *lib. 1. Tit. 2. §. 17. d n. 437.* ubi vide, ne superflua fiat repetitio. His præmissis,

6 Quæritur I. Quomodo Regula XV. intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Eam in sequenti genuino sensu intelligendam esse. *Leges*, canones, statuta, Rescripta, dispositiones odiosæ, id est, illæ, quæ vel jure communi exorbitant, vel principaliter in odium & pœnam tendunt, strictè interpretandæ, & propterea non extendendæ, sed restringendæ sunt: Favorabiles verò, illæ videlicet, quæ principaliter in favorem alicujus factæ sunt, *latè explicari & extendi possunt & debent.* ubi in præcedentibus numeris jam compendiosè, ex *cit. lib. I. autem Tit. 2. §. 17.* plenius declaratum probatumque habetur, & amplius.

7 Huic sensui ac doctrinæ conformiter rem magis variis exemplis declarat Glossa, & quidem imprimis in *c. Si propter. de Rescript. in 6.* ait, constitutione in hoc c. contentam, quâ ad debita solvenda Episcopo concedebantur beneficiorum fructus primi anni, esse favorabilem; quia principaliter est facta in favorem Episcopi ad solvenda sua debita, quamvis in eorum, quibus beneficia conferebantur, redundet damnum, utpote qui propterea redditus primi anni percipere non poterant.

8 Similiter in *c. Sciant cuncti. de Elect. in 6. v. alios.* inquit, eam constitutionem, quâ laici excommunicantur, quia gravare præsumpserunt Clericos ex eo, quòd rogati noluerint eligere illos, pro quibus laici intercedebant, esse favorabilem, non obstante, quòd laicis ob excommunicationem fuerit odiosa; quia principaliter facta est in favorem Clericorum ne injustè gravarentur.

9 Pariter *can. Si quis suadente diabolo.* quia principaliter in favorem status Clericalis conditus est; censetur favorabilis ex parte Clericorum, indeque latè interpretandus, etiam ad controversos, seu sic dictos Laicos Religiosos extendendus est: *c. Non dubium de Sentent. Excommun.* licèt ex parte violantium illum sit odiosus ob excommunicationem annexam, ac propterea ex parte personarum violantium, id est, violentas manus in Clericum mittentium strictè & cum effectu de actuali violenta injectione manûs interpretandus, & nullatenus ad verbalem, vel minis verberum in Clericum extendendus: quia favor & odium in hoc separari possunt juxta dicta *n. 3.*

10 Porro quia Regula duas habet partes, unam de odiis restringendis, alteram de favoribus ampliandis, loquendo specialiter de prima parte, seu de restringendo odio, seu odiosis imprimis omnes leges & dispositiones pœnales censentur odiosæ, ac propterea in dubio strictè interpretandæ, nec ultra casum, & personas expressas extendendæ sunt, uti ampliùs jam dictum *cit. lib. I. Tit. 2. §. 17. à n. 127. arg. l. 42. ff. de Pœnis.* ibi: *Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potiùs, quàm exasperandæ* & *c. In pœnis. 49. de R. J. in 6.* ibi: *In pœnis benignior interpretatio est facienda.*

11 Dein leges, Rescripta, ac omnes dispositiones à Jure communi exorbitantes, & multò magis Juris correctoriæ tanquam odiosæ, strictè interpretandæ, & nec in consequentiam trahendæ, nec de persona ad personam, neque de casu ad casum extendendæ sunt juxta *c. quæ 28. de R. J. in 6.* ibi: *quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam in consequentiam sunt trahenda.* & *c. Is qui. de filiis Presbyt. in 6.* ubi Papa ait: *prætextu dispensationis hujusmodi, quam exorbitantem à Jure oportet velut odiosam restringi.* junctâ *l. Si verò. 64. §. de Viro. 9. ff. Soluto Matrim.*

12 Et quoniam privilegia à potiori sunt contra Jus commune, *can. Privilegia. dist. 3.* à potiori etiam odiosa censentur; cùm omnis recessus à Jure sit odiosus *c. 1. & 2. de filiis Presbyt. in 6.* consequenter strictæ interpretationis juxta tritum brocardicum: *Privilegium concessum contra Jus est strictè interpretandum.* Non obstante, quod ex parte privilegiatorum contineant favorem, & dans privilegium principaliter intenderit favorem illis conferre; quia hic favor privatus est, cui præponderat favor Juris communis: quamvis hæc doctrina patiatur etiam suas fallentias juxta dicenda *n. 21.*

13 Sic ulteriùs in specie, quia *Clem. 1. de Privileg.* prohibens sub censuris, ne Religiosi sine licentia Parochi administrent extremam unctionem, & Matrimonium, non extenditur ad administrantes Baptismum, quia odiosa est.

14 Sic licet *Clement. un. de Consang. & Affin.* Moniales professæ si nubunt, & illi, qui eas in uxores ducant, sint excommunicati: tamen, quia odiosa est, strictè interpretari debet, & ideò ad fœminam, quæ professo Religioso nubit, extendi non potest. Taccin. *hic n. 8.*

15 Pariter quamvis vi Concilii Trident. excommunicationem incurrant, qui fœminas ad ingrediendam Religionem cogunt, tamen hanc excommunicationem non contrahunt cogentes masculum ingredi Religionem; quia Tridentina dispositio tanquam odiosa ad personas non expressas extendi nequit.

16 Rursus ob eandem rationem Clerici sæculares fraudantes decimas non incurrunt pœnas, quas contrahunt id facientes Religiosi. Gloss. in *Clement. 1. de Decimis.*

17 Loquendo autem ulteriùs in specie de secunda parte Regulæ, id est, de ampliando, latè interpretando & extendendo favore, imò pro utraque parte serviunt pro declaratione inter alia etiam sequentia exempla. *Primò:* licèt in odiosis & pœnalibus nomine populi non veniant Clerici: *arg. c. si Sententia. 16. de Sent. Excom. in 6.* in favorabilibus tamen eodem nomine etiam comprehenduntur; quia favores sunt ampliandi & extendendi.

18 *Secundò:* Quamvis in materia odiosa & pœnali nomine Clericorum non veniant Episcopi: *c. quia periculosum 4. de Sent. Excom. in 6.* neque Canonici, nec alii in Ecclesiastica dignitate constituti *c. Sedes Apostolica. 15. de Rescript.* & *c. Statutum 22. de Elect. in 6.* nec Religiosi, juxta Gloss. in *Clement. 1. de Supplend. neglig. Prælat.* sed soli Clerici sæculares: tamen in materia favorabili præfati omnes nomine Clericorum comprehenduntur.

19 *Tertiò:* Nomine Territorii in materia favorabili veniunt etiam loca exempta, non item in materia pœnali, vel alias odiosa. Felin. in *c. Rudolphus. de Rescript. n. 18.*

20 Quæritur II. An, & quæ sint Fallentiæ contra Regulam XV. Resp. Eam quoad primam partem de odiis restringendis fallere in exorbitantibus à Jure, consequenter odiosis tam legibus, quàm rescriptis, & privilegiis, ita ut non strictè, sed latè explicari & extendi possint ac debeant 1. Quando agitur de favore publicæ utilitatis. *arg. l. Cætera 41. §. sed si quis. ff. de Legatis. l.* Alexander *lib. 2. Consil. 216. n. 38.* Tuschus *lit. E. Concl. 665.* Bartol. Imola & alii.

21 Fallit 2. In Rescriptis & Privilegiis concessis pro favore cultûs divini, fidei, Religionis, salutis animarum. Fag. in *c. olim. de V. S. n. 25.* Sylvest. *v. Privilegium. q. 3. arg. c. in his. 30. de Privileg.* ibi: *In his, quæ ad cultum divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna esset potiùs interpretatio facienda.* Ratio redditur *l. Sunt personæ. 43. ff. de Religios. & Sumptibus fun.* ibi: *Nam summam esse rationem, quæ pro Religione facit.* Quam fallentiam Gloss. *in c. Sciant. v. alios. de Elect. in 6.* Sylvest. *loc. cit.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 27. n. 7.* Laym. *Tract. 4. cap. 23. n. 5.* & alii etiam extendunt ad illa, quæ concessa sunt in favorem Ecclesiæ, Monasterii, Hospitalis, vel alterius causæ piæ, aut aliàs favorabilis.

22 Fallit 3. quando Privilegium aut Rescriptum Juri communi contrarium datum est motu propriò Laym. *loc. cit.* Suarez *loc. cit. n. 8.* Tale siquidem tanquam proprium Principis beneficium, & ex certa scientia concessum amplam & latam interpretationem meretur. *c. Si motu proprio 23.* & *c. Si pluribus. 24. de Præb. in 6.*

23 Fallit 4. circa leges, ubi est eadem ratio in lege expressa; ob hanc enim etiam lex pœnalis, vel aliàs odiosa ad casum non expressum extenditur. Abbas Panorm. *lib. 1. Consil. 75. n. 6.* Tusch. *lit. E. Concl. 665. n. 4.* Gloss. *in Clement. 1. v. Eligatur. de Elect. arg. c. si postquam. 33. §. si verò. de Elect. in 6.* & *l. Si quis id 7. ff. de Jurisdict.* quia ratio in lege expressa est anima legis. *can. Consuetudo. dist. 1.* & *l. cùm ratio 7. ff. de Portion. quæ liberis.* & ubi hæc est eadem, etiam eadem censetur esse legis dispositio. *l. Ideo 27. ff. de legib.* cum Concord.

24 Fallit 5. In casibus, in quibus exorbitantia à Jure communi extensionem exigunt ad evitandum absurdum, v. g. quia aliàs duriùs ageretur cum Ecclesiis, & personis ecclesiasticis contra *c. 1. de Dolo & Contum.* ac Concordantias, junctâ *l. Servitus. 4. ff. quod vi aut clam.* ubi similis extensio fit: *ne melioris conditionis sint stulti, quàm periti.*

25 Quoad secundam partem de favoribus ampliandis Fallit 1. in Beneficiis Ecclesiasticis, utpote quæ propter ambitionem strictè interpretanda sunt textu claro *c. quamvis. 4. de Præb. in 6.* ubi etiam ratio exprimitur, ibi: *Quamvis plenissima sit aliàs in beneficiis interpretatio facienda, litteræ tamen super obtinendis beneficiis debent, cùm sint ambitiosæ, restringi.*

26 Fallit 2. In quibuscunque etiam maximè favorabilibus dispositionibus, quæ præjudicant Juri tertii jam quæsito, prout desumitur ex *c. Super eo. 15. de offic. Deleg. c. licet. 12. de offic. Ordin.* & *c. cùm capella. 16. de Privileg.* junctâ *Regula Cancell. 18. de non tollendo jus quæsitum.* ubi Papa expressè declarat, quod per nullas litteras & gratias, etiam motu proprio datas, tollatur Jus tertii jam quæsitum.

Cæterùm, quia plura circa hanc Regulam ac de interpretatione illius scire desiderat, legat ex *lib. 1. Tit. 2. de Constit. §. 17.* & *Tit. 3. de Rescript. §. 5.*

REGULA XVI.

Decet concessum à Principe Beneficium esse mansurum.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Beneficium propriè & latè sumptum quid? Hic sumitur in sensu lato, prout etiam privilegium comprehendit.*
3 *Decet quidem Principem, ut beneficia non revocet: potest tamen tale suo subdito concessum ex causa justa revocare.*
4 *Non item concessum alieno.*
5 *Cur deceat Principem beneficia & privilegia concessa non revocare?*
6 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
7 *Solvitur objectio:* Par in parem non habet imperium: *quomodo intelligendum?*
8 *Causæ, ob quas revocari possunt, vel ipso jure cessant privilegia.*
9 *Enarrantur breviter.*

1 HÆc Regula desumitur ex *c. Si super gratia. 9. de Offi. Delegat. in 6. c. Si cui. 36. de Præb. in 6.* & aliis à glossa hic citatis Juribus.

2 Quæritur, Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis *Beneficium Principis* propriè sumptum illud solum dicatur, quod ex liberalitate non contra, sed præter Jus commune sine ullius, quàm concedentis præjudicio confertur, ut ampliùs diximus *Lib. I. Tit. 2. de Constitut. n. 445. & seq.* tamen à Regula hic sumitur latè, prout privilegium quoque, etiam contra Jus concessum comprehendit, uti cum Strein *hic n. 1.* benè observat Peckius *hic n. 4.* ut proin sicut beneficia propria, sic etiam Privilegia à Principe (cujus nomine etiam Episcopi veniunt juxta Gloss. *hic*) concessa constanter durare, & manere deceat, consequenter morte concedentis non expirent, nisi aliter in concessione beneficii, gratiæ, vel privilegii exprimatur *arg. c. si gratiosè. 5. de Rescript. in 6.* ubi gratia à Pontifice concessa *usque ad suæ voluntatis beneplacitum* per obitum concedentis, quò ejus *beneplacitum* omnino extinguitur, eo ipso expirare dicitur.

3 Per verbum *Decet* dicere vult Regula, quòd omnino conveniens sit, & deceat quidem Principem, ut beneficia, gratias & privilegia à se, vel antecessore concessa permanere permittat: ad id tamen absolutè non obligetur, nec potestas ei adempta sit, quin hujusmodi beneficia & privilegia proprio subdito concessa ex parte, vel in toto, saltem ex justa causa moderari, vel tollere & revocare valeat, uti probat Gloss. ex *c. quia sæpe 40. de Elect. in 6.* ibi: *Non obstantibus quibuscunque privilegiis c. Clericis 3. de Immunit. Ecclesiast. in 6.* ibi pariter: *Non obstantibus quibuscunque privilegiis,* cum Concord.

4 Dicitur autem notanter: *proprio subdito;* quia privilegium non proprio sed alieno subdito concessum à concedente non ampliùs potest revocari, uti jam diximus & probavimus *lib. V. Tit. 33. §. 6. n. 121.* ubi *n. 122.* addidimus, quòd privilegia non merè gratiosa, sed onerosa, vel intuitu meritorum, aut per modum pacti etiam subditis propriis concessa revocari non ampliùs valeant; ubi vide, ne superflua fiat repetitio.

5 Cæterum, cur deceat Principem, ut concessa à se, vel antecessore beneficia ac privilegia manere & durare permittat. Ratio est: tum quia etiam Princeps ex suo consensu æquè ac privatus obligatur propter æquitatem & rationem naturalem dictantem, ea, quæ semel placuere, esse servanda *l. 1. pr. ff. de Pactis.* ibi: *hujus edicti æquitas naturalis est; quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuêre, servare.* junctâ *Reg. 21. Jur. in 6. Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.* Tum quia vel maximè convenit Principi illud *Psal. 61. v. 12. Semel locutus est Deus.* & illud Pilati: *quod scripsi, scripsi.* Joan. *cap. 19. v. 22.* cùm debeant habere unam linguam, & unum calamum atque immobiles esse instar lapidis angularis, aut poli in cœlo, uti post Bald. & Gail. *lib. 2. Observ. 55. n. 3.* benè observat Strein. *hic n. 2.* Præsertim quia cuivis viro bono, & multò magis Principi turpe ac probrosum est esse inconstantem, ac infidelem in dictis & promissis. Dictis conformiter

6 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est *Beneficia, Privilegia, & aliæ gratiosæ concessiones Principum sine determinatione temporis, vel clausula restrictiva concessa, durare & manere debent: personalia quidem usque ad mortem privilegiati: realia verò stabiliter, ita, ut neque à concedente, neque à successore auferri conveniat, nec cessent sine justa, eâque gravi causa.* per rationes & Jura citata, præsertim *c. Si cui 36. de Præb. & Dignit. in 6.*

7 Nec objicias: Par in parem non habet imperium *c. Innotuit. 20. de Elect.* & *l. Nam Magistratus. 4. ff. de Recept. arbitr.* ergo saltem à successore, cujus potestatem ligare non potuit antecessor, liberè revocari possunt beneficia & privilegia ab antecessore concessa. Resp. enim, hoc procedere quoad futura, non autem quoad præterita, præsertim intuitu meritorum, aut onerosè vel per pactum concessa; talia enim sicut nec à concedente, sic nec à successore sine justa, eâque gravi causa saltem honestè ac licitè prohibitu auferri valent juxta communem tam Juristarum, quàm Theologorum; cùm aliàs quivis rebus & juribus

juribus suis, etiam jam quæsitis, pro libitu Principis successoris privari posset.

8 Dicitur autem notanter *num. 6. sine justa, eaque gravi causa*; ex hac enim sicut concedens & successor beneficia & privilegia revocare possunt, sic etiam aliquoties per se cessant & amittuntur juxta unanimem DD. Quænam autem sint hæ causæ, fusè diximus *Lib. V. Tit. 33. de Privileg. §. VI. & seqq.* ac compendiosè adducuntur à Gloss. *hic*, & *can. Renovantes. 6. dist. 22.* ac *can. Privilegium. 63. cau. 21. q. 3.* juncto abusus, delictum, negligentia, seu non usus, contrarium factum, atque superveniens enormis damnum. Et quidem breviter de his loquendo

9 Propter abusum perdi privilegium habetur *cit. can. Privilegium 63. cau. 11. q. 3.* ibi: *Privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.*

Propter *Delictum* perdi, patet ex *can. Ita nos. 25. cau. 25. quæst. 2.* ubi civitati duos Episcopos suos occidenti in pœnam delicti subtrahitur Sedes Episcopalis.

Propter *negligentiam seu non usum*: *l. 1. ff. de Nundinis*, ubi dicitur: *Nundinis impetratis à Principe non utendo qui meruit, decenni tempore, usum amittit.*

Propter *contrarium factum*, arg. *c. si de terra. de Privileg.* ibi: *de privilegio tamen indulto tanto tempore vis detrahere voluisti, cùm liberum sit, cuique jus suum renuntiare, eòque modò non potestis vos in hac parte tueri.*

Propter *superveniens enorme damnum. arg. c. Decimas. 8. de Decimis*, ibi: *Unde quoniam fidem fratres ex hoc gravantur enormiter &c.* & *c. Suggestum. 9. de Decimis.* quò revocatur privilegium ex eo, quòd cæperit enormiter nocivum esse; ubi glossa *v. Privilegium* sic habet, pluribus probat: *quòd secundùm diversitatem temporum, & varietatem rerum privilegia sint variandа*; unde illi versus:

Indultum tollit contemptus, crimen, abusus,
Oppositum factum, damnum, tempus variatum.

De quibus causis plura invenies *cit. lib. V. Tit. 33.* & quidem de Abusu §. 8. *à n.* 176. De non usu, item de contrario facto, §. 10. De Damno superveniente, item de lapsu temporis §. 8. ubi etiam *à n.* 183. alia assignatur causa, videlicet Cessatio causæ finalis, non item impulsivæ. Item §. 9. Renuntiatio.

REGULA XVII.

Indultum à Jure Beneficium non est alicui auferendum.

SUMMARIUM.

1 *In quo differat hæc Regula à præcedenti?*
2 *Beneficium, vel Privilegium alicui de jure communi competens à nullo homine, etiam Judice &c. auferri potest:*
3 *Nisi à Supremo legislatore ex gravi justa causa.*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ:*
5 *Et declaratur exemplis.*

1 QUamvis hæc Regula (quæ ex *l. 1. Neque enim ff. de feriis.* & *L. Adulter. C. ad legem Juliam. de Adulter.* desumpta habetur) non multùm dissimilis sit à præcedente, tamen ab ea in hoc principaliter differt, quòd præcedens de beneficiis & privilegiis ab homine potestatem concedendi privilegium habente, Principe nempe concessis, loquatur: præsens verò Regula agat de beneficiis & privilegiis, quæ ab ipso jure communi habentur, eique inserta reperiuntur; qualia sunt v. g. Privilegium Exemptionis Clericorum à jurisdictione laicorum: privilegium Restitutionis in integrum Minoribus ab ipso Jure concessum, jurique communi insertum. Itaque

2 Quæritur, Quomodo hæc Regula sit intelligenda, & quis verus illius sensus sit? Resp. Eam sic esse intelligendam, quòd indultum beneficium, vel privilegium de Jure communi alicui competens, à nullo homine, etiam judice (nisi supremus Legislator sit) auferri valeat. Ratio est; quia, cùm indulta & privilegia juri communi inserta naturam legis assumant, lex autem ex naturâ suâ debeat esse perpetua *arg. c. fin. de offic. legat.* cum concord. suamque firmitatem & stabilitatem tum ab authoritate legislatoris, tum à promulgatione & acceptatione, consensuque communi totius populi habeat, à nullo homine privato, nec à Judice auferri, mutari, aut effectus illius impediri potest; eò quòd Judices sint tantùm ministri ac executores Juris & legum, indeque illis se accommodare, & juxta eas, non verò pro suo libitu contra easdem procedere ac judicare possint & debeant. *can. In ipsis. 3. dist. 4. c. 1. de Sentent. & re judic. l. fin. C. Si contra jus & utilitatem.* & *l. Nemo.* 13. *C. de Sentent. & interlocut.*

Dicitur autem notanter: *nisi supremus legislator sit*; hic enim, sicut alias leges & constitutiones, sic etiam indulta, beneficia & privilegia etiam juri communi inserta per aliam legem revocare, mutare, variare, aut penitus auferre potest ob gravem & justam causam, præsertim ob necessitatem aut utilitatem publicam. *arg. c. Non debet. 8. de Consang. & affin. c. 2. & 3. de Censib. in 6.* juncta *l. Princeps. 31. ff. de LL. cum Concordant.* & amplius dictum est *Lib. 1. Tit. 2. de Constit. §. 19. & seqq.* Nec obstat, quòd lex ex natura sua debeat esse perpetua; quia perpetuitas legis in sensu negativo, ita videlicet intelligenda est, quòd, sicut sine ulla determinatione temporis, aut præfixo termino conditur, sic etiam sine ullo respectu semper & perpetuò, seu tamdiu servari debeat, donec à Supremo Legislatore ex justa causa revocetur, mutetur, varietur, minuatur &c. vel etiam per contrarium legitimam consuetudinem tollatur, uti fieri posse certum est *c. fin. de Consuet.* His præmissis,

Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Indultum beneficium, vel privilegium à Jure communi, lege, vel Canone concessum, sicque de Jure communi alicui competens; nullus homo, nec Judex ab eo auferre, vel illum impedire potest, quò minùs tali indultò liberè uti & gaudere valeat:* Per Jura & rationes allegatas.

Exempla hujus innumera habentur in Jure; sic enim nullus etiam judex tollere potest privilegium immunitatis ecclesiasticæ, vel impedire, quo minùs eâ utatur Clericus. Nullus item auferre aut impedire potest Beneficium restitutionis in integrum Minoribus & Ecclesiis de jure communi competens. Sic pariter *c. fin. de secundis Nupt.* prohibetur, ne facultas à Jure communi mulieri concessa transeundi inter annum luctus ad secunda vota eidem auferatur. Et quoniam circa hanc Regulam difficultas aliqua facilè non solubilis vix invenitur, pergimus ad Regulam XVIII. declarandam.

REGU-

REGULA XVIII.

Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Intelligenda de Nullis ipso jure: non de primùm annullandis:*
3 *Et nisi aliò adminiculò firmentur priùs invalida.*
4 *Ponitur verus Regulæ sensus.*
5 *Declaratur & firmatur exemplis, in Testamentis &c.*
6 *Legatis:*
7 *Contractibus:*
8 *Judiciis:*
9 *Rescriptis:*
10 *Alienationibus rerum Ecclesiæ; quia hæc omnia recensita, si ab initio invalida fuerant, non firmantur tractu temporis.*
11 *Solvitur objectio de Professione, quæ ab initio invalida post quinquennium valida evadit.*
12 *Sicut & contractus Minoris invalidus post quinquennium convalescit non solo tractu temporis, sed præsumpta tacita ratificatione.*
13 *Collatio beneficii patronati sine consensu invalidè facta validatur non tractu temporis, sed ob negligentiam Patroni.*
14 *Falla Regula in contractibus.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. quod in initio. 29. ff. de R. J.* ibi: *Quòd in initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.* cui concordat *c. Imperialem. Lib. 2. Feud. de prohibita feudi alienat. per Fridericum.* ibi: *quia ab initio de Jure non valuit, tractu temporis convalescere non debet.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam duntaxat de ipso jure nullis, non verò de primùm annullandis de Jure, seu de illis, quæ de jure quidem valida sunt, eodem autem disponente annullari possunt, intelligendam esse, uti benè advertit Gloss. *hic. arg. c. Bonæ. 4. de Postulat. Prælat.* ubi Postulatio Archi-Episcopi Colon. admittitur, quamvis de jure fuisset annullanda. *cum Concord.*

3 Item intelligendam esse: nisi de Jure nullum aliò adminiculò, v. g. novò tacitò vel expressò necessariò consensu, sublatâ causâ invaliditatis firmetur, uti pluribus probat Gloss. *hic v. non firmatur.* In quo tamen casu priùs invalidum non firmatur ex *tunc*, quando actus nullius actus est (uti res se habet in rati habitione juxta Reg. X. n 3.) sed ex *nunc*, quando ex tacito vel expresso consensu actus valere incepit. nisi jus in particulari aliter disponat.

4 Resp. II. Verus sensus Regulæ sequens est: *Nullus actus, qui, dum perficitur ipso jure invalidus, & nullus est, solo tractu & lapsu temporis sine alio adminiculo convalescit, ut vim & effectûs ab initio validè gesti habeat.* Ratio est; quia sicut actus ab initio legitimè & validè initus non potest expræcisso tractu temporis vitiari aut annullari, juxta *Reg. 73. de R. J. in 6. Factum legitimum retractari non debet &c.* ita è contrario solus tractus seu lapsus temporis non potest actum ab initio nullum revalidare; cùm tempus ex se solo sit insufficiens ponendam vel tollendam obligationem, nisi aliud extrinsecum adveniat actui. *l. obligationum. 44. §. 1. ff. deobligat. & action.*

5 Et procedit summè practica hæc Regula, verè universaliter veluti in Testamentis, & ultimis Voluntatibus: In Contractibus, in Beneficiis & Rescriptis in Judiciis &c. prout pluribus exemplis ex Jure declarat ac firmat Dynus & Glossa hic. Sic enim Testamentum ex defectu testantis, v. g. ab amente, furioso, impubere invalidè factum non convalescit, etiamsi amens tractu temporis fiat rationis compos, aut impubes pubescat. §. *Præterea. Instit. quibus non est permissum facere testamentum* juncta *l. Ejus. 8 pr. l. Si filius fam. 19. ff. qui Testamenta facere poss.*

Sic legata ab initio nulliter & invalidè facta ob incapacitatem legatarii v. g. apostasiæ à fide, tractu temporis etiam remotò impedimento non convalescunt. *arg. l. Hi, qui Sanctam. C. de Apostatis.* 6

Sic in contractibus: si impuberes, ubi malitia non supplet ætatem, contrahunt sponsalia, ea ex defectu ætatis invalidè contracta non convalescunt, etiamsi tractu temporis legitima superveniat ætas. *c. un. pr. de Desponsat. impub in 6.* ibi: *Sponsalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per tractum temporis minimè convalescunt.* Idem est in aliis contractibus. 7

Sic in Judiciis: Sententia de Jure nulliter lata manet talis, & nullo quantumvis longo tempore valida evadit, nec transit in rem judicatam, etiamsi illâ gravatus frustra appellationis neglexerit. *l. Si expressim. 19. ff. de Appellat.* 8

Sic in Beneficiis & Rescriptis: Nam si in ætate nondum legitima per invalidam collationem beneficium accepisti, collatio postmodum tractu temporis superveniente ætate sufficiente non evadit valida, quia ab initio fuit nulla. *c. Si eo tempore. 9. de Rescript. in 6.* 9

Sic alienationes rerum Ecclesiasticarum ex defectu requisitarum solemnitatum ab initio invalidæ tractu temporis non validantur. *Extravag. Ambitiosæ. de Reb. Eccles. non alien. inter communes.* 10

Objicitur tamen contra Regulam & sensum illius 1. Professio Religiosa ab initio invalidè facta per quinquennium ita firmatur, ut reclamans non amplius audiatur. *Concil. Trident. Sess. 25. cap. 19. de Regular.* Resp. Professionem hujusmodi non firmari solo tractu temporis, sed quia nulliter professus præsumitur intrà quinquennii tempus professionem ratificasse. 11

Objicitur 2. Contractus Minorum absque curatoris authoritate celebrati ipso jure sunt nulli. *l. si curatorem. 3. C. de In integr. restit. min.* & tamen si per quinquennium integrum non conqueruntur, postquam Majores facti sunt, æquè subsistunt. ac si ab initio cum debita Juris solemnitate fuissent initi. *l. fin. C. Si Major. fact. alienat.* ergo tractu temporis firmatur, quod ab initio non valuit. Sed Resp. uti ad priorem objectionem, videlicet contractum Minoris ab initio invalidè factum non validari præciso tractu quinquennii, sed tacita consensu, quem habere præsumitur, si major factus tacet, & non conqueritur. Vivian. *hic* Strein. *ibid. n.* 3. 12

Objicitur 3. Collatio beneficii patronati sine Patroni præsentatione vel consensu facta, ipso jure nulla & irrita est. *can. Decernimus cau. 16. q. 7.* & tamen si Patronus intrà tempus ad præsentandum à jure sibi concessum alium non præsentat, collatio priùs nulla convalescit, uti post Felin. in *c. Cùm Bertoldus. de Sentent. & re judicat.* docet Strein. *hic n.* 3. ergo. Resp. præfatam nulliter factam collationem non solo tractu temporis, sed ex speciali Juris dispositione ob negligentiam Patroni validari; quando enim Patronus intrà tempus à Jure præscriptum ad beneficium præ- 13

præsentare negligit, ea vice jure præsentandi privatus existit, & validatur collatio priùs nulliter facta, ne longior beneficii vacantia evadat Ecclesiæ damnosa, & animabus periculosa. Felin. ubi suprà n. 14. Pech. hic n. 4. & Strein. n. 3.

14 Quæritur II. An detur Fallentia contra Regulam XVIII? Resp. Eam fallere in præscriptione; in hac enim lapsus temporis à Jure præscripti firmat contractum emptionis & venditionis etiam quoad translationem dominii, ita ac si ab initio omni ex parte ritè celebratus esset. Si dicis: ad præscriptionem non sufficere solum tractum temporis, sed requiri etiam possessionem & bonam fidem, Resp. etsi res ematur bonæ fide & possideatur, tamen contractus emptionis est & manet quoad translationem dominii adhuc imperfectus, donec præscriptus adveniat temporis lapsus, qui proin solus contractum ex integro perficit.

REGULA XIX.

Non est sine culpa, qui Rei, quæ ad se non pertinet, se immiscet.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Nomine Rei hîc intelliguntur etiam officia, negotia, facta, acta &c.*
3 *Res ad aliquem non pertinere, & ei se immiscere dicitur, qui invadit rem alienam:*
4 *Qui exercet actum de jure vi status prohibitum: Clericus chirurgiam exercens, secuta morte est irregularis: ibid.*
5 *Item, qui invitô Dominô negotium illius assumit:*
6 *Vel Jurisdictionem alterius exercet.*
7 *Item falsò jactans scientiam vel artem, quam non callet, qui etiam ad restitutionem secuti damni tenetur.*
8 *Item qui ex ambitione Dignitates & Officia Ecclesiastica obtinent.*
9 *Ponitur verus sensus Regulæ:*
10 *Quæ fallit I. In casu necessitatis.*
11 *II. Quando quis requisitus alterius negotium agit.*
12 *III. Vel irrequisitus utiliter agit.*
13 *Si aliàs ad rem habilis & peritus est.*
14 *IV. Si alterius negotio etiam contra prohibitionem illius immiscet, ut illum ab interitu eruat.*

1 HÆc Regula desumpta videtur ex c. *Tua. 10. de Homicidio*, eique concordat *Regula 36 ff. de R. J.* ita sonans: *Culpa est, se immiscere rei ad se non pertinenti.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis proprius illius sensus sit? Resp. I. Nomen *Rei* in Regula intelligendum esse in sensu lato, ita ut non tantùm res illa, quæ ad aliquem Jure proprietatis pertinet, sed etiam officia, negotia, administrationes, munera, judicia, sententiæ, aliqua facta & acta nomine rei hîc comprehendantur, prout cum communi aliorum benè observat Peck. *hîc n. 1.* & Taccinus *ibid.*

3 Verba autem, *quæ ad eum non pertinet*, iisdem modis intelligi debent, quibus modis res quædam ad aliquem pertinere dicitur: ut proin sicut variis modis res ad aliquem pertinere potest, *v. g.* quia verum illius dominium & proprietatem habet, vel usufructus rei illi competit, vel ratione officii, muneris, status, administrationis, tutelæ, obedientiæ &c. sic iisdem modis res quædam ad aliquem non pertinere possit, ac per consequens ille dicatur se culpabiliter immiscere rei ad se non pertinenti 1. qui rem alienam invadit, vel possessionem vacantem propria authoritate capit; quia omnes scire debent, id, quod suum non est; ad alium omnibus modis pertinere, *L. fin. C. Unde vi.*

4 2. Qui exercet actum, vel ei se immiscet, qui ille ratione status non competit, sed Jure prohibitus est, uti si Clericus sagittarium agit *can. Clericus. dist. 50.* vel artem chirurgicam exercet *c. Tua. de Homicidio.* ibi enim dicitur: *quòd Monachus multùm deliquerit alienum officium usurpando, quod sibi minimè congruebat*, ubi etiam decernitur, quòd *Religiosus chirurgiam exercens, si ex ea mors sequatur, irregularis sit, etiam si sit peritus & diligens, & hoc fecerit causâ pietatis*, ut ibidem summarium habet.

3. Qui directè vel indirectè physicè vel moraliter, invito vel prohibente Domino aut eo, ad quem pertinet, negotium illius assumit, gerit, aut ei se immiscet, culpabiliter agit, ac nec stipendium, nec honorarium meretur, nec factos sumptus repetere potest, etiam si negotium benè, & in utilitatem Domini gesserit *l. fin. C. de Negot. gest.* 5

4. Qui alterius jurisdictionem exercet, vel illius præsertim inviti vel non requirentis officio se ingerit, per Jura allegata, & *l. Culpa. 36. ff. de R. J.* 6

Et præcipuè, qui simulat, jactat, vel profitetur scientiam vel artem v. g. scientiam juridicam, theologicam, Medicam, chirurgicam, mechanicam, quam non callet, indeque ad officium aliquod hujusmodi scientiam aut peritiam artis requirens se intrudit vel ad illud intuitu ejusdem assumitur Dynus *hic.* Gloss. in *cap. ad aures. de ætat. & qualit.* Barb. *eod. n. 2.* Strein. *ibid. n. 2.* Taccin. *nu. 2.* cum communi aliorum meritò docentium, hujusmodi tam in præsenti quam prioribus numeris rei alienæ culpabiliter se immiscentes etiam ad restitutionem teneri, & aliquando publicâ pœnâ puniri posse, si exinde damnum sequatur *l. Idem Juris. 8. § Mulionem &c. sequenti ff. ad legem Aquil.* junctâ *l. Illicitas 6 § Sicuti 7. ff. de officio Præsid.* Ratio est; quia revera ad illum non pertinet officium munus vel negotium, qui requisitâ ad illud scientiâ vel peritiâ caret, consequenter illud assumens rei alienæ, quæ ad eum non pertinet, culpabiliter se immiscere, & pœnâ dignus esse censetur. Nec excusat ipsum in officio vel munere jam existentem priùs notat inhabilitas vel infirmitas; quia, ut meritò dicitur *cit. l. Idem Juris. Nec videtur iniquum, si infirmitas culpæ adnumeretur, cùm affectare quisque non debeat, in quo intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam aliis periculosam futuram.* & *cit. l. Illicitas § 7. Medico, quod per imperitiam commisit, imputari ei debet.* & infra: *Prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet.* 7

Ad culpabiliter se immiscentes rei alienæ ad se non pertinenti, præsertim ad speciem in n. præced. allegatorum, omnium maximè jure meritò ex S. Chrysost. *Lib. 4. de Dignit. Sacerd.* redacit Strein. *hîc n. 1.* Regulares & sæculares Clericos, qui præsertim minùs apti dignitates & officia honorifica ecclesiastica ambiunt; quia hæc ad illos planè non pertinent, cùm per Jura illis indigni habeantur. Hinc S. Chrysost. *loc. cit.* ait: *Nullus relinquitur excusationi locus in his, quæ postea commisit is, qui se ad susceptionem honoris illius opportunum spondet; nec potest ultra dicere, quia invitus hoc aut illud feci, aut invitus in hoc deliqui: Respondebitur enim illi à Judice; cur conscius tibi tam grandis inscitiæ* (aut juxta *l. 8. & 9. ff. ad leg. aquil.* imperitiæ vel infirmitatis) 8

ausus es accedere officium, quod vires tuas superat? quis te coëgit? Huc serviunt etiam illa, quæ de Pastoribus animarum, & ambientibus horum officia diximus ad Regulam decimam appositam quinto Decretalium.

9 Resp. II. Sensus genuinus Regulæ sequens est: *Qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet, id est, qui rem alienam, in qua nil Juris habet, invadit: aut negotio vel officio contra prohibitionem illius, ad quem pertinet: vel quod ratione propriæ imperitiæ aut inhabilitatis: vel intuitu præsentis status sibi non congruit, se ingerit, culpam committit, ac propterea non tantùm ad restitutionem, damnique inde secuti resarcitionem tenetur, & conveniri valet: sed etiam pœnâ publicâ pro culpæ & circumstantiarum qualitate affici potest.* Per Jura & rationes allegatas: quibus accedit, quòd qui sic agit, illicitè & culpabiliter agat, sicque pro exigentia culpæ etiam pœnam mereatur. *c. Tua. 19. de Homicid. c. Sententiam. 9. Ne Clerici vel Monachi.* junctâ *l. 8. & 9. ff. ad l. Aquil.*

10 Quæritur II. An, & quas Regula XIX. patiatur Fallentias? Resp. Eam fallere in sequentibus, & quidem 1. In casu necessitatis: hac enim urgente etiam Clericus & Monachus possunt exercere artem chirurgicam vel medicam aliàs ratione status sibi prohibitam, consequenter ad se non pertinentem, v. g. incisionem, vel adustionem facere, experimentô probatam medicinam suadere & præbere absque omni culpæ vel irregularitatis periculo, si alii periti in arte desint, vel venire & juvare detrectant. Navar. in *Manu. cap. 25. n. 110.* Sanch. *lib. 6 Moral. cap. 14. n. 38.* Laym. *Lib. 3. tr. 3. p. 3. cap. 10. n. 3.* Covar. *in Clement. Si furiosus. p. 2. § 4. n. 9.* Strein. *hic.* cum communi aliorum. *c. quod in lege. 4. de R. J.* ibi: *Quod in lege non est licitum, necessitas facit licitum.* Et Ratio est; quia in casu necessitatis lex humana cedere debet legi divinæ & naturali, quæ vult, ut proximo in necessitate succurramus.

11 Fallit 2. In casu, quo quis requisitus alterius negotium vel officium peragit, dummodo conditioni status non incongruum sit. Ratio est, quia *non decet alicui suum officium alteri præstitum esse damnosum* ut dicit *c. Cùm non 30. de Elect. in 6.* Nec refert, si alter per accidens exinde damnum patiatur; quia tunc non tam ex parte gerentis seu præstantis alienum negotium vel officium, quàm ex parte requirentis adesse videtur culpa, ex qua propria si quis damnum sentit, de jure sentire non censetur. *l. quod quis ex culpa. 203. ff. de R. J.* ibi: *quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.*

Fallit 3. universaliter, quando quis ad rem aliàs 12 habilis & peritus, & irrequisitus non in proprium, sed alterius, præsertim absentis, commodum & lucrum negotium illius sibi ratione status non inconveniens *utiliter* gerit vel peragit. Strein. *hic n. 4.* Gloss. *hic v. Non est sine.* id probans ex variis Juribus: & Ratio est; quia hominis interest, ab homine affici beneficiô *l. Servus. 7. ff. de servis export.* ibi: *cùm beneficio affici hominem intersit hominis.* ob quam rationem Gloss. *loc. cit.* etiam infert, eum, qui alienum negotium utiliter gerit, non se immiscere rei alienæ ad se non pertinenti, cùm ad eum suô modô, lege humanitatis videlicet, pertineat. *l. Non tantùm. 6. ff. de appellat. & Relat.* unde ei etiam competit actio, & eidem debent restitui facti sumptus saltem in eo, quod *utiliter* gessit, textu claro *l. 2. ff. de Negot. gestis.* non item pro eo, quod *inutiliter* gessit *arg. cit. l. 2.* ibi: *si utiliter gessit.* hinc etiam ad initium hujus fallentiæ notanter dicitur, qui *utiliter* gerit.

Dicitur ulteriùs notanter ibidem: *Ad rem aliàs* 13 *habilis & peritus:* inhabilis enim ac imperitus se alieno negotio immiscens semper in culpa, &, si damnum sequatur, restitutioni obnoxius est, per Jura & rationem *n. 7.* allegata.

Fallit 4. in casu, quô quis alieno negotio etiam 14 contra prohibitionem illius, ad quem pertinet, se immiscet, ut eum ab interitu aliàs securo servet. Gloss. *loc. cit. arg. l. Non tantùm. 6. ff. de Appellat. & Relat.* ubi habetur, quòd loco condemnati ad mortem quivis, etiam contradicente condemnatô, appellare possit, & exigente lege humanitatis audiendus sit.

REGULA XX.

Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Est intelligenda de solo Reo, non item de Actore.*
3 *Cur Reus pluribus defensionibus, & non actor pluribus actionibus uti valeat?*
4 *Reus non simul, sed successivè plures exceptiones contrarias adhibere potest,*
5 *Easque non omnes absolutè, sed disjunctivè veras esse dicere habet.*
6 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
7 *Solvitur objectio: & seq.*
9 *Reus appellans, assumit personam Actoris, & non potest ampliùs uti pluribus defensionibus.*
10 *Fallit Regula in Reo negante se servum habere:*
11 *Vel quadrupedem possidere:*
12 *Vel pecuniam sibi numeratam:*
13 *Vel scripturam suam esse:*
14 *Vel Pignus sibi datum, si desuper conventus, & de mendacio convictus fuerit.*

1 HÆc Regula desumpta est ex *l. Nemo. 8. ff. de Exception.* ubi dicitur: *Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversæ sint:* cui etiam concordat Reg. *Nemo ex his. 43. ff. de R. J.* ibi: *Nemo ex his, qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi lex impediat.*

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda, & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam 2 de Reo duntaxat, non autem de Actore intelligendam esse, ita ut licèt reus pluribus, iisque diversis defensionibus & exceptionibus se, suaque Jura contra Actorem tueri valeat per Jura citata, Actor tamen plures actiones super eadem re contra reum adhibere non possit, sed si plures ad manum forent, unam duntaxat ex illis eligere, & in eadem permanere debeat juxta unanimem DD. texto claro cit. *l. Nemo ex his. ff. de R. J.* ibi: *quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, unâ tantùm quis experiri debet.* & *l. quod in hærede ff. de tributaria actione.* ibi: *Eligere quis debet; qua actione experiatur, utrum de Peculio, an tributaria; cùm scit, sibi regressum ad aliam non futurum.*

Ratio autem, cur Reo plures diversæ defensiones, 3 non verò Actori plures actiones de Jure concedantur, justa prorsus & æqua est: Tum, quia defensio est Juris naturalis *l. Ut vim. 3. ff. de Justit. & Jur.* quæ autem hujus juris existunt, magis favorabilia sunt. § *penult. Instit. de Jure naturali.* prout etiam in specie causa Rei favorabilior est, quàm Actoris juxta Regulam XI. de R. J. & dicta ad eandem supra. Tum, quia actor pro suo libitu actionem omittere

vel instituere, aut differre, interea autem totis viribus se præparare, præsentes & absentes Jurisperitos consulere potest: quo favore reus non fruitur, utpote qui citatus ad judicem, impræparatus quoque ac inopinato tempore sibi præscripto comparere & respondere debet *l. Purè. 5. §. fin. ff. de doli mali except.* etiam Jurisperitis necdum consultis; ad quam inæqualitatem tollendam reo plures defensiones, actori verò una tantummodo actionis species conceduntur. Taccin. *hic. n.* 1. cum communi aliorum.

4 Verùm dum Regula præsens & alia Jura Reo permittunt plures defensiones etiam contrarias, ulteriùs ita intelligenda sunt, non ut plurium exceptiones contrariæ simul, sed successivè in judicio admittantur, quatenus si una non proficit, vel probata non sufficit, ad aliam recurrere liceat exceptionem vel defensionem. Gail. *de Pace publ. lib.* 1. *c.* 18. *n.* 6. Peck. *hic. n.* 7. & Strein. *n.* 2. Zoës. *in cit. Reg. Nemo. circa finem.* Barb. *hic. n.* 3. cum communi aliorum. *arg. c. Imputari. de fide Instrum.*

5 Notandum etiam Reo est, ut, dum plures exceptiones, vel defensiones diversas & contrarias etiam successivè adhibet, non afferat, eas omnes esse absolutè veras; cùm id repugnet naturæ, sed esse veras conditionatè, seu disjunctivè vel alternativè in hoc sensu, quòd, si una non est vera, saltem altera vel tertia sit vera: v. g. si accusaris hominem à te fuisse occisum, tu verò excipiendo negas: potes nihilo minus postquam convictus es, aliam exceptionem adhibere dicendo, te cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defendendam propriam vitam fecisse. Vel si actor in judicio fundum, quem possides, à te petit, excipere & defendere te potes dicendo successivè, illum tuum esse, quia emisti eum, vel quia tibi donatus est, vel quia jam legitimè præscripsisti. Covar. *Lib. I. variar. Resolut. cap.* 5. *n.* 3. Menoch. *Lib.* 2. *præsumpt.* 42. *n.* 1. cum aliis. In quo sensu intelligendus esse videtur Barb. *ad hanc Reg. n.* 5. ubi dicit, non posse reum uti pluribus exceptionibus ita sibi contrariis, ut juxta rectum sensum simul veræ esse non possint: aliàs enim doctrina Barbosæ Juri, & Regulis illius diversas exceptiones admittentibus esset contraria, Reisque multùm odiosa; cùm præfatæ diversæ exceptiones simul sumptæ absolutè veræ non sint, benè verò in sensu alternativo, seu disjunctivo & conditionato supra jam explicato.

6 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Nullus Reus in judicio conventus prohibetur pro eadem re, vel jure suo conservando plures etiam diversas, & sibi contrarias adhibere exceptiones, non quidem eas simul & semel, sed successivè proponendo, ac successivè dicendo, quòd si una non sit vera, vel insufficiens existat, saltem altera, vel tertia vera & sufficiens maneat.* Per Jura & rationes allegatas: Exempla plura ex jure affert Gloss. *hic* & Dynus: habes etiam aliqua supra *n.* 5. posita.

7 Objicitur contra Regulam & sensum illius 1. *c. Veniens.* 19. *de Præscript.* ubi exceptio præscriptionis fuit rejecta, quia priùs jam alia, privilegii videlicet exceptio fuerat adhibita. Resp. In hoc capitulo non Rei, sed actoris exceptionem fuisse rejectam, cùm juxta dicta *n.* 2. actor pluribus exceptionibus uti non possit.

Objicitur 2. commune illud Brocardicum: *Contraria allegans non est audiendus. arg. c. Imputari.* 13. *de Fide Instrum.* cum concord. Resp. illud intelligendum esse de Actore. *l.* 1. *C. de Furtis.* non autem de Reo, utpote cui de jure naturali competit, ut omni, quò potest, modo se defendere, damnumque & injuriam avertere valeat. *l. ut vim.* 3. *ff. de J. & J.* dummodo contraria non simul proponat. *c. Imputari. de fide instrum.* ubi rejicitur, qui scripturas contrarias simul produxit. 8

Objicitur 3. Species quædam exceptionis etiam Appellatio est; sed reo appellanti non licet contrarias exceptiones adhibere. *arg. l. si Procuratorio.* 2. §. 1. *ff. quando appell.* Resp. Reum appellando assumere personam Actoris, cui, quia in prima instantia una tantùm actione experiri licet, per Jura *n.* 2. allegata, multò magis ad id tenetur in secunda instantia. 9

Quæritur II. An, & quas Fallentias Regula hæc XX. patiatur? Resp. Eam fallentiis subjectam esse clarè patet ex cit. *Reg.* 43. *ff. de R. J.* quæ, dum dicit, Reum pluribus uti posse defensionibus, addit, *nisi lege prohibeatur*: Lege autem subinde prohibitum est etiam, reo plures adhibere defensiones: consequenter Regula fallit 1. quando quis conventus de noxa servi negat, se habere servum in potestate, convictus enim de mendacio non ampliùs auditur *l. quoties.* 21. § *fin. ff. de Noxali.* 10

Fallit 2. si conventus de pauperie quadrupedis negat, se habere quadrupedem: convictus siquidem alia exceptione uti nequit. *l.* 1. §. 15. *ff. Si quadrup. pauper.* 11

Fallit 3. In casu quo quis conventus, ut pecuniam sibi mutuò datam, & à se jam solutam solvat, negat, sibi pecuniam unquam fuisse numeratam; convictus enim de mendacio non ampliùs auditur textu claro *Auth. Contra. C. de non numerat. pecun.* 12

Fallit 4. Et ad ulteriorem exceptionem non admittitur, si debitor conventus negat propriam scripturam in qua debitum continetur: in quo sicut & priori casu Reus conventus postea convictus insuper in duplum condemnatur. *cit. Auth. Contra:* ibi: *Contra, qui propriam scripturam, quâ convenitur, abnegat, vel numeratam inficiatur, convictus in duplum condemnetur &c.* 13

Fallit 5. Si creditor conventus de pignore, se pignus habere negat, cùm habeat; convictus enim in hoc de mendacio ad aliam defensionem non ampliùs admittitur. *Auth. Item possessor. C. qui potior in pignore.* 14

REGULA XXI.

Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Ad eam requiritur primò, ut, quod placuit, non sit contra jus, bonos mores, vel animam. Graviter errant, qui promissa iniqua observant.*
3 *Secundò requiritur, quod liberè placuerit: Et quidem*
4 *Tertiò, Externè.*
5 *Quartò, quòd alterius intersit in semel placito manere.*
6 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
7 *Humanæ fidei & commercio nil tam congruum, quàm verba & promissa servare.*
8 *Declaratur Regula exemplis Juris: & 6. seqq.*
15 *Fallit Regula primò ubi habetur mutuus consensus.*
16 *Secundò superveniente de novo, vel priùs non cognitâ causâ.*
17 *Tertiò in iis, in quibus licet pœnitere de Jure, uti in desponsatione impuberum.*
18 *In ultimis voluntatibus.*
19 *In contractibus innominatis.*
20 *In contractu Societatis, si res adhuc est integra.*
21 *In Sententia interlocutoria,*
22 *Et Appellatione.*

1 HÆc Regula juxta Gloss. & Barb. *hic n.* 1. desumitur ex *l. Sicut.* 5. *C. de Obligat. & act.* ubi dicitur: *Sicut initio libera potestas unicuique est habendi vel non habendi contractus* (de quibus Regula præcipuè procedit) *ita renunciare semel constitutæ obligationi, adversario non consentiente, nemo potest. Quapropter intelligere debetis, voluntariæ obligationi semel vos nexos ab hac, non consentiente altera parte minimè posse discedere.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis hæc verè æqua, rationabilis, & pro constantia seu perseverantia in bono plurimùm serviet, uti benè advertit Barb. *hic*: tamen sine requisitis ad eam, ac pluribus limitationibus intelligenda non venit. Primò enim ad eam servandam requiritur, ut, quod placuit, non sit reprobatum à Jure, nec turpe, nec contra bonos mores, aut in detrimentum animarum, *arg. c. Pœnitentes. dist.* 55. & *c. fin. de Pactis.* ibi: *Pactiones factæ à vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cùm in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti. Quod etiam de aliis est dicendum, quæ observatæ vergunt in animæ detrimentum; Nam etiam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis aut impossibilis de Jure vel facto, nullam obligationem inducit.* etsi etiam juramentò firmetur; quia *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*, juxta Regulam 58. *de R. J. in* 6. ut proin graviter etiam Principes errent, qui prætextu hujus Regulæ vel perseverantiæ & constantiæ in servando semel dato verbo, facto promisso, aut resolutione tenaciter adhærent illis, quæ semel promiserant, condixerunt, resolverunt, statuerunt, quantumvis contra Jura, vel bonos mores, aut in detrimentum animæ, vel præjudicium etiam boni communis militare manifestè appareant, cùm tamen potiùs ea non servandi, quàm servandi obligatio certa existat.

3 Secundò requiritur ad eam, ut id, quod placuit, *scienter*, & non per errorem facti placuerit. Gloss. *hic. arg. l.* 1. §. 1. & *l.* 2. *ff. de Jur. & fact. Ignor.*

4 Tertiò requiritur, ut, quæ placent, non sola mente & internè, sed etiam externè, verbò vel factò placeant *arg. c. Tuæ.* 25. *de Sponsal.* ibi: *Sed necessaria sunt, quantùm ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia,* secus in ordine ad Deum; nam valet votum sola mente liberè emissum.

5 Quartò requiritur, quòd alterius intersit in semel placito permanere, & ex illius revocatione vel mutatione præjudicium patiatur juxta *Reg.* 33. *in* 6. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.* ubi Gloss. *v. in alterius.* benè infert: ergo *à contrario ubi alteri non præjudicatur, mutare licet.*

6 Resp. II. Proprius sensus Regulæ sequens est: *Quod alicui scienter, liberè & justè ita placuit, ut inde jus quæsitum sit tertio, cum hujus præjudicio revocari vel mutari ampliùs non potest.* arg. cit. *l.* 5. *C. de Obligat. & Action.* cui concordat utriusque Juris Regula, Canonici quidem 33. *de R. J. in* 6. nu. præced. jam allegata: Civilis verò 75. *ff. de R. J. Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam.*

7 Ratio est: tum quia, sicut commercio & fidei humanæ nil tam congruum, quàm verba & promissa servare. *arg. l.* 1. *in prin. ff. de Pactis*, ibi: *quid enim tam congruum humanæ fidei, quàm ea servare, quæ inter eos placuêre:* ita eidem, æquitatique & juri naturali nil magis adversum, quàm dicta & promissa, sicque fidem præsertim in aliorum præjudicium non servare. *l.* 1. *ff. de pecun. constit. pr.* ibi: *Grave est fidem fallere &c.* Tum quia, cùm hæc Regula præcipuè in contractibus & promissis procedat, ubi ex utriusque contrahentis consensu, uti & ex promittentis promissione ac promissarii acceptatione oritur obligatio naturalis, eidem cum alterius præjudicio contravenire non licet. *arg. cit. l.* 5. *C. de Obligat. & act. cum Concord.*

Declaratur Regula ulteriùs quibusdam Juris Exemplis, quæ à Gloss. *hic.* Dyno & aliis in Regulas Juris scribentibus copiosè adducuntur. Sic enim 1. Judex sententiam definitivam, quam ferre semel placuit, non ampliùs mutare, aut revocare potest. *l. Paulus.* 42. *ff. de Re judicat.* 8

2. In Judiciis Actor post contestationem litis invito reo non potest ampliùs recedere. *l. Purè.* 5. §. *fin. ff. de Doli except.* & reus, qui judicem ut legitimum contestando litem agnovit, illum tanquam incompetentem, vel suspectum recusare non ampliùs valet. *l. Nemo.* 4. *C. de Jurisdict.* 9

3. Sic ex libero beneplacito factis juramentis & votis contravenire non licet, *c. Quamvis de Pactis in* 6. & *c. licèt.* 6. *de vot.* 10

4. In collationibus & resignationibus Beneficiorum, unum alicui semel collatum ei auferri, & alteri conferri non ampliùs valet. *c. Si tibi absenti.* 17. *de Præbend. in* 6. 11

5. Sic beneficium per resignationem vel cessionem liberè dimissum repeti non potest. *can. quàm periculosum* 8. *cau.* 7. *q.* 1. 12

6. Sic à Matrimonio, quod liberè inire, & à Professione religiosa, quam emittere placuit, recedere non ampliùs licet per dicta in suis Titulis lib. III. & IV. 13

7. Et universaliter in contractibus & conventionibus ritè initis Regulam observare oportet, & eis cum præjudicio alterius contravenire non licet. *cit. l.* 5. *C. de Oblig. & Act.* quia, *quod semel placuit, displicere ampliùs non potest.* 14

Quæritur II. An & quas Fallentias patiatur Regula XXI? Resp. Eam sat multas habere fallentias, ex quibus seligemus potiores ad rem magis servientes, & ex quarum notitia etiam aliæ cognosci possunt. Fallit itaque Regula *Primò* & universaliter, quando recessus fit ab ea mutuo consensu utriusque partis. *l. Sicut.* 5. *C. de Oblig. & Act.* exceptò Matrimonio & Professione religiosa; cùm illud semel consummatum nec utriusque nubentis consensu, nec ista consentiente Prælato & subdito ampliùs invalidari queant, nisi causâ transitûs ad aliam Religionem, *c.* 18. *de Regul.* 15

Fallit *Secundò* in non paucis, propter supervenientem de novo, & priùs non cognitam causam. Gloss. *hic. arg. c. Ut circa.* 4. & *c. Nulli.* 8. *de Elect. in* 6. ibi: *Nulli licere decernimus (postquam in scrutinio nominaverit aliquem, & electio fuerit subsecuta, vel postquam præstiterit electioni de ipso ab aliis celebratæ consensum) illum super electione ipsa (nisi ex causis postea emergentibus) impugnare: vel nisi ei morum ipsius antea celata de novo pandatur improbitas, vel alicujus alterius latentis vitii, vel defectûs, qui verisimiliter ignorari potuerit, veritas revelatur.* Et ratio est; quia quæ de novo emergunt, novô indigent auxiliô. *c. Pastoralis* 4. *de Except.* & *l. de ætate.* 11. §. 8. *ff. de Interrog. in fine.* 16

Fallit *Tertiò* in omnibus, in quibus de Jure licet pœnitere & variare, etiam uni sine consensu alterius: sic licet impuberi à Sponsalibus contractis liberè resilire, quando pubertatem adeptus fuerit. *c. de illis* 7. & *c. à nobis.* 8. *de Desponsf. impub.* Pariter 17

à Matrimonio rato nondum consummato resilire, & Religionem intrare permissam est à Jure. *c. Verùm. de conversi. conjug.* Huc fallentiæ universali conformiter

18 Fallit *Quartò* in ultimis Voluntatibus; quia hæ ambulatoriæ sunt ad mortem. *l. Quod si. 4. ff. de adim. & transfer. legat.* & quidem in tantum, ut de non mutanda ultima voluntate nemo se ipsum astringere valeat. *l. Si quis. 22. ff de legat. 3.* ibi: *Nemo eam sibi eam legem dicere potest, ut à priori ei recedere non liceat.*

19 Fallit *Quintò* in contractibus innominatis, quando res adhuc est integra. *l. Si pecuniam. ff. de Condit. causa data.* Item in Deposito. *l. 1. §. 2. ff. Depositi.*

Fallit *Sextò* in Mandato & in contractu Societatis, si res adhuc est integra, seu si interesse alterius necdum inceperit. *§ Mandatum. 11. Instit. de Mandato. & § Manet. 4. Instit. de Societ.* 20

Fallit *Septimò* in Sententia interlocutoria, utpote quam Judex, qui eam tulit, revocare potest, cùm officiò suò ex integro nondum functus fuerit. *c. Cùm cessante 60. de Appellat.* 21

Fallit *Octavò* in appellatione, à qua semel interposita appellans pro libitu recedere potest. *c. Si quis libellos. 28. C de Appellat.* 22

REGULA XXII.

Non debet aliquis alterius odio prægravari.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Quomodò intelligenda?*
3 *Ponitur verus sensus illius:*
4 *Et probatur.*
5 *Ratio Regulæ.*
6 *Objicitur ex Scriptura:*
7 *Ex Jure Canonico:*
8 *Et Civili, quòd propter peccata aliorum puniantur innocentes.*
9 *Respondetur, quare Deus ob peccata aliena puniat aliquos.*
10 *Jus Canonicum id facit propter utilitatem publicam:*
11 *Sicut & Jus Civile.*

1 HÆc Regula desumitur ex *l. Si quis. 33. § Legis. C. de Inoffic. Testam.* cui etiam concordat *l. Sancimus 22. C. de pœnis.* & *Regula 155. ff. de R. J.* ibi: *Factum cuique suum, non adversario nocere debet.*

2 Quæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem est notandum, Doctores in declaranda hac Regula non convenire; Barbosa siquidem *hic n. 2.* vulgarem opinionem quæ dicit, Regulæ sensum & intentum esse, ut nullus propter delictum alterius puniatur, ideò rejicit, quia in hoc sensu, ut ait, non effet diversa, sed eadem cum sequenti, quæ idem dicit illis verbis: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus:* non est autem verisimile, quòd Papa Bonifacius VIII duas distinctas Regulas idem significantes ponere voluerit. Verùm hæc Barbosæ ratio non videtur stringere; quia uti ex ipsis verbis utriusque Regulæ liquet, nihilo minùs quævis earum diversum & distinctum ab alia importat sensum. Præsens enim Regula id principaliter velle videtur, ne quis innocens pœnâ, aut damnò gravetur propter alterum, quem ob delictum vel inimicitiam, malam vitam, vel ex alia causa odio habet pœnam infligens, vel damnum inferens. Sequens autem Regula absolutè, & abstrahendo ab omni odio vult, ut nullus sine culpa puniatur, nisi subsit causa; quod in facto contingere posset absque omni odio erga tertium. v. g. ex proprio odio, & aversione, quâ erga innocentem fertur, pœnam in Jure non contentam inferens; vel ex proprio interesse, vel ex respectu humano, vel alia minùs justa causa. Hinc

3 Resp. ad quæstionem *num. præced.* positam: Regula præsens principaliter intelligenda est de pœna, gravamine & damno, quod infertur innocenti propter odium, quò injustè damnificans vel gravans ex quacunque causa fertur erga tertium, v. g. cognatum, amicum, fratrem, filium, parentem, servum familiarem innocentis; ut proin verus sensus Regulæ sequens sit: *Nullus innocens potest affici vel gravari pœnâ aliquâ damno, vel alio incommodo propter odium quo injustè gravans ex quacunque tandem causa fertur erga tertium v. g. consanguineum, amicum &c. familiarem ipso ente.* Sic in sensu isto Regulam intelligit Caramuel in *Theolog. fundament. n. 764.* Strein. *hîc.* & alii.

4 Probatur hic sensus præcipuè per *l. Si quis. 33. § Legis. C. de Inoffic. Testam.* ex qua desumpta habetur Regula; ibi enim propter rationem hujus Regulæ corrigitur lex antiqua, quâ permittebatur filium innocentem exhæredari à Matre præcisè ob odium, quod gerebat erga maritum, ex quo infans progenitus erat, illis verbis: *Hoc iniquum judicantes, ut alienò odiò aliquis prægravetur.* Idem sensus clarè desumitur ex *l. Sancimus. 22. C. de pœnis.* ibi: *Sancimus, ibi esse pœnam, ubi noxa est. Propinquos, notos, familiares, procul à calumnia submovemus, quos reos sceleris societas non facit. Nec enim affinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccatum igitur suos tenent authores, nec ulteriùs progredatur metus, quàm reperiatur delictum. Hoc singulis quibusdam judicibus intimetur.* Concordat *l. Crimen. 26. ff. de Pœnis:* ibi: *Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest; nam unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur.* Huc facit & ob eandem rationem, si Compromissarius eligat indignum, potestas eligendi redit ad eligentes, & ipse solus punitur, non verò compromittentes, *quos illius odio non convenit prægravari, ut pœna suum authorem teneat* juxta *Regulam 155 ff. de R. J* supra n. 1. jam citatam. Item illud Ezech. *cap. 18. v. 20.* ibi: *Anima, quæ peccaverit, ipsa moritur: filius non portabit iniquitatem Patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* ficut nec uxor tenetur pro marito *l. 2. & 3. C. Ne uxor pro marito.*

5 Ratio præter jam in textibus expressas ulterior est, quia justitia commutativa & distributiva exigunt, ut jus suum cuique reddatur, innocentes ab injuriis & injustis damnis, aut gravaminibus defendantur, nocentes & rei puniantur, promerita verò condignè præmientur: quod non fit, si pietè innocentes ex præciso odio erga alium, ejusque delicta damnificantur, gravantur, puniuntur, aut alia incommoda sustinere coguntur.

6 Verùm quantumvis justa & æqua ex dictis appareat Regula nostra, tamen graves patitur instantias tam ex Scriptura sacra, quàm utroque jure. Ex sacris enim paginis habemus propter unius vel plurium delicta etiam alios innocentes à Deo fuisse punitos. Sic enim tacendo plura alia exempla, propter scandala suorum filiorum populum à sacrificio retrahentium Deus

Deus Heli illorum patrem è vivis sustulit. *1. Reg. cap. 4. v. 18.* & propter peccatum David populum superbè numerantis, de populo innocente à Deo misso Berlebee septuaginta millia virorum sicva peste delevit.

7 De Jure Canonico à Patre & Matre hæreticis filii & nepotes innocentes catholici procreati ad Beneficia ecclesiastica & officia publica inhabiles existunt. *c Quicunque. 2. §. Hæretici, & c. Statutum. 9. de Hæreticis in 6.*

8 De Jure Civili autem propter crimen læsæ Majestatis etiam innocentes filii infames evadunt, atque à materna, avitaque & propinquorum successione excluduntur. *l. quisquis. 5. C ad Leg. Jul. Majest.*

9 Respondetur tamen & quidem ad exempla sacræ Scripturæ, inprimis à Deo nullum innocentem pœnâ æternâ, vel aliâ animæ nocivâ puniri: temporali tamen quandoque propter unum etiam alios affici, vel quia, etiamsi appareant, tamen revera innocentes non sunt, sed ejusdem criminis coram oculis divinis directè vel indirectè rei existunt, ob quod meritò puniuntur, uti contingit in Heli, qui debitè corrigere filios negligens, etiam illorum criminum factus est particeps. Vel, quia licèt innocentes in uno, in multis tamen aliis peccatis rei coram Deo inveniuntur, indeque justè puniuntur. Vel, quia innocentes aliquo modo ut filii ad parentem, subditi ad principem pertinent, puniuntur, ut delinquens pœnam acerbiùs sentiat, dum interea alii, si pœnam ob peccata alterius commissa à Deo immissam in his innocentes patienter sustinent, alia sua peccata extinguunt, animæ dona, gratias & merita sibi cumulant, & salutem æternam facilius consequuntur, sicque ex hujusmodi pœna plus lucri, quàm damni acquirunt, ac propterea affectiones à Deo immissæ respectu delinquentis duntaxat nomen veræ pœnæ: respectu illorum, qui propter alium patiuntur, nomen medecinæ doni & boni spiritualis merentur juxta D. Thom. *1. 2. q. 87. a. 1.*

Ad dispositiones Juris Canonici respondetur, 10 per illas propter alios puniri in nonnullis etiam innocentes non tam odiò erga illos v. g. hæreticos parentes, quàm favore cultûs divini, ecclesiæ, & communis utilitatis ejusdem, quæ exigit, ut non nisi ab omni suspitione mali alienos habeat ministros, quales non sunt illegitimè nati, & hæreticorum filii, utpote de quibus non immeritò metuit Ecclesia, ne imitatores sint incontinentiæ & perfidiæ paternæ. *cit. l. quisquis, §. filii vero C. ad Leg. Jul. Majest.*

A 11 leges civiles respondetur, eas quoque non 11 tam odiò delinquentis, quàm curâ & amore boni communis & publici pœnâ in aliquibus affinere innocentes ad avertenda graviora, bonoque publico magis nociva, præsertim læsæ Majestatis crimina, quatenus quivis sciens, hujusmodi crimina etiam in filiis innocentibus tam graviter puniri, ab iis committendis magis & efficaciùs abterreatur.

Quod si alicui hæ responsiones minus placeant, 12 & per Jura in aliquibus casibus nonnullos etiam aliorum odiò contra Regulam gravari contendat, respondetur, Regulam fallere in casibus, in quibus ob odium erga unum etiam alium ex justa causa boni publici gravari volunt: ut proin huic Regulæ non minùs ac sequenti apponi valeat exceptio: *Nisi subsit causa.*

REGULA XXIII.

Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

SUMMARIUM.

1 *Regula quomodo intelligenda?*
2 *Ponitur verus sensus illius.*
Sine culpa non datur pœna. ibid.
3 *Nisi ob causam boni communis.*
4 *Declaratur exemplis Juris Canonici:*
Simoniæ ab alio commissæ pœnam quis non incurrit, si ipso prohibente, vel protestante committitur. ibid. 5 *Et Civilis.*

1 QUæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Sicut præcedens Regula vult, ut nullus innocens puniatur, injustè gravetur, damnum vel incommodum patiatur præcisè ex odio alterius: sic præsens universaliter, & abstrahendo ab omni odio dispositum indicat, ut nullus puniatur sine culpa ex quacunque tandem minùs justa bonum commune non concernente causa, v. g. ex interesse proprio, ex respectu humano, ex amore erga alium forsan inimicum puniri seu puniendi &c. Siquidem per verba *nisi subsit causa*: Regula non nisi justam, & bonum commune concernentem causam intelligit juxta dicenda infra n 2. & 3. Hinc

2 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Nemo est puniendus vel gravandus ob alicujus actûs commissionem vel omissionem, quæ dolo & culpâ vacat, nisi ex justa bonum commune seu publicum concernente causa.* Primæ partis, ut nemo sine culpa puniatur, ratio est; quia ubi non est noxa, ibi non est pœna. *l. Sancimus. 22. C. de Pœnis.* ibi: *Sancimus, ibi esse pœnam, ubi est noxa.* siquidem *pœna est noxæ vindicta l. aliud. 131. pr. de Verb. Sign.* ac insuper pœna est mensura culpæ juxta illud *Deut. 25.* ibi: *Juxta mensuram peccati erit plagarum modus:* Hinc ubi nulla culpa, nulla quoque esse debet pœna. *c. Cognoscentes. 2. de Constit.* ibi: *Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.* huc quadrat etiam illud S. Augustini effatum *lib. 2 Retract. cap. 6.* ibi: *pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium vocatur.*

Ratio secundæ partis, seu potiùs exceptionis, vi- 3 delicet, quòd quis etiam sine culpa ex justa bonum commune concernente causa, seu propter utilitatem publicam puniri vel magis propriè loquendo, gravari, & incommodari valeat, hæc est; quia bonum commune, seu publica & communis utilitas est præferenda privatæ: consequenter, si illa exigit, ut privatus, etiam sine culpa, puniatur, gravetur, damnum temporale sentiat, hic meritò sustinere debet. *arg. l penult. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* ubi ad sedandum tumultum decurio inconsulto Principe decapitari potest, quod aliàs sine consensu Principis fieri nequit: cum Concord.

Declaratur & firmatur Regula ulteriùs exemplis 4 ex Jure desumptis; Sic enim præter ea, quæ ad præced. Regulam *n. 7 & 8.* adduximus, ex utroque Jure ulteriùs beneficium dimittere tenetur, qui illud acquisivit per Simoniam ipso ignorante ab alio commissam. *c. Nobis. 27 de Simonia.* (nisi impetrans expressè prohibuerit, vel protestatus fuerit, ne aliquid temporale detur pro beneficio: textu expresso *c. Sicut tuis. 33. de Simon.*) quia communis Ecclesiæ utilitas requirit, ut summè eidem nocivum simoniæ vitium omnibus odio fiat, indeque magis extirpetur. Sic innocens uxor sine culpa punitur, imoque jure conjugali privatur. *arg. c. quoniam. 5. §. Si autem, Ut lite non contestata.* ibi: *quo-*

à Matrimonio rato nondum consummato resilire, & Religionem intrare permissam est à Jure. *c. Verùm. de conversi. conjug.* Huc fallentiæ universali conformiter

18 Fallit *Quartò* in ultimis Voluntatibus; quia hæ ambulatoriæ sunt ad mortem. *l. Quod si. 4. ff. de adim. & transfer. legat.* & quidem in tantum, ut de non mutanda ultima voluntate nemo se ipsum astringere valeat. *l. Si quis. 22. ff de legat. 3.* ibi: *Nemo eam sibi eam legem dicere potest, ut à priori ei recedere non liceat.*

19 Fallit *Quintò* in contractibus innominatis, quando res adhuc est integra. *l. Si pecuniam. ff. de Condit. causa data.* Item in Deposito. *l. 1. §. 2. ff. Depositi.*

Fallit *Sextò* in Mandato & in contractu Societatis, si res adhuc est integra, seu si interesse alterius necdum inceperit. *§ Mandatum. 11. Instit. de Mandato. & § Manet. 4. Instit. de Societ.* 20

Fallit *Septimò* in Sententia interlocutoria, utpote quam Judex, qui eam tulit, revocare potest, cùm officiò suò ex integro nondum functus fuerit. *c. Cùm cessante 60. de Appellat.* 21

Fallit *Octavò* in appellatione, à qua semel interposita appellans pro libitu recedere potest. *c. Si quis libellos. 28. C de Appellat.* 22

REGULA XXII.

Non debet aliquis alterius odio prægravari.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Quomodò intelligenda?*
3 *Ponitur verus sensus illius:*
4 *Et probatur.*
5 *Ratio Regulæ.*
6 *Objicitur ex Scriptura:*
7 *Ex Jure Canonico:*
8 *Et Civili, quòd propter peccata aliorum puniantur innocentes.*
9 *Respondetur, quare Deus ob peccata aliena puniat aliquos.*
10 *Jus Canonicum id facit propter utilitatem publicam:*
11 *Sicut & Jus Civile.*

1 HÆc Regula desumitur ex *l. Si quis. 33. § Legis. C. de Inoffic. Testam.* cui etiam concordat *l. Sancimus 22. C. de pœnis.* & *Regula 155. ff. de R. J.* ibi: *Factum cuique suum, non adversario nocere debet.*

2 Quæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem est notandum, Doctores in declaranda hac Regula non convenire; Barbosa siquidem *hic n. 2.* vulgarem opinionem quæ dicit, Regulæ sensum & intentum esse, ut nullus propter delictum alterius puniatur, ideò rejicit, quia in hoc sensu, ut ait, non effet diversa, sed eadem cum sequenti, quæ idem dicit illis verbis: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus:* non est autem verisimile, quòd Papa Bonifacius VIII duas distinctas Regulas idem significantes ponere voluerit. Verùm hæc Barbosæ ratio non videtur stringere; quia uti ex ipsis verbis utriusque Regulæ liquet, nihilo minùs quævis earum diversum & distinctum ab alia importat sensum. Præsens enim Regula id principaliter velle videtur, ne quis innocens pœnâ, aut damnò gravetur propter alterum, quem ob delictum vel inimicitiam, malam vitam, vel ex alia causa odio habet pœnam infligens, vel damnum inferens. Sequens autem Regula absolutè, & abstrahendo ab omni odio vult, ut nullus sine culpa puniatur, nisi subsit causa; quod in facto contingere posset absque omni odio erga tertium. v. g. ex proprio odio, & aversione, quâ erga innocentem fertur, pœnam in Jure non contentam inferens; vel ex proprio interesse, vel ex respectu humano, vel alia minùs justa causa. Hinc

3 Resp. ad quæstionem *num. præced.* positam: Regula præsens principaliter intelligenda est de pœna, gravamine & damno, quod infertur innocenti propter odium, quò injustè damnificans vel gravans ex quacunque causa fertur erga tertium, v. g. cognatum, amicum, fratrem, filium, parentem, servum familiarem innocentis; ut proin verus sensus Regulæ sequens sit: *Nullus innocens potest affici vel gravari pœnâ aliquâ damno, vel alio incommodo propter odium quo injustè gravans ex quacunque tandem causa fertur erga tertium v. g. consanguineum, amicum &c. familiarem ipso ente.* Sic in sensu isto Regulam intelligit Caramuel in *Theolog. fundament. n. 764.* Strein. *hîc.* & alii.

4 Probatur hic sensus præcipuè per *l. Si quis. 33. § Legis. C. de Inoffic. Testam.* ex qua desumpta habetur Regula; ibi enim propter rationem hujus Regulæ corrigitur lex antiqua, quâ permittebatur filium innocentem exhæredari à Matre præcisè ob odium, quod gerebat erga maritum, ex quo infans progenitus erat, illis verbis: *Hoc iniquum judicantes, ut alienò odiò aliquis prægravetur.* Idem sensus clarè desumitur ex *l. Sancimus. 22. C. de pœnis.* ibi: *Sancimus, ibi esse pœnam, ubi noxa est. Propinquos, notos, familiares, procul à calumnia submovemus, quos reos sceleris societas non facit. Nec enim affinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccatum igitur suos tenent authores, nec ulteriùs progredatur metus, quàm reperiatur delictum. Hoc singulis quibusdam judicibus intimetur.* Concordat *l. Crimen. 26. ff. de Pœnis:* ibi: *Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest; nam unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur.* Huc facit & ob eandem rationem, si Compromissarius eligat indignum, potestas eligendi redit ad eligentes, & ipse solus punitur, non verò compromittentes, *quos illius odio non convenit prægravari, ut pœna suum authorem teneat* juxta *Regulam 155 ff. de R. J* supra n. 1. jam citatam. Item illud Ezech. *cap. 18. v. 20.* ibi: *Anima, quæ peccaverit, ipsa moritur: filius non portabit iniquitatem Patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* ficut nec uxor tenetur pro marito *l. 2. & 3. C. Ne uxor pro marito.*

5 Ratio præter jam in textibus expressas ulterior est, quia justitia commutativa & distributiva exigunt, ut jus suum cuique reddatur, innocentes ab injuriis & injustis damnis, aut gravaminibus defendantur, nocentes & rei puniantur, promerita verò condignè præmientur: quod non fit, si pietè innocentes ex præciso odio erga alium, ejusque delicta damnificantur, gravantur, puniuntur, aut alia incommoda sustinere coguntur.

6 Verùm quantumvis justa & æqua ex dictis appareat Regula nostra, tamen graves patitur instantias tam ex Scriptura sacra, quàm utroque jure. Ex sacris enim paginis habemus propter unius vel plurium delicta etiam alios innocentes à Deo fuisse punitos. Sic enim tacendo plura alia exempla, propter scandala suorum filiorum populum à sacrificio retrahentium Deus

Deus Heli illorum patrem è vivis sustulit. *1. Reg. cap. 4. v. 18.* & propter peccatum David populum superbè numerantis, de populo innocente à Deo misso Berlebee septuaginta millia virorum sicva peste delevit.

7 De Jure Canonico à Patre & Matre hæreticis filii & nepotes innocentes catholici procreati ad Beneficia ecclesiastica & officia publica inhabiles existunt. *c Quicunque. 2. §. Hæretici, & c. Statutum. 9. de Hæreticis in 6.*

8 De Jure Civili autem propter crimen læsæ Majestatis etiam innocentes filii infames evadunt, atque à materna, avitaque & propinquorum successione excluduntur. *l. quisquis. 5. C ad Leg. Jul. Majest.*

9 Respondetur tamen & quidem ad exempla sacræ Scripturæ, inprimis à Deo nullum innocentem pœnâ æternâ, vel aliâ animæ nocivâ puniri: temporali tamen quandoque propter unum etiam alios affici, vel quia, etiamsi appareant, tamen revera innocentes non sunt, sed ejusdem criminis coram oculis divinis directè vel indirectè rei existunt, ob quod meritò puniuntur, uti contingit in Heli, qui debitè corrigere filios negligens, etiam illorum criminum factus est particeps. Vel, quia licèt innocentes in uno, in multis tamen aliis peccatis rei coram Deo inveniuntur, indeque justè puniuntur. Vel, quia innocentes aliquo modo ut filii ad parentem, subditi ad principem pertinent, puniuntur, ut delinquens pœnam acerbiùs sentiat, dum interea alii, si pœnam ob peccata alterius commissa à Deo immissam in his innocentes patienter sustinent, alia sua peccata extinguunt, animæ dona, gratias & merita sibi cumulant, & salutem æternam facilius consequuntur, sicque ex hujusmodi pœna plus lucri, quàm damni acquirunt, ac propterea affectiones à Deo immissæ respectu delinquentis duntaxat nomen veræ pœnæ: respectu illorum, qui propter alium patiuntur, nomen medecinæ doni & boni spiritualis merentur juxta D. Thom. *1. 2. q. 87. a. 1.*

Ad dispositiones Juris Canonici respondetur, 10 per illas propter alios puniri in nonnullis etiam innocentes non tam odiò erga illos v. g. hæreticos parentes, quàm favore cultûs divini, ecclesiæ, & communis utilitatis ejusdem, quæ exigit, ut non nisi ab omni suspitione mali alienos habeat ministros, quales non sunt illegitimè nati, & hæreticorum filii, utpote de quibus non immeritò metuit Ecclesia, ne imitatores sint incontinentiæ & perfidiæ paternæ. *cit. l. quisquis, §. filii vero C. ad Leg. Jul. Majest.*

A 11 leges civiles respondetur, eas quoque non 11 tam odiò delinquentis, quàm curâ & amore boni communis & publici pœnâ in aliquibus affinere innocentes ad avertenda graviora, bonoque publico magis nociva, præsertim læsæ Majestatis crimina, quatenus quivis sciens, hujusmodi crimina etiam in filiis innocentibus tam graviter puniri, ab iis committendis magis & efficaciùs abterreatur.

Quod si alicui hæ responsiones minus placeant, 12 & per Jura in aliquibus casibus nonnullos etiam aliorum odiò contra Regulam gravari contendat, respondetur, Regulam fallere in casibus, in quibus ob odium erga unum etiam alium ex justa causa boni publici gravari volunt: ut proin huic Regulæ non minùs ac sequenti apponi valeat exceptio: *Nisi subsit causa.*

REGULA XXIII.

Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

SUMMARIUM.

1 *Regula quomodo intelligenda?*
2 *Ponitur verus sensus illius.*
Sine culpa non datur pœna. ibid.
3 *Nisi ob causam boni communis.*
4 *Declaratur exemplis Juris Canonici:*
Simoniæ ab alio commissæ pœnam quis non incurrit, si ipso prohibente, vel protestante committitur. ibid. 5 *Et Civilis.*

1 QUæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Sicut præcedens Regula vult, ut nullus innocens puniatur, injustè gravetur, damnum vel incommodum patiatur præcisè ex odio alterius: sic præsens universaliter, & abstrahendo ab omni odio dispositum indicat, ut nullus puniatur sine culpa ex quacunque tandem minùs justa bonum commune non concernente causa, v. g. ex interesse proprio, ex respectu humano, ex amore erga alium forsan inimicum puniri seu puniendi &c. Siquidem per verba *nisi subsit causa*: Regula non nisi justam, & bonum commune concernentem causam intelligit juxta dicenda infra n 2. & 3. Hinc

2 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Nemo est puniendus vel gravandus ob alicujus actûs commissionem vel omissionem, quæ dolo & culpâ vacat, nisi ex justa bonum commune seu publicum concernente causa.* Primæ partis, ut nemo sine culpa puniatur, ratio est; quia ubi non est noxa, ibi non est pœna. *l. Sancimus. 22. C. de Pœnis.* ibi: *Sancimus, ibi esse pœnam, ubi est noxa.* siquidem *pœna est noxæ vindicta l. aliud. 131. pr. de Verb. Sign.* ac insuper pœna est mensura culpæ juxta illud *Deut. 25.* ibi: *Juxta mensuram peccati erit plagarum modus:* Hinc ubi nulla culpa, nulla quoque esse debet pœna. *c. Cognoscentes. 2. de Constit.* ibi: *Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.* huc quadrat etiam illud S. Augustini effatum *lib. 2 Retract. cap. 6.* ibi: *pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium vocatur.*

Ratio secundæ partis, seu potiùs exceptionis, vi- 3 delicet, quòd quis etiam sine culpa ex justa bonum commune concernente causa, seu propter utilitatem publicam puniri vel magis propriè loquendo, gravari, & incommodari valeat, hæc est; quia bonum commune, seu publica & communis utilitas est præferenda privatæ: consequenter, si illa exigit, ut privatus, etiam sine culpa, puniatur, gravetur, damnum temporale sentiat, hic meritò sustinere debet. *arg. l penult. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* ubi ad sedandum tumultum decurio inconsulto Principe decapitari potest, quod aliàs sine consensu Principis fieri nequit: cum Concord.

Declaratur & firmatur Regula ulteriùs exemplis 4 ex Jure desumptis; Sic enim præter ea, quæ ad præced. Regulam *n. 7 & 8.* adduximus, ex utroque Jure ulteriùs beneficium dimittere tenetur, qui illud acquisivit per Simoniam ipso ignorante ab alio commissam. *c. Nobis. 27 de Simonia.* (nisi impetrans expressè prohibuerit, vel protestatus fuerit, ne aliquid temporale detur pro beneficio: textu expresso *c. Sicut tuis. 33. de Simon.*) quia communis Ecclesiæ utilitas requirit, ut summè eidem nocivum simoniæ vitium omnibus odio fiat, indeque magis extirpetur. Sic innocens uxor sine culpa punitur, imoque jure conjugali privatur. *arg. c. quoniam. 5. §. Si autem, Ut lite non contestata.* ibi: *quo-*

niam in conjugio multi casus occurrunt, in quibus Conjuges sine culpa, sed non sine causa continere coguntur.

5 Sic de Jure Civili propter bonum commune, videlicet, ut veritas adulterii bono communi plurimùm præjudicioſi erpatur, servus torquetur, tortus autem domino amplius non restituitur. Dynus *hic arg. l. si postulaverit. ff. ad L. Jul. de Adulter. & l. fin. ff. de calumniat.* Sic propter bonum commune dominus punitur, quòd causam prosequi non amplius possit, si procuratur illius, etiam absque culpa domini, fatalia appellationis labi permittit. *l. 1. §. fin. ff. quando appellan. sit.* Sic universaliter quia potestas Supremi Principis Ecclesiastici ad beneficia & officia Ecclesiastica, res & jura ad loca & personas ecclesiasticas pertinentia se extendit. *can. cuncta. 17 cau. 9. q. 3. & c. licet. 2. de Præbend. & Dignit. in 6.* potest de illis non quidem pro libitu, sed ex causa justa publica propter communem utilitatem & Religionis bonum disponere cum præjudicio & gravamine tertii innocentis: Sicut à pari quia potestas supremi Principis sæcularis circa honorem & officia civilia, res, bona & Jura privatorum versatur, *arg. l. fin. C. de quadrien. præscript.* de iis disponere, eaque subditis legali vel alia ordinatione etiam innocentibus auferre, transferre & denegare valet, si communis utilitas Reipublicæ ita exigit. Abbas *in c. Quæ in Ecclesiarum. de eo ſiis. n 7.* Gaill. *lib. 2. observ. 26. num. 3.* cum communi aliorum.

REGULA XXIV.

Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur: cùm habeat parere necesse.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Est intelligenda non solùm de Judicis, sed etiam Principis, Superiorum, Dominorum, & Parentum mandatis.*
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
4 *Procedit etiam in dubio, an eorum mandatum sit justum.*
5 *Confirmatur exemplis ex Jure.*
6 *Fallit Regula in casu, quò quid contra jus divinum:*
7 *Vel etiam clarum & manifestum jus humanum præcipitur.*
8 *Fallit insuper in Judice, si hic aliquid ad suum officium non pertinens mandat.*

1 Hæc Regula sumpta est ex *l. Non videntur data. 167. ff. de R. J.* ibi: *qui jussu Judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere necesse habet.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regula intelligenda est non solùm de mandato Judicis, sed etiam Principis. *l. quod Princeps. 23. ff. de aqua pluv. arc.* & quorumvis Superiorum ac Dominorum respectu suorum subditorum, nec non Parentum respectu filiorum, ita ut à dolo immunis censeatur non tantùm ille, qui ex mandato Judicis, sed etiam qui ex mandato tui Principis, Superioris, Domini aut Parentis quid facit aut omittit; quia Ratio Regulæ de quolibet ex præfatis obedientibus pariter procedit, videlicet, cùm habeat parere necesse. Hinc

3 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Quicunque ex mandato Judicis, vel cujuscunque legitimi Superioris sui aliquid facit vel omittit, à dolo & culpa immunis censetur*: Per Rationes & Jura allegata. Probatur ulterius tam ex Sacra Scriptura, quàm utroque humano Jure. Nam Paulus ad *Romanos cap. 13.* de Principibus dicit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati. Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* De obedientia debita Superioribus & præpositis præstanda ad *Hebr. cap. 13. v. 17. Obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* De Dominis ad *Ephes. 6. v. 5. Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore sicut Christo.* quæ obedientia Principibus, Superioribus, Dominis & Parentibus debita præstanda etiam alibi in Scriptura sicut & in utroque Jure passim, indeque certa habetur, quòd subditi habeant parere necesse: necessitas autem tollit præsumptionem doli *l. Mater. 2. C. de Calumniat.* & inducit præsumptionem positivam, fraudem & dolum abesse. *l. Si stipulatus. 81. §. 1. ff. de Solution.*

4 Procedit Regula etiam in casu, quo Judex vel Superior indifferentia præcipiat, vel tibi dubium est, num justè vel justa præcipiat; quia Judex (idem dic de Superioribus) quæ facit, & jubet, justè facere & jubere præsumitur. *arg. c. Sicut. 16. in fine. de Sent. & re judic. & l. fin. C. de offic. Civil. Jud.* ibi: *Non arbitramur* præsertim cùm in dubio melior sit conditio possidentis. *arg. in pari. de R. J. in 6. & ff. de R. J.* Judex autem in possessione præcipiendi existat. Accedit argumentum à contrario: qui non paret judici, doli reus præsumitur; nam juxta Regulam Juris Civilis *109. ff. de R. J. Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paret: ergo.*

5 Confirmatur Regula exemplis Juris: sic enim si debitor ex præcepto Judicis solvat debitum Minori absque authoritate Tutoris, non tenetur amplius Minori solvere, nec minor habet actionem ad solutionem denuò præstandam. *l. ait Prætor. 7. §. Perminitur. ff. de Minoribus*, quia habuit parere necesse. Sic etiam, si quis ex mandato Judicis sepulchrum destruxit, quo ne fiante aqua pluvia nocere poterat, non tenetur. Ejione de sepulchro violato, quia authoritas Judicis ipsum excusat. Dyn. *hic n. 2. arg. l. Quamquam 4 prin. ff. de aqua pluv.* Sic insuper si quis. fidei apud aliquem depositi, moritur relictis quatuor hæredibus, & depositarius uni duntaxat eorum depositum ex mandato Judicis restituit, dolò non egisse præsumitur, nec tenetur aliis actione depositi. *l. si stipulatus. 81. §. Si lancem. ff. de Solut.* quia mandato Judicis habuit parere necesse.

6 Quæritur II. An, & quas patiatur Regula 24. Fallentias? Resp. Eam fallere *primò* in casu, quo Judex, Princeps, aut Superior mandat aliquid Juri divino aut naturali manifestè adversum; quia in hujusmodi casu non habet parere necesse, sed potiùs tenetur non parere juxta illud *Act. 4 Si justum est in conspectu Dei, vos potiùs quàm Deum audire, judicate.* & rursùm ait *cap. 5. Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.* Hinc si Judex ecclesiasticus etiam sub pœna excommunicationis præcipiat mulieri, ut viro suo reddat debitum conjugale, parere nec tenetur, nec salvâ conscientiâ potest, si ipsa occulti impedimenti matrimonium dirimentis conscia est, licèt id probare nequeat, textu expresso *c. Inquisitioni. 44. de Sent. Excom.* ibi: *Si alter conjugum pro certo scit impedimentum conjugii, quamvis illud apud Eccle-*

siam non possit probare &c. debet potiùs exemunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale.

7 Fallit *Secundò*, si quid præcipitur, quod contra jus clarum manifestè militat; siquidem etiam in tali casu parere non habet necesse, sed resistere potest, ac debet. Dynus *hic* cum communi aliorum. *l. omnes. 33. C. de Decur. & l. Evidenter. de Excusat. muner.* cum concord. apud Dynum *hic n. 4.*

8 Fallit *Tertiò* in Judice, si mandat aliquid, quod ad suum non pertinet officium. Ratio est; quia Judici in iis tantùm parere necesse est, in quibus sub fungitur officio, non item in aliis, *arg. l. factum. 170. ff. de R. J.* ibi: *Factum à Judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est. Et l. 1. C. si non competens.* eâque idem, si Judex rem ad ipsius officium non pertinentem mandet, ac si extra territorium suum jus dicat, indeque faciat, quòd ei impunè non paretur. *l. fin. ff. de Jurisdict.* ibi: *Extra territorium jus dicenti impune non paretur; idem est, si suprà Jurisdictionem suam velit jus dicere.*

REGULA XXV.

Mora sua cuilibet nociva est.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Quid hîc intelligatur per moram?*
3 *Mora aliqua est ex persona, quæ etiam regularis vocatur.*
4 *Alia ex re, seu irregularis, ubi jus & dies interpellat pro homine. Declaratur exemplis. & n. seq.*
6 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
7 *Culpabiliter morosus tenetur ad æstimationem rei, etiamsi casu perierit.*
8 *Item ad compensandos fructus:*
9 *Atque ad interesse, & usuras:*
10 *Nec non ad subeundam pœnam contractui adjectam.*
11 *Fallit Regula in fidejussore, cui aliena, Principalis videlicet debitoris mora nocet.*
12 *Idem est in contractu Societatis:*
13 *Ac in parente respectu filii.*
14 *Fallit item, quando in mora existens moram legitimè purgat.*
15 *Item in casu, quo debitor solvere voluit, & creditor non acceptavit.*

1 Hæc Regula desumitur ex *l. In condemnatione. 173. §. Unicuique. ff. de R. J.* ibi: *Unicuique sua mora nocet, & l. Emptor. 12. ff. de aqua pluv. arc.* aliisque à Gloss. citatis hic.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem præmittendum est, quid, & quotuplex ad propositum sit mora, de qua loquitur Regula præsens. Sciendum itaque, quòd etsi latè loquendo nomine moræ veniat omnis dilatio, tarditas, & procrastinatio, ad propositum tamen accipiatur *prout habili & damnosa, seu nociva dilatione dandi vel solvendi, seu solutionem acceptandi, vel faciendi aliquid eo tempore, quò quis debet & potest*: ut si quis non præstat vel non acceptat solutionem tempore, quo id facere potest & debet. Juxta quod exemplum Barb. *n. 1.* cum multis aliis allegatis dicit: *Moram ad propositum esse dilationem culposam circa solvendum vel accipiendum creditum.* Simili ferè modo ad propositum definitur apud Strein: *Mora est culpa prætermissi officii in solvendo, recipiendove debito, quæ alteri nociva est*: Vel *est frustratio debitoris non solventis, vel creditoris non accipientis.* Verùm cùm non tantùm in solvendis & recipiendis debitis, sed etiam in aliis obligationibus præstandis culpabilis detur mora, prima definitio videtur melior.

3 Mora sic sumpta duplex est: una *ex persona*, quæ etiam *Regularis* communiter vocatur: altera *ex re*, quæ mora *Irregularis* nuncupatur. *arg. l. Mora. 32. ff. de usur. & fruct.* Ex *persona* intervenit culpabilis mora, quando is, cui debetur, monet, seu interpellat, ut debitum ex contractu v. g. venditionis & emptionis sine determinatione temporis contractum eidem solvatur; facta enim hujusmodi competenti monitione solvere ulteriùs differens in culpabili mora solvendi est, & ad damnum ex hac mora postea secutum tenetur. Ad quod tamen necessariò requiritur dicta prævia monitio, seu interpellatio pro solutione præstanda; quamvis enim in omnibus obligationibus, in quibus certa dies vel tempus non apponitur, statim, ac ipsa obligationis die quis teneatur. *l. In omnibus. 14. ff. de R. J.* ibi: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*; tamen ut debitor in culpabili mora ex persona constituatur, necesse est, ut opportuno tempore priùs saltem semel interpelletur. *arg. cit. l. 32. ff. de usur. & fruct.*

4 *Mora ex re*, seu irregularis est, quando debitor non solvit aut satisfacit eo die vel tempore, quo, ut solvat sine ulla interpellatione creditoris, jus ipsum disponit & monere censetur, prout fit in omnibus contractibus, in quibus contrahentes ipsimet certam diem vel tempus pro solutione præstanda præfigunt: eò quòd in his, Jure sic disponente, dies ipsa determinata pro homine interpellet, indeque eâ elapsâ in culpabili mora existat debitor, textu expresso *l. Magnam. 12. C. de contrah. stipul.* ibi: *Sancimus, ut, si quis certo tempore factarum sibi aliquid vel daturum stipulatur, vel, quæ stipulator voluit, promiserit, & adjecerit, quòd si statuto tempore minimè hæc perfecta fuerint, certam pœnam dabit, sciat minimè se posse debitor ad evitandam pœnam adjicere, quòd nullus eum admonuit.* cum concord.

5 Sic etiam fur à die commissi furti semper est in culpabili mora restituendi, quæ ei nocet, jure ipso sic disponente, &, ut statim restituat, furem monente. *l. fin. ff. de condict. furt.* junctâ *l. Meritò. 19. ff. de vi & vi armata.* Sic pariter in contractu emptionis, ubi nullum tempus certum pro solutione determinatum est, disponente & monente jure emptor fructus ex re empta, pretiò nondum soluto, interea perceptos sine ulla interpellatione venditoris ei restituere debet, in quantum ipsius interest, & non restituens in culpabili mora est. *l. Curabit. 5. C. de Action. empti.* Cæterùm hæc mora ideò vocatur *irregularis*, quia regulariter loquendo mora ex interpellatione creditoris nascitur. *arg. cit. l. Mora ff. de usur. & fruct.* His præmissis:

6 Resp. ad quæstionem n. 2. positam: Regula non tantùm de mora *ex persona*, sed etiam *ex re* venit intelligenda, ut proin verus illius sensus sequens sit: *Quando debitor id, quòd debet, tempore debito non præstat, mora ipsi, non creditori nociva est, sive ab homine, creditore videlicet, sive à Jure, aut statuta die fuerit interpellatus, ita, ut ad omnia damna & incommoda ratione moræ secuta resarcienda teneatur.* per Jura citata, & adhuc citanda.

Decla-

7 Declaratur, firmaturque Regula & sensus illius per effectus moræ ex Jure desumptos, quorum aliquos specificat Dynus *hic n. 1. & seqq.* Sic enim in primis tenetur culpabiliter morosus præstare æstimationem rei debitæ v. g. equi, qui tempore moræ periit, etsi interitus casu contigerit *l. quod te ff. de Reb. credit. si cert. petat. l. si in assa. 12. §. fin. ff. depos.* cum concord. à Dyno citatis.

8 Dein tenetur ad fructus compensandos & quidem in contractibus bonæ fidei à tempore inchoatæ moræ. *l. si quis bonorum. 23. ff. de legat. I. l. Moræ cit. §. 2. l. qui solidum. 78. §. etiam. ff. de legatis II.* Dynus *hic.* & Peck. *n. 21.*

9 Ulteriùs tenetur ad interesse & usuras, quæ peti possunt, & augentur à die moræ; quod in odium debitoris ita constitutum habetur *l. Ratio 3. §. Si per venditorem. ff. de action. empti. & l. Si Kalendis. 11. ff. de Re judicat.*

10 Rursus tenetur ad subeundam pœnam, si quam ratione moræ contrahentes statuerunt. *cit. l. Moræ. §. 2. ff. de usur. & fruct.* Peck. *hic loc. cit.* ubi plures moroso debitori nocivos effectus enumerat. Item qui Minori aliquid debet ex legato, fidei commisso, bonæ fidei contractu, illud statim sine ulla interpellatione bonitas, ipso monente Jure ad die, quo debere incipit, solvere tenetur, & non solvens in mora constitutus creditur, indeque ad damna & usuras obligatur. *l. In Min. 3. C. in quibus caus. restitutio necess.*

11 Quæritur II. An, & quales Regula XXV. patiatur Fallentias? Resp. Eam fallere in eo, quòd mora non tantùm ipsi morosо, sed etiam alii nociva sit, & quidem *primò* in fidejussore, utpote cui nocet mora in solvendo existentis debitoris principalis *l. Mora. 88. ff. de V. O.* ita ut teneatur fidejussor etiam ad damnum, & interesse, saltem si in omnem casum promisit. *l. quæro. 54. pr. ff. locati, conducti.* Dicitur autem notanter, *saltem si in omnem casum se obligavit*; quia non desunt authores apud Barb. *hic n. 9.* docentes, fidejussorem, si in omnem casum expresè non promisit, ad debitum principale quidem, ad damnum & interesse verò non teneri, contradicente Glossâ *hic*, Strein, & aliis volentibus, fidejussorem semper censeri in omnem casum fidejubere. *l. Si fidejuss. 7. ff. de Fidejuss.*

12 Fallit *secundò* in casu quo duo socii sunt obligati, ubi mo a unius nocet alteri socio. *l. penult. ff. de duobus reis.* ibi: *Ex duobus reis ejusdem Stichi promittendi factis, alterius factum alteri quoque nocet. & l. In condemnatione. 173. §. 2. ff. de R. J.* ibi: *Unicuique sua mora nocet, quod & in duobus reis promittendi observatur*; quia sociorum communis causa commodi & incommodi est, & quisque sibi imputare debet, qui minùs diligenti socio se adjunxit. *§. fin. Instit. de Societ. Nam qui parùm diligentem socium sibi assumit, de se quæri, sibique imputare debet.*

Fallit *tertiò* quoad actionem de peculio, ubi 13 mora filii patri nocet. *l. cùm filius. 49. pr. ff. de V. O.* quamvis omnes has tres fallentias verè tales esse aliqui negent, eò quòd filius cum patre, fidejussor cum principali creditore, socius cum socio in hujusmodi casibus idem fictione juris esse velint.

Fallit *quartò*, quod nec ipsi debitori sua mora 14 sit nociva in casu, quo debitor moram suam legitimè purgat, remonstrando, se in mora culpabili non fuisse, ut si subterfugia non quærit, sed de fidejussoribus & aliis sollicitè indagat, quorum auxilio creditori satisfieri queat. *l. Sciendum. 21. ff. de usur. & fruct.* quia in tali casu mora culpabilis abesse non videtur. Legenda in ordine ad hanc fallentiam est Glossa hìc varia Jura pro & contra allegans & concilians sub distinctione, quòd ubi dies præfigitur à Jure pœnam imponente & dies præfixa culpabiliter non observatur, mora purgari non possit (pœna enim semel commissa non purgatur) & sic intelligi multa Jura, ac præsentem Regulam vult: nisi in casu aliquo moram purgari posse special ter caveatur.

Huc pertinet, & Fallit Regula *quintò*, quando 15 debitor non quidem illò, quò debuit, eo tamen tempore solvit, antequam creditor aliquod damnum passus est; vel solutionem elapso jam debito tempore obtulit, & creditor, etsi potuerit, eam non acceptavit; cùm hujus posterioris morâ purgetur prior. *l. Illud. 17 ff. de Pericul. & commod.* ita ut debitor ab obligatione sustinendi moræ nocumenta absolvatur: excepta pœnâ à contrahentibus constituta. Glossa *hic*, quam ipsam tamen præstare non tenetur, si docet, quòd à præstatione debiti absque propria culpa fuerit impeditus etiam ipso tempore, quo alias solvere tenebatur *l. quod te, 5 ff. de reb. cred.* cùm universaliter loquendo præsens Regula loqui censeatur de mora, quæ dolum & culpam præsupponit. *cit. l. quod te.* & ibi Bart. Taccin. *hic n. 6.* Farin. *Tom. 1. Consil. 15. n. 36.* & magis patebit ex Regula 60. h. t. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri. *arg. can. Biduum. 29. can. 2. q. 6.*

REGULA XXVI.

Ea, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, non subsistunt.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Quid per officium Judicis intelligatur?*
3 *Ponitur verus Regulæ sensus.*
4 *Declaratur Juris exemplis.*
Judex quando nulliter agat? ibid.
5 *Non tantùm inferior, sed etiam supremus Judex nulliter agit, si excedit limites sui officii:*
6 *Etiamsi utiliter agat; quia*
Non sufficit bonum agere, nisi etiam benè fiat.
7 *In dubio, an Judex excedat limites suæ potestatis, stat præsumptio pro Judice.*
8 *Quivis in alieno territorio existens fortiri ibidem potest forum ratione delicti, contractûs, &c.*
9 *Valet citatio subditi extra territorium existentis.*
10 *Fallit Regula in iis, quæ sunt potestatis ordinis.*
11 *Item, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ.*
12 *Et in Episcopo injustè expulso.*

DEsumitur hæc Regula ex *l. Factum. 170. ff. de R. J.* ibi: *Factum à Judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est.* cui concordat *l. fin. ff. de Jurisdict.* 1

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Per officium Judicis hic intelligi potestatem & jurisdictionem à Lege, Canone, vel homine Judici concessam ad debitè & legitimè examinandas, tractandas, judicandas, expediendas causas & negotia ad suam potestatem, seu jurisdictionem pertinentia: ut proin Judex tunc aliquid, quod ad officium non spectat, agere dicatur, quando transgreditur limites concessæ sibi potestatis & jurisdictionis; sive dein id 2

id faciat circa rem & causam sub potestate & jurisdictione non comprehensam, sive circa personam jurisdictioni illius non subjectam, sive extra territorium suæ jurisdictioni præfixum, sive contra præscriptam Juris formam & ordinem. Quæ omnia & singula à Judice facta juxta Regulam nulla & invalida sunt per rationes & Jura infrà alleganda. Hinc

3 Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Omne id, quod Judex ultra limites potestatis & jurisdictionis sibi concessæ, vel contra præscriptum Juris formam facit, nullum & invalidum est.* Ratio est; quia tota vis & valor eorum, quæ à Judice geruntur, fundatur in potestate publica, & jurisdictione sibi data, ac præscripta: consequenter ubi hoc fundamentum deficit, valorem quoque actorum ab eo deficere necesse est. Barb. *hic n. 1.* cum Glossa communiter recepta in *l. 1. de Jurisdict. arg. c. forus. 10. §. Judex. de V. S.*

4 Declaratur & firmatur Regula sensusque illius exemplis Juris. Sic enim imprimis si Judex laicus judicat & condemnat, quem constat esse Clericum, vel laicum sub ipsius jurisdictione non existentem, sententia ipso jure est nulla, utpote à non competente Judice lata. *c. Ad sì Clerici. 4 pr. de Judiciis. l. 1. & per totum maximè. l. fin. C. Si à non compet. l. fin. de Jurisdict.* cum concord. apud Dynum; Item si pupillo dat tutorem suæ jurisdictioni non subjectum, vel pupillo sibi non subjecto tutorem assignat, utraque assignatio ipso jure invalida est. *l. Scire oportet. §. fin. ff. de Ex. uf. Tu.* Item si causam matrimonii cognoscit & judicat &c. Item si actus jurisdictionis extra suum sibi competens territorium exercet, vel ibi sententiam definitivam fert, cuncta sunt nulla & invalida *c. fin. de constit. in 6. & l. fin ff. de Jurisdict.* Item si fert sententiam parte altera non audita, invalida est sententia. *l. Ea, quæ & l. consentaneum. C. quomodò & quando judic.* Eadem nullitas habetur, si Judex parte utraque non consentiente tempore feriarum procedit. *l. 1. §. Si verò. ff. de fer.* Pariter nulla est sententia à Judice lata sine prævia causæ cognitione. *l. Nec quicquam. 9. ff. de offic. Proconf.* quia in his cunctis Judex limites suæ potestatis egreditur, & contra præscriptam Juris formam, consequenter nulliter agit.

5 Et procedit Regula non tantùm in inferiore, sed etiam supremo Judice ac Principe; cùm & hic, si extra territorium suæ provinciæ, vel in aliquem sibi nulla ratione subditum, vel in causa ad se non pertinente jurisdictionem & potestatem suam exercere attentaret, nulliter ageret: uti si Rex Poloniæ in ditionibus Romani Imperii jurisdictionem exercere, vel Papa infidelem seu paganum Ecclesiæ non subditum excommunicare vellet. Strein *hic numer. 4. Sylvester. §. Papa.* cum communi aliorum per rationes & jura citati universali praxi confirmata.

6 Insuper procedit Regula etiam in casu, quo Judex sive inferior, sive supremus bonum & utile quid, sed ultrà suam potestatem facit, judicat, aut ordinat. Strein *hic. n. 4.* cum aliis & Glossa *can. benè quidem. 1. & can. si Imperator. 11. dist. 96. & c. Eccl. sia 10. de constit.* ubi statutum Basilii de non alienandis rebus Ecclesiæ etiam ipsis Ecclesiis proficuum ex ea ratione sint reprobatum, quòd ad ejus ceu Principis laici non spectarit officium de rebus seu personis Ecclesiasticis statutum condere. Simile quid accidit post appellationem ad Papam; post eam enim nil debet innovari per inferiorem Judicem, & si secus fiat, id irritum est & inane. *arg. c. Dilectus. 55. de Appell.* Nam ut Glossa ait *hic*: *Generale est, quòd non sufficit bonum facere, nisi & benè id fiat.*

Verùm hactenus dicta de Regula & sensu illius 7 procedunt in iis damnatur, quando sufficienter constat, hoc vel illud non spectare ad officium Judicis, seu potestatem & Jurisdictionem illius, non verò ubi dubitantur, ut benè notat Glossa *hic* vers. *non spectat.* & sequitur Barb. *hic nu 2.* Taccin. *nu. 7.* Strein cum communi aliorum; nam ubi dubium est de potestate & jurisdictione Judicis, valent interim acta & sententia illius, utpote pro quo stat præsumptio, cùm ad ejus munus spectet examinare, quæ ad suam jurisdictionem pertinent. *arg l. Si quis ex aliena. 5. ff. de Judiciis.* ibi: *Prætoris enim est, æstimare, an suæ sit jurisdictio, vocati autem, non contemnere authoritatem Prætoris.* Quod si aliqui à Jurisdictione se exemptos prætendunt, providè statim in eadem lege subjungitur: *ut in jus vocati veniant, privilegia sua allegaturi*, aloquin pœnis subiaceant.

Objicitur 1. contra Regulam: Valet citatio non 8 subditi in territorio Judicis existentis: *l. Si quis 7. ff. de Judic.* Resp. hoc non obstare Regulæ; quia quivis etiam in alieno territorio existens varie fortiri potest forum Judicis territorii, v. g. ratione delicti, contractûs &c. uti latè dictum *lib. II. Tit. 2. §. 3. & 4.*

Objicitur 2. Valet citatio subditi extra territo- 9 rium existentis, adeò, ut si citatus non compareat, excommunicari queat. *c. Tuæ. 3. ut lite non contest. & c. Ex tua. 11 de Cleric. non resident.* Resp. Judicem citando subditos in alieno territorio contumaciter absentes, eosdémque excommunicando non transgredi limites suæ potestatis; cùm hujusmodi citatio vel in ipso territorio Judicis ad valvas affigi, vel publicè promulgari, vel per litteras aut nuncium sine ullo strepitu judiciali alienæ jurisdictioni præjudiciosa fieri valeat, & excommunicationis sententia lata in subditum extra territorium existentem, illius animam invisibiliter ligat, uti benè ratiocinatur Abb. *in c. fin. de Foro compet.*

Quæritur II. An, & quas Fallentias patiatur 10 Regula XXVI? Resp. Eam fallere 1. in illis spiritualibus, quæ potiùs dependent à potestate ordinis, quàm jurisdictionis; nam Episcopus consecrans alienam Ecclesiam vel Altare, vel ordinans alienum subditum etiam inficò vel invitò propriò Episcopò, etsi illicitè agat, valide tamen consecrat & ordinat Glossa hic claris Juribus.

Fallit 2. in iis, quæ sunt voluntariæ jurisdictio- 11 nis: sic enim Episcopus etiam extra territorium suum existens potest conferre beneficia per dicta *lib. III. Tit. 5. de Præb.*

Fallit 3. in Episcopo injustè expulso à sua civi- 12 tate & Sede Episcopali; talis enim ex speciali dispositione Juris in vicino Episcopatu suam jurisdictionem erga sibi subditos validè & licitè exercere potest. *Clement. unic. de Foro compet.*

REGULA XXVII.

Scienti, & consentienti non fit injuria, neque dolus.

SUMMARIUM.

1 *Hæc Regula unde desumpta?*
2 *Et intelligenda in sensu copulativo, non disjunctivo.* Scire, & scire debere ac facilè posse pro eodem habentur.

3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
4 *Declaratur exemplis Juris & n. seq.*
5 *Sciens & liberè consentiens censetur cedere Juri suo.*
6 *Injectio volenta in Clericum volentem trahit secum excommunicationem.*
7 *Non item jocosa mutua Clericorum.*
8 *Raptus Virginis scientis & consentientis punitur & quare.* Dolosa persuasio plus est, quàm violenta coactio. *ibid.*
Raptus verè consentientis virginis non inducit impedimentum matrimonii. ibid.
9 *Ex metu scienter consentiens patitur injuriam.*
10 *Actio furti competit domino consentienti in furtum: quando? & quare?*
Mala facta, quæ trahi possunt in exemplum, puniuntur, etsi nondum sint perfecta. ibid.
11 *Liber consensus Martyrum in torturas & mortem quare non excusat tortores ab injuria.*
12 *Regula fallit in consentientibus in prohibita de Jure divino.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Nemo videtur. 135. ff. de R. J.* ibi: *Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt.* Concordat *l. Cùm Dominationes, c. de Transf.* & aliæ à Glossa citatæ *hic.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam intelligendam esse copulativè non disjunctivè, ita ut conjunctim quis sciat, simulque consentiat, & quidem liberè, non vi aut metu coactus, sitque consensus in id, in quod quis consentire potest, seu de Jure non prohibetur. Taccin. *hic n.* 2. Glossa hîc communiter recepta. Sufficit autem scientia non tantùm actualis, sed etiam præsumpta talis, quam debet quis habere, etsi non habeat. Strein *hic n.* 1. quia qui ignorat, quod scire debet, non meretur excusationem *c. 1. de postulat. Prael.* cùm scire & scire debere, ac facilè posse pro eodem habeantur *c fin. §. Si quis. de clandest. Desponſ.*

3 Resp. II. Verus sensus Regulæ sequens est: *Ei, qui aliquid sufficienter intelligit, & in illud nulla vi, nulloque metu coactus liberè consentit, nec injuria nec dolus fieri censetur.* Ratio Regulæ est; quia nullus injuriam patitur, cujus jus non violatur; sed illius, qui scienter & liberè consentit, jus non violatur: cùm juri suo, quod in aliquid habet, consentiendo in illud, cedere censeatur.

4 Declaratur & firmatur exemplis Juris: Sic enim, si quis ingenuus scienter contrahit matrimonium cum serva, vel si ingenua scienter & voluntariè contrahit cum servo, non potest exceptionem facere ob dolum aut injuriam, sicut posset, si ignoranter id fecisset, textu claro *can. Si quis ingenuus. 4. & can. si fœmina. 5. can. 29. q. 2.*

5 Sic pariter qui vendit liberum hominem scientem & consentientem, non tenetur actione injuriarum. *l. 1. §. usque adeò. ff. de Injur.* Et qui retinet liberum hominem volentem & consentientem, non tenetur interdicto de libro homine exhibendo *l. Quod & 3. §. si quis volentem 5. ff. de homine libero exhib.* Rursus si quis emit domum, cui servitutem annexam scit, non habet de illa exceptionem *l. 1. ff. de action. empti & venditi.* Sic universaliter qui utitur, vel fruitur jure alterius benè scientis & liberè consentientis: item qui accipit, retinet, vel consumit rem alterius probè scientis & liberè consentientis, non infert huic injuriam, neque dolum; quia liberè consentiendo videtur in hoc cedere juri suo, sicque in hoc jus illius non violatur. & consequenter nec injuriam patitur, quamdiu scienter ita consentit. Exempla plura adhuc habentur *l. Cùm Donationes. 34. Code Transact. l. Venditor. 11. C. de Rescind. vendit. l. quamvis. 11. ff. de In jus vocand. l. In diem. 9 ff. de aqua pluv. arcen.* cum concord. apud Dynum *hic n.* 2.

Objicitur tamen variè contra hanc Regulam, & 6
quidem imprimis *c. Contingit. 36. de Sentent. Excomm.* Injectio manuum in Clericum volentem, dum videlicet quis ipsum volentem percutit in satisfactionem præcedentis injuriæ, *etsi non violenta, tamen injuriosa* dicitur: ergo etiam volenti fit injuria. Resp. Injuriam in hoc casu non fieri Clerico, utpote consentienti, benè verò toti statui clericali, in cujus favorem canon *si quis suadente* conditus est, cui per suum consensum clericus derogare non potest.

Urgebis. Clerici, qui *non ex odio, invidia, vel* 7
indignatione, sed levitate jocosa se ad invicem percutiunt, aut etiam intuitu disciplinæ & correctionis, non incurrunt excommunicationem, neque censentur inferre injuriam statui clericali. *c. 1. de Sentent. Excomm.* Ergo idem erit dicendum de casu in cit. *c. Contingit.* ubi Clericus volens percussus perhibetur causâ satisfactionis. Respondet Glossa in cit. *c. Contingit.* disparitatem esse, quia manus percutientis in *c. contingit*, sæviit, & causâ ulciscendi priorem injuriam percussisse videtur; non sic illi, qui joco.

Objicitur ulteriùs: Qui virginem etiam consen- 8
tentem rapit, graviter punitur à Jure *l. Raptores C. de Raptu Virg.* ergo etiam scienti & consentienti videtur irrogari injuria. Resp. legem illam non obesse Regulæ, partim quia prædicta lex in præsumptione fundatur, quâ ordinariè præsumitur, virginem si non vi, saltem dolò fuisse raptam, & hôc ipsô injuriam passam. Dynus *hic nu.* 3. & 4. quia qui dolosè decipitur, pro non volente habetur; cùm dolosa persuasio plus sit, quàm violenta coactio. *l. 3 §. Si quis volentem ff. de homin. liber. exhib.* Partim quia, si non ipsi virgini, saltem parentibus illius per raptum filiæ censetur irrogari injuria. Taccin. *hic n.* 9. Partim quia si sufficienter constat, virginem absque omni vi & dolo scienter ac liberè consensisse, verus raptus non est, & virgo hujusmodi non tam rapta, quàm occultè fugitiva dicenda venit, sicque Regula in suo valore procedit. Navar. *lib. 5. Consil. 3. nu. 1. de Raptu.* Sanch. *lib 7. de Matrim. disp. 12. n. 36. & alii. arg. c Cùm causam 6. de Raptor.* ubi Summarium sic habet: *Raptus non dicatur, ubi volens pro matrimonio abducitur*: prout etiam ibidem impedimentum exinde non induci decidituir.

Objicitur adhuc *l. Si Mulier 21. §. 5. ff. quod me-* 9
tûs caus. gest. ubi mulieri beneficiô restitutionis in integrum succurritur, etiam si iciens & consentiens adierit hæreditatem sibi nocivam: ergo scienti & consentienti fit injuria; aliàs enim si mulier hæc injuriam passa non fuisset, lex restitutionem in integrum non concessisset. Resp. dictam mulierem gravi metu adactam hæreditatem adiisse, uti legenti textum patet. Et quamvis coacta voluntas adhuc sit voluntas: tamen, quia habuit jus, ne ad hæreditatis dan nosæ aditionem metu adigeretur, & violatione hujus sui juris injuriam passa est, æquitate suadente per dictum extraordinarium medium meritò illi succurrebatur.

Objicitur etiam *l. Si quis servus. 20. C. de furt &* 10
servo corrupt. ubi domino conceditur actio furti & servi corrupti contra illum, qui domini servo, uti aliquam domini sui rem furriperet, & sibi afferret, persuasit, etsi servus ante oblationem rei iniquam suasionem sincerè manifestârit, & dominus in ablationem sciens consenterit. Resp. Actionem Domino fuisse concessam tum, quia dominus habuit jus, ne servus suus iniquè eorum peretur; quo jure, quia se non abdicavit, in eo injuriam passus: tum ad terrorem aliorum, ne servos alienos facilè corrumperent; quia *in delictis, quæ trahi possunt in exemplum, punitur factum, licet non sit perfectum*, ut notat Rubr. in cit. *l. si quis.* & favent verba ultima ejusdem legis, ibi: *Ne ex hujusmodi impunitate & in alium servum, qui facile possit corrumpi, hoc facere pertentet.* Tum etiam, quia Dominus non in retentionem, sed ablationem duntaxat rei iuæ consentit animo experiendi malitiam iniqui suasoris, ut scelere in effectum deducto eum actione furti, & corrupti servi securius conven posset. Peck. *hic num.* 13. *in fine.*

11 Objicitur denique exemplum Sanctorum Martyrum, qui scientes, & consentientes sustinuerunt martyrium, vitam, & membra perdidecunt; & tamen facta est illis injuria: ergo etiam scienti & consentienti fieri potest injuria. Resp. Quamvis SS. Martyres amore Dei, & fidei Martyrium à Deo permissum, scienter, & liberenter sustinuerint imo etiam desiderârint; tamen per hoc non consenserunt in tortorum iniquitatem, ac injustam actionem, quâ

membris & vitâ fuerunt privati, nec ullô modô renuntiârunt juri in vitam & membra, cùm horum domini non fuerint; & hinc juri ad illa renuntiare non potuerint. Sylvester. *v. Consensus. numer.* 2. Less. *de Just. & Jur. lib. 2. cap. 7. numer.* 14.

Quæritur II. An, & quales Fallentias Regula 12
XXVII. patiatur? Respondet Pirh. *Tit. de Usur. num.* 11. Eam fallere in casibus iis, ubi aliunde adest prohibitio, præsertim Jure divino, uti est in usuris utpote jure divino & naturali prohibitis, etsi mutuatarius in illas scienter consenserit; præcipuè cùm hujus consensus sit etiam quodammodo coactus, eô quòd mutuum, quô necessariò indiget, obtinere non possit, nisi in usuras consentiat, prout *lib. T. Tit. 19 nu.* 85. & toto illo Titulo fusiùs diximus. Idem est de adulterio, quod, quia jure divino prohibitum est, consensus ad id ab uno conjugum data i neq it, & scienter ac liberè datus adulteros non excusat, quin coram Deo & mundo rei exilant, poenisque à Jure humano in adulteros statutis subjaceant.

REGULA XXVIII.

Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Exorbitare à Jure quid sit?*
3 *Aliud est* exorbitans à Jure, *aliud* correctorium Juris.
4 *Exorbitans à Jure in stricto & lato sensu sumitur.*
5 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
Exorbitantia à Jure sunt odiosa, non possunt extendi ad casus & personas non expressas. ibid.
6 *Etiamsi sit eadem ratio.*
7 *Declaratur exemplis Juris, & tribus seqq.*
10 *Attendendo Jus Civile, Patrem potestatem cedere filiam in sua potestate adhuc constitutam, & adulterium in adulterio comprehensus.*
11 *Consuetudo non extenditur de loco ad locum.*
12 *In quibus Regula fallat, ita ut exorbitantia à Jure extendi possint ad casus & personas non expressas.*
13 *Necessariò connexa se invicem includunt, etsi unus tantùm fiat mentio.*

1 HÆc Regula desumitur ex *l. quod contra ratio-* 1
nem. ff. de R. J. ibi: *quòd contra rationem Juris receptum est, non est producendum ad consequentia.* Concordat *c. Is, qui de filiis Presbyt. in 6.* ibi: *præ textu dispensationis hujusmodi (quam exorbitantem à Jure oportet velut odiosam restringi) &c.* & alia Jura per Gloss. citata *hic.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem præmotandum venit, *exorbitare* ut sic idem esse, ac ab orbita, seu via communi deflectere & deviare Gloss. & Dynus *hic*: quod Sacra Scriptura ad dextram vel sinistram declinare vocat. Hinc ad propositum *exorbitantia à Jure* sunt, & dicuntur, quæ à communi Jure, seu à via Juris communis deflectunt, seu Juri communi adversantur, & contraria sunt.

3 Ulteriùs notandum, in proprio sensu aliud esse *exorbitans* à Jure, aliud *correctorium* Juri. *Exorbitans à Jure* est, quod dispositioni Juris communis ex parte dumtaxat, & non ex toto adversatur, & contrarium existit: *Correctorium* verò Juris est, quod illius dispositionem ex toto corrigit. Ex quo venit, quòd exorbitantia à Jure communi, v. g. dispensationes, privilegia, consuetudines, statuta Juris communis dispositioni ex parte tantùm contraria facilius extendantur, quàm correctoria illius, seu eidem ex integro adversa, prout ex Farin jam notavimus *lib. 1 Tit 2. de consit. n.* 423. *arg. c Auditis*, junctâ Glossâ ibidem *v. Minoris. de In integr. restit.* & docet Taccin *hic*

Porrò sunt alii, qui exorbitans à Jure in stricto 4
sensu illud appellant, quod Juri communi ita adversatur, ut non nisi difficillimè, & rarissime concedi soleat: in lato sensu autem omne illud reseriptum, statutum, dispensatio, privilegium à Jure communi exorbitans est & dicitur, quod eidem qualitercunque adversatur. Regula nostra tam de correctoriis Juris, qui in de exorbitantibus à Jure communi, & de his tam in stricto, quàm lato sensu intelligenda est; cùm omne correctorium Juris sit etiam exorbitans, seu devians ab illo, etsi in proprio sensu non omne exorbitans ab illo sit etiam correctorium eiusdem: licet aliqui inter hos terminos non distinguan, sed utrumque undè vocabulô *exorbitantis à Jure* exprimant. His præmotatis,

Resp ad quæstionem *n.* 2 positam. Regula præ- 5
sens juxta sequentem proprium illius sensum intelligenda est: *Quæcunque à Jure communi exorbitant, id est, legales, aliæque dispositiones, reseripta, statuta, dispensationes, privilegia, consuetudines, quæ alteui dispositioni Juris communi ex parte vel ex toto adversantur, ad consequentiam, sive ad alios casus & personas non expressos, non sunt trahendæ, seu extendendæ.* Ratio est; quia *odia restringi, & favores convenit ampliari* juxta *Reg. 15. de R. J. in 6.* Ea autem, quæ à Jure communi exorbitant, juxta omnium DD. sententiam odiosa censentur & meritò; hoc ipso enim, quòd Jus commune propter utilitatem publicam conditum, & ab omnibus receptum, indeque summe favorabile sit, quidquid ei adversum seu contrarium est, merito odiosum reputatur & per consequens ad consequentiam sive ad alios casus & personas non expressas nentiquam trahendum, seu extendendum est. *arg. c. Sane. 9. de Privileg. & c. is, qui. de filiis Presbyt. in 6.* ibi: *præsertim dispensationis (quam exorbitantem à Jure oportet*

velut odiosam restringi &c. Hinc c. *Cùm expediat. de Elect. in* 6 universaliter sancitum habetur, *ut omnis correctio Jurium, quatenus fieri potest, sit evitanda.*

6 Et procedit Regula, etiamsi in alio simili casu, vel persona videatur eadem vel major ratio: nisi hæc in exorbitante dispositione sit expressa juxta dicta ad Regulam 15. vel extensio ad similia expressè concessa. Strein *hic n.* 2. exemplificans id in Principe, cui ex necessitate fuit concessum in certo loco nominare Prælatum; is enim in alio loco aliquem nominare non valet, etsi in tali loco eadem sit necessitas.

7 Declaratur Regula & confirmatur Exemplis ex Jure deductis: Sic enim etsi laicis Juris spiritualis alias incapacibus à Jure concedatur jus præsentandi ad Ecclesias & Beneficia ab illis fundata, uti constat ex *Tit. de Jure Patronatûs*, tamen hæc Juris dispositio trahi & extendi non potest ad liberam collationem, electionem, vel causarum Juripatronatûs judicialem cognitionem. *c. Sacrosancta. c. Missana. de Elect & c. quamvis. de Judiciis.*

8 Sic pariter licèt Anglis ex eo, ut ad fidem recenter conversi in ea firmiùs maneant, dispensativè concessum fuerit cum consanguineis matrimonium: tamen hæc concessio, utpote à Jure communi exorbitans, ad alias gentes recenter converlas trahi & extendi non potuit. *can. quædam lex. 20. §. quod scripsit. can. 35. q. 3.* & ibi Glossa communiter recepta.

9 Sic ulteriùs si alicui illegitimè nato per dispensationem papalem generaliter, & sine curæ mentione conceditur accipere beneficium, non potest conferri curatum, *c. Is, cui. de Præb. & Dignit. in* 6 nec potest dispensatio extendi ad plura beneficia. *arg. c. fin. de filiis Presbyt. in* 6. Gloss. *in c.* 1. *Eod.* quia utraque hæc dispensatio à Jure exorbitans, sicque odiosa est, consequenter extendi non debet.

10 Similiter etsi *l. Patri. 20. ff. ad Leg Jul. de adult.* concedatur, quòd pater filiam sub potestate sua adhuc constitutam una cum adultero occidere possit, tamen hæc potestas, utpote à Jure communi aliàs exorbitans, sicque odiosa ad alios consanguineo talis filiæ, vel ad filium familias patrem, extendi non potest. *arg. cit. l. Patri.* Fachin. *lib. 7. cap. 28.* Strein *hic num. 1.* Et sic intellige de aliis hujusmodi concessionibus, dispensationibus à Jure communi exorbitantibus, seu deviantibus, utpote quæ tanquam odiosæ ad alios casus & personas etiam ob similitudinem, paritatem, identitatem rationis trahi aut extendi non possunt.

Nec obstat cum Decio *Consil. 384.* quòd consuetudo civitatis Episcopalis ad oppida & pagos ejusdem Diœcesis, imò etiam ad vicina loca diœcesis extendatur *arg. c. Ex parte. de Censib. & Exact.* Resp. enim, id vi dicti capituli fieri ex præsumptione, quòd etiam in aliis hujusmodi locis consuetudo vigeat: qua præsumptione non data certum est, quòd consuetudo à Jure exorbitans, seu eidem adversa ab una diœcesi ad aliam, vel de loco ad alium locum non extendatur, uti fusè dictum ad probatum habetur *lib. I. tit. 4. de consuet. à num. 1. &c.* 11

Quæritur II. An, & quas Fallentias Reg. XXVIII. patiatur? Resp. Eam habere omnes illas fallentias, quas adduximus supra in Regula XV. à *num.* 20. usque ad *num.* 24. inclusive. Et quidem eas breviter recapitulando Fallit 1. quando agitur de favore utilitatis publicæ juxta dicta ad *cit. Reg. XV. num.* 20. 2. In concessionibus, dispositionibus, rescriptis, privilegiis pro favore Cultûs divini, fidei, religionis, salutis animarum, juxta dicta ibidem *num* 2. 3. fallit, quando dispositio, dispensatio, rescriptum, privilegium datum est motu proprio, juxta dicta ibi *num.* 22. 4. fallit, ubi est eadem ratio in lege expressa juxta *num.* 23. 5. fallit, quando extensio requiritur ad evitandum absurdum, juxta dicta ibidem *num.* 24. 12

Fallit 6. In necessariò connexis, & nisi extensio fieret concessionis à Jure exorbitantis, aliàs esset inutilis & careret effectu: necessariò enim connexa comprehendi & inclusi censentur in concesso uno, etsi non fiat expressa mentio alterius. *arg. c. Præterea. 5. de Offic. & potest. Jud. deleg.* Exemplum habes: quod minor 25. annis dispensatus ad beneficium parochiale, vel aliud curatum, censeatur etiam dispensatus ad susceptionem Sacerdotii intra annum, etiamsi de ea nulla fiat mentio, quia est necessario connexa; cùm beneficium curatum ultra annum nec administrari, nec retineri valeat sine ordine Sacerdotali, & aliàs dispensatio careret effectu, & foret inutilis contra mentem Papæ dispensantis, uti cum aliis benè advertit Abbas in *c. Nonnulli. 28. de Rescript.* 13

REGULA XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Ratio difficultatis in Regula.*
3 *Aliud est*: tangere omnes, *vel plures* ut singulos.
4 *Aliud*: tangere omnes, *vel plures* ut universos vel collegialiter sumptos.
5 *Regula intelligenda est de eo, quod* omnes ut singulos *tangit.*
Ponitur verus sensus illius. ibid.
6 *Declaratur exemplis Juris: & duobus seqq.*
7 *Electio unicè vocati pretiò, seu non citatis est nulla.*
8 *Ad compromissum requiritur omnium consensus.*
9 *Majora valent, quando res omnes ut universos vel collegiater tangit.*
10 *Intellige tamen in necessariò, non autem voluntariè agendis:*
11 *Ac nisi pars minor, vel unicus rationabiliter contradicat.*
12 *Fallit Regula in favore liberationis à debitis:*
13 *In Arburis pro dirimenda lite:*
14 *Item in compatronis Juris patronatûs.*
15 *Et, si Fiscus concurrit cum privatis.*

1 REgula hæc desumitur ex *l. fin. C. de Authorit. præst.* ibi: *Etenim necesse est, singulos pro suis partibus, vel regionibus authoritatem pupillo præstare.* Concordant *l. Per fundum. ff. de servit. Rust.* & alia Jura per Gloss. citata *hic.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem notandum non minùs difficilem, quàm celebrem esse hanc Regulam; quamvis enim DD. communiter, imò teste Bar. *hic nu.* 2. omnes dicant, Regulam esse sic intelligendam, quod omnes ut singulos tangit: non autem, quod omnes ut collegium aut communitatem, seu collegialiter & in communi tangit, ab omnibus esse approbandum: Tamen difficultas non levis remanet, quandonam aliquid plures aut omnes ut singulos, & quando illos ut collegium vel communitatem tangere dicatur. Pro cujus intelligentia,

3 Ulteriùs notandum, Illud aliquem vel aliquos tangere dici, quod ad eum, vel illos aliquò modò pertinet, vel eis de Jure competit, ita ut ex illius ablatione, diminutione, violatione gravamen & præjudicium patiantur. Porro potest aliquid plures, seu omnes vel *ut singulos*, seu singillatim & distributivè sumptos: vel omnes *ut universos*, seu collectivè & collegialiter sumptos, ac prout unum corpus efficiunt, tangere, sive eis de Jure competere & ad eos pertinere. Plures vel omnes *ut singulos* aliquid rangere, eis competere, & ad eos pertinere dicitur, quando quivis in specie ac in individuo in illo jus habet, sicque de jure & præjudicio cujusvis in specie, directè, &, ut loquitur Barbosa *hic n.* 3. principaliter agitur: ut si plures in eundem fundum jure & dominio gaudent, non potest tali fundo sine omnium approbatione & consensu servitus imponi; quia omnes ut singulos, seu quemvis in specie tangit, & de illius præjudicio directè ac principaliter agitur. *arg cit. l fin. C. de auth præst.* cum Concordant.

4 Plures vel omnes *ut universos*, vel collectivè, collegialiter, & in communi sumptos, ac prout unum corpus, collegium, vel communitatem constituunt, aliquid tangere, eis jus competere, & ad eos pertinere dicitur, quando illud non ad quemvis in specie aut individuo, sed ad totum collegium, communitatem, Monasterium, Capitulum &c. pertinet, uti sunt fundi, prædia, aliaque Jura ad totam communitatem pertinentia in quorum proin alienatione, vel violatione non de singulari, vel enjusibet in specie aut individuo, sed de totius communitatis, collegii, corporis mystici Jure ac præjudicio directè, primariò, ac principaliter agitur, quamvis indirecte, secundariò, ac minùs principaliter etiam singulos tangat, hòc ipsò, quòd talis communitatis sint membra: in quo sensu juxta tam dicta, & adhuc magis dicenda non omnium, sed majoris duntaxat partis consensus, & approbatio requiritur. *arg l. 1 §. Denuntiari. ff. de venter. inspiciend.* cum concord. His prænotatis,

5 Resp. ad quæstionem n. 2. positam: Regula præsens intelligenda venit de eo duntaxat, quod *omnes ut singulos*: non autem de eo, quod *omnes simul, vel collectivè, seu collegialiter* sumptos tangit, modò *n.* 2 & 3 explicatò; ut proin proprius illius sensus sit sequens: *Quod plures ut singulos tangit, id est, ad eos pertinet, eisque ut singulis de Jure competit, ita, ut agendo de illo, de jure & præjudicio cujusvis in specie ac individuo directè, primariò, ac quasi principaliter agatur, ab omnibus unanimiter approbari debet, ita ut unico dissentiente, contradicente, sp eò aut neglectò tota actio sit nulla & invalida.* Ratio Regulæ est; quia nullus invitus Jure suo spoliandus est, *Nec debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. l. Non debet. 74 ff. de R. J.* Et *Id, quod nostrum est, sine facto* (seu consensu) *nostro ad alium transferri* (vel auferri) *non potest. l. Id, quod. 11. ff. de R. J.* Hinc dum *l. In concedendo ff. de aqua pluv. arc.* decidimus, ut in concedendo jure aquæ ducendæ accedat consensus omnium, qui in re jus habent, subjungitur: *Nec immeritò, cùm enim minuatur jus eorum, consequens fuit, exquiri, an consentiant.*

6 Declaratur & firmatur Regula, ejusque sensus variis exemplis Juris per Dynum *hic*, & allos adductis: Sic enim inprimis si plures fundum aliquem in communi habent, non possunt in eo servitutem constituere, nisi interveniat unanimis omnium consensus, ita, ut unico dissentiente constitutio sit nulla, text. clare *l. per Fundum 11. ff. de servit. Præd. Rust.* & *l. Receptum ff. Commun. prædia.* quia fundus tangit omnes ut singulos, & de jure ac præjudicio cujusvis in specie directè agitur. Idem est in casu, quò novus aquæ ductus concedendus est; omnes enim & singuli, qui priùs jus ad aquam jam habebant, consentire debent. *arg. cit. l. In concedendo. ff. de aqua pluv. arc.* per rationem ex illa desumptam & n. præced. jam positam: Sic etiam, si plures servum proprie talem in communi habent, omnium consensus requiritur, ut Sacros Ordines suscipere valeat, quia omnes tangit, id est, ad omnes pertinet, & de cujusvis jure, & præjudicio agitur, hòc ipsò quòd quivis per ordines suò ad servum habito jure privetur, sacris initiatus servus amplius esse non possit, sed homo liber evadat, *can. 2. dist. 54.*

7 Sic rursus omnes tam Regularis, quàm sæcularis clarùs vocales, *qui debent & volunt, ac commodè possunt interesse*, ad electionem Prælati citari & admitti debent. *c. quia propter. de Elect.* cum concord. ita ut si unicus contemptus, id est, legitimè non citatus, vel legitimè exclusus esset, Electionem invalidam reddere posset. *c. Quod ficus 28. de Elect.* quia quivis in specie jus eligendi habet, quo invitus privari nequit, prout amplius diximus *Lib. I. Tit. 6. de Elect. n. 115.*

8 Sic ulteriùs ut electio per compromissum fieri queat, unanimis omnium Vocalium consensus necessariò requiritur: adeò ut unius dissensus compromissum impediat, & nihilominus electionem per compromissum factam invalidam reddat. uti Gloss. in *c. Quia propter. v. Vice omnium* communiter recepta benè docet *arg cit. c. Quia propter. de Elect.* & amplius dictum habetur cit. *Lib. I. Tit. 6. de Elect. num. 71.* quia causa compromissi omnes ut singulos tangit, cùm aliquin invitus privaretur voce sua activa.

9 Objici solent contra hanc Regulam satis clari textus Juris utriusque, Canonici quidem ex *c. 1. De his, quæ fiunt à Major. par. capit.* ubi universaliter dispositur; *nisi à paucioribus & inferiorbus aliquid rationabiliter objectum fuerit, & ostensum, prævalet semper, quod à majori & saniore parte Capituli fuerit constitutum.* Ex Jure Civili autem *l. quod major. 19. ff. ad municipalem* ibi: *Quod major pars Curiæ efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint.* Sed Resp. hos & similes universales Juris textus de iis materiis & causis intelligendos esse, quæ vel non omnes ut singulos in specie, sed omnes ut universos, seu collectivè sumptos, sive totum collegium tangunt juxta sensum supra n. 4. allegatum: vel non ipsa collegii aut curiæ membra, sed tertium aliquem respiciunt.

10 Quamvis cæteroquin etiam præfati textus (præsertim verò ex *c. quia propter.* desumptus) non semper, sed tunc tantùm verificentur, quando aliqua facienda sunt ex necessitate, uti alienationes, electiones, & hujusmodi: non autem in iis quæ ex mera voluntate fiunt; tunc enim major pars non sufficit, sed omnes & quidem collegialiter consentire debent, prout benè observat & probat Glossa. in *c. Cùm omnes. de Constitut. v. constit.* ac etiam ad hanc Regulam: ubi plura de hoc.

11 Et nos quoque *Lib. III. Tit. 11. De his, quæ fiunt à majori parte Capit. à nu.* 24 plures adduximus casus, etiam tales, qui omnes collectivè sumptos, seu totum collegium & communitatem tangunt, in quibus non sufficit major pars, quin minor pars contradicere, & intentum majoris partis ex rationabili causa impedire valeat *cit. c. 1. De his, quæ fiunt à major.* ibi: *nisi à paucioribus aliquid rationabiliter fuerit objectum & ostensum:* ubi etiam addidimus, unicum cæteris omnibus efficaciter contradicere posse, tunc nempe, quando reliqui in manifestum

damnum Collegii, Communitatis aut Ecclesiæ decernunt, ubi vide.

22 Quæritur II. An, & quas Fallentias patiatur Regula XXIX? Resp. Eam fallere in pluribus, veluti *Primò* in favore liberationis à debitis. *l. Majorem ff. de Pactis.* ubi habetur, si hæredes pacisc antur cum creditoribus, quota parte debiti, velint esse contenti, *Prætor sequetur majoris partis voluntatem*: ubi Rubrica sic habet: *Hodie in iis, quæ sunt communia pluribus, ut singulis, quod fit à majore parte, præjudicat aliis favore liberationis.*

23 Fallit *secundò* in arbitris favore litium dirimendarum; nam arbitris, qui communi partium consensu in dispari numero sunt assumpti, discordantibus, statur sententiæ majoris partis, etsi res plures ut singulos tangat. *arg. c. cum. Sanè 1. de Arbitris.*

Fallit *tertiò* in casu, quò pluribus Patronis competit Jus patronatûs; nam iis discordantibus valet præsentatio personæ idoneæ facta à majore parte, textu expresso *c. Quoniam. 3. de Jure Patron.* idque favore Ecclesiæ & animarum, quibus longior beneficii vacatio damnosa videtur & periculosa. *arg. c. Ne pro defectu. 41. de Elect.* 14

Fallit *quartò*, Si Princeps, vel fiscus illius rem aliquam cum aliis communem habet; quia potest ille, etiam his invitis, rem totam vendere, tradita tamen parte pretii aliis competente. *l Multùm. 2. C. de Commun. rerum alienat.* quia fiscus in hoc specialiter privilegiatus independenter ab aliis agit, nec in effectu illis præjudicat, cùm pierumque commodius sit & utilius, rem totam, quam partem illius distrahere. *arg. l. Mævius. 52. ff. Familiæ Erciscundæ.* 15

REGULA XXX.

In obscuris minimum est sequendum.

SUMMARIUM.

1 *Regula à quo desumpta?*
2 Obscurum *quid sit?* & Minimum *quid dicatur?*
3 *Regula non procedit, nisi prius circumstantiæ de veritate rei perpendantur: Hinc*
Regula hæc subsidiaria dicitur. *Ibid.*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
5 *Regula amplè extenditur.*
6 *Procedit enim in Legibus:*
7 *In contractibus & promissionibus:*
8 *In Testamentis & legatis:*
9 *In peccatis & delictis.*
Satiùs est impunitum relinquere facinus nocentis, quàm innocentem damnari. *Ibid.*
10 *Procedit insuper in pœnis:*
11 *In Votis.*
In pari causa melior est conditio possidentis. *Ibid.*
12 *Et sententiis.*
13 *Solvitur objectio.*
Pars *indistinctè nominata significat* dimidium. *Ibid.*
14 *In obscuris & Judex sequi debet minimum.*
15 *Quivis censetur habere animum agendi, quod agit.*
16 *Fallit Regula in speciebus & artefactis:*
17 *Nisi sub specie duo tantùm adsint individua.*
18 *In genere propriè tali non fallit.*
19 *In Homicidio, à pluribus commisso, fallit. Delicta non deberent manere impunita. Ibid.*

1 HÆc Regula desumitur ex *l. Semper in obscuris. 9. ff. de R. J.* ibi: *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur*, concordat *l. Semper in stipulationibus 34. ff. de Reg. Jur.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. *Obscurum* in hac Regula sumitur pro eo, in quo rei veritas, & intentio disponentis, etiam consideratis considerandis circumstantiis nec verisimiliter satis apparet. Per *minimum* verò illud intelligitur, quod minùs obligat, vel minùs gravat.

3 Dicitur autem notanter etiam consideratis considerandis circumstantiis; enimverò hæc Regula non ita nudè intelligenda venit, quòd in quovis obscuro statim, ac sine ulla consideratione *minimum* sit eligendum: sed priùs videndum est, an non rei veritas, & vera disponentis intentio ex more Regionis, ex ratione, vel fine, vel ex alia lege, ex antecedentibus aut subsequentibus verbis, vel ex aliis circumstantiis saltem verisimiliter erui valeat, prout benè observat Gloss. & clarè desumitur ex *c. 1. l. 34 ff. de Reg. Jur.* ibi: *Semper in stipulationibus, & in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est: aut si non appareat, quod actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in Regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque Regionis mos appareat, quia varius fuit, ad id, quod minimum est, redigenda summa est.* Concordat *Regula 45. Juris in 6. Inspicimus in obscuris, quod verisimilius est: vel quod plerumque fieri consuevit. & l. Nummis. 75. ff. de Legatis. III.* ibi: *Si neque ex consuetudine Patris familias, neque ex Regionis, unde fuit, neque ex contextu testamenti possit apparere.* Hinc Regula hæc communiter vocatur *subsidiaria*, id est, in subsidium casu quo aliunde de veritate satis non constat.

4 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Quando in lege, statuto, aut alia dispositione sensus ita obscurus est, ut neque ex natura actûs, neque ex antecedente aut subsequente tenore verborum, neque ex consuetudine loci, nec ex aliis circumstantiis vera legislatoris, vel aliter disponentis voluntas ac intentio, saltem verisimiliter satis appareat, id, quod minimum, hoc est, quòd minus obligat, vel gravat, sentire debemus.* Per Jura citata: Ratio est; Tum quia Jura proniora sunt ad liberandum, quàm obligandum, magisque inclinant ad minuendum, quàm augendam obligationem, *arg. l. Arianus, ff. de Obligat. & Act.* Tum quia sequendo minimum minus errandi periculum est; hoc ipso, quòd in majori, vel maximo etiam minus vel minimum includatur, juxta *Reg. 35. Jur. in 6. Plus semper in se continet, quod est minus*: consequenter si disponens forsan de maximo intentionem habuit, etiam minimum inclusum existat, non sic è converso.

5 Porrò hæc Regula sat amplè extenditur; procedit enim non tantùm in legibus & statutis, sed etiam in contractibus, & voluntariis promissionibus; in testamentis & ultimis voluntatibus; in peccatis & delictis: in pœnis, & in sententiis. Dynus hîc cum communi aliorum, patetque adducendo de singulis exempla Juris.

6 Et quidem *inprimis* de Legibus & statutis; hæc enim quando obscura sunt, & vera, aut verisimilior intentio legislatoris non apparet, miniorem, minusque obligantem, vel gravantem præ duriori interpretationem sequi licet. Strein *hic n. 2.* Taccinus *n. 3. arg. l. Arianus. 47. ff. de oblig & Act.* ibi: *Ubi de obligando quæritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem, ad negandum: ubi de liberando; facilior sis ad liberationem.*

7 *Secundò* de Contractibus & voluntariis promissionibus; nam qui vendit servum, dicens, illum esse peculiarem, sufficit, si is minimum habeat peculium textu claro *l. Si quid venditor. 18. § ult ff. de Ædilit. Edict.* ibi: *Si quis simpliciter dixerit, peculiatum esse servum, sufficit, si is vel minimum habeat peculium.* Dynus *hîc n. 3.* Strein. *n. 2.* Taccin. *n. 3.* Sic qui alicui certam mensuram tritici promisit, viliorem speciem dando satisfacit, textu claro *l. fideijussorem. 52. ff. Mandati.* ibi: *Si sine adjectione bonitatis tritici pro altero tritico spoponderit, quodlibet triticum dando rerum liberare se posse existimo.* Ratio est; quia in hoc obscuro vilior species promittentem minùs gravat. Sic ulteriùs qui numero decem Canonicis Ecclesiæ A. promisit singulis annis dare viginti aureos, ita, ut quilibet habeat duos, auctò postea Canonicorum numerò, non tenetur superaddere, ut, qui recesserant, tantumdem accipiant. Strein *hic n. 3.* Pech. *n. 3.* quia in hoc obscuro, ita dando, minùs gravatur promittens.

8 *Tertiò* in Testamentis, legatis, & aliis ultimis voluntatibus; si enim alicui indistinctè legatur pecunia, hæredes satisfaciunt, si minimam quantitatem legatario dant. *arg. l. Si ita relictum. 43. ff. de Legat. II. & l. Nummis. 75. ff. de Legat. III.* ibi: *Nummis indistinctè relictis, hoc receptum est, ut exiguiores relicti videantur:* quia in hoc obscuro minimum, seu minùs gravans hæredes sequi licet. Sic ulteriùs si alicui legatur tanta pars, quantam unus hæres accipit, & partes hæredum sunt inæquales, non nisi illa pars debetur legatario, quæ inter hæredes est minima. Dynus *hic num. 2.* textu claro *cit. l. si ita relictum. 43. ff. de Legat. II.* ibi: *Si ita relictum &c. quantum unus hæres habebit, tantum Titaio hæredes meos dare volo, minor pars erit accipienda.* Ratio est, quæ supra.

9 *Quartò* in peccatis & delictis: si enim non satis constat, sed dubium & suspicio duntaxat est de crimine commisso, minimum sequi, & reum absolvere oportet. Dynus *hic n. 17.* textu claro *l. Absentem. pr. ff. de Pœnis.* ibi: *Sed nec de suspicionibus debere aliquem damnari, Divus Traianus rescripsit; satiùs enim est, impunitum relinquere facinus nocentis, quàm innocentem damnari.* Quod si de delicto constet quidem, obscurum tamen & dubium maneat de qualitate delicti, an v. g. vi armata, an sine armis contigerit, minimum, id est, minorem indicens pœnam, sicque sine armis commissum fuisse præsumendum est. Dynus *loc. cit. l. Si Præses. 32. ff. de Pœnis*, junctâ *l. Hæ enim causæ. §. Quid ergo ff. de Suspect. Tut.*

10 *Quintò* in pœnis, prout omnes docent, ob currentes alias Regulas Juris claras; nam juxta *Regulam 49 Jur. in 6. In pœnis benignior est interpretatio facienda. & Reg 155 §. fin. de Reg. Jur.* ibi: *In pœnalibus causis benignius interpretandum est*, junctâ *l. Interpretatione 42. ff. de Pœnis.* ibi: *Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potiùs, quàm exasperandæ.*

11 *Sextò* in Votis: qui enim dubitat, utrùm verè voverit, ad votum non tenetur, prout communiter tenent DD. tum ex hac Regula, tum ex Regula 65. in 6. *In pari causa potior est conditio possidentis*: taliter autem dubitans est in possessione suæ libertatis. Quòd si certus de voto, dubius manet circa qualitatem, quantitatem, pondus, numerum, vel mensuram, minimum, id est, minùs gravans sequi potest, nisi ex circumstantiis aliud prudenter deliberatur per Jura citata, junctò *c. Ex parte. 18. de censibus.* Sicut enim in hoc, ita & in aliis allatis Juris exemplis attendenda est clausula num. 3. adducta, *si consideratis considerandis circumstantiis aliud verisimiliter non appareat.*

Septimò in sententiis: siquidem si ex tribus judicibus vel arbitris unus ad quindecim, secundus ad decem, tertius ad quinque reum condemnet, minimum, quinque nempe, utpote minùs gravans, sequi oportet textu claro *l. Diem proferre. 27. §. Si plures. ff. de Receptis qui arbitrium.* ibi: *Si ex tribus arbitris unus quindecim, alius decem, tertius quinque condemnent, Julianus scribit, quinque debere præstari, quia in hanc summam omnes consenserunt.* Secùs foret, si duo Judices similiter condemnâssent ad majus, v. g. ad quindecim, & tertius ad dena; quia in tali casu res non amplius obscura, sed certa apparet, reum teneri ad quindecim ob clara Jura disponentia, majorem partem Judicum idem sentientium prævalere *cit. l. Diem. §. 3.* ibi: *Si major pars consentiat, ei stabitur*: quod utrumque clarè decidit *c. 1. de arbitris in 6.* ibi: *Si ex tribus arbitris te duo in decem, & tertius in quinque condemnent, debet sententia prævalere duorum: licèt cùm unus in quindecim, alius in decem, tertius vero in quinque pronuntiant, in illius, qui dixit de Summa minori (cùm in illa omnes concordes existant) sententia efficax censeatur.* 12

Objicitur autem contra Regulam & sensum ejus *Primò l. Etiam. 41. ff. de Usufructu, & quemadmodum.* ubi expresè habetur, quòd si pars legetur sine determinatione quotæ, dimidia pars totius legata censeatur; ibi: *Si non sit specialiter facta partimentio, dimidia pars bonorum continetur.* ergo in obscuris legatis minimum sequi non licet. Resp. hunc casum non versari in obscuro, quia clara lege decisum habemus, quòd, si quota non determinetur, nomine *partis* dimidium intelligatur. *l. Nomen. 164. §. 1. de V. R.* ibi; *Si non fuerit portio adjecta, dimidia pars debetur.* 13

Objicitur secundò *l. Voluntatis. 7. C. de Fideicommissis.* ubi dicitur: *Voluntatis defuncti quæstio in æstimatione Judicis est.* Resp. id quidem verum esse, ita tamen, ut si consideratæ considerandis certum vel verisimilius non appareat, & ipse de minimo judicare debeat per Jura hactenus allegata. 14

Objicitur *tertiò l. 1. C. Ad legem Cornel. de Sicar.* ex qua colligitur, quòd si constet aliquem à Mævio fuisse occisum, is teneatur de homicidio, etsi non constet de animo occidendi, nisi Mævius hunc abfuisse, & homicidium casu contigisse probet; ergo in delictis non licet sequi minimum. Resp. hanc in obscuro, sed in claro versamur: cùm in dubio quivis censeatur id agere voluisse, & agendi animum habuisse, quod egit, nisi aliud probetur, & animus ordinariè sit talis, qualem facta demonstrant. *arg. cit. l. 1. & c. Dilecti. 52 de Apellat.* 15

Quæritur II. An, & quales Fallentias patiatur hæc Regula? Resp. cum Gloss. & Dyno *hic. n. 7.* quòd etsi Regula in quantitate & numero &c. procedat, tamen generaliter fallat in speciebus (subaudi in sensu juridico acceptis juxta dicenda infrà) & iis, quæ æquipollent speciebus, uti sunt artefacta: circa hæc enim in obscuris non minimum, sed mediocre est præstandum. *l. legatu generaliter. 37. ff. de Legat I.* ibi: *Legato generaliter relicto, veluti hominis Gaius Cæsius scribit, id esse observandum, ne optimus vel pessimus accipiatur. & l. Qui lancem 31. ff. de Auro & argent. legat.* ubi disponitur, quòd relinquens tres lanceas unam ex illis legat, mediæ magnitudinis lanceam legâsse censendus sit, junctâ *l. Si quis argentum. 35. §. 1. C. de Donat.* ubi habetur, quòd si quis certum redditum ex suis possessionibus donet, *non exprimendo earum nomina, teneatur dare ex agris, qui nec omnibus, quos habet in possessione, anteponuntur, nec deteriores omnibus sunt, sed statûs mediocris inveniuntur.* 16

Quod

17 Quod si verò ex legata vel donata specie duo tantùm individua adsint, v. g. duo tantùm equi, vel boves, vel fundi, vel servi, unus melior, alter deterior, in salvo manet Regula, *In obscuris minimum est sequendum*: indéque non nisi ad deterius dandum obligatio inducitur. Dynus *hic nu.* 8. & 9. *arg. l. cùm servus.* 39. §. 6. *ff. de Legat. I.* & *l. si ita relictum* 43. §. *fin ff. de Legat. II.*

18 Porrò plures Doctores cum Dyno *hic n.* 7. asserunt, Regulam non tantùm in speciebus, sed etiam in generibus fallere; Notandum tamen eos loqui de genere & specie non in philosophico, sed in Juridico sensu acceptis; in quo ultimo sensu etiam individua & alia singularia vocantur species: econtra veræ species philosophicæ habentes sub se plura individua, uti homo, leo, asinus &c. apud Juristas vocantur genus, prout magis dicetur infrà explicando Regulam 34. *Generi per speciem derogatur.* Dynus *l. c.* cum aliis *arg. l. Ita stipulatus.* 115. *ff. de V. O.*

Cæterùm Fallit Regula *secundò* in casu, quo homicidium à pluribus committitur, & nescitur; sed obscurum manet, quis eorum vulnus lethale inflixerit: tunc enim non minimum de puniendo uno vel nullo, sed maximum, videlicet ut omnes tanquam homicidæ puniantur, eligendum statuitur. *l. Item Mela.* 11. §. 2. *ff. ad l. Aquil.* Et meritò; cùm enim omnes in actu homicidii deprehensi culpabiles existant, omnes jure merito pœnæ subjacent, ne cum gravi damno reipublicæ delicta maneant impunita contra *l. Ita vulneratus.* 51. §. 2. *ff. ad Leg. Aquil.* ibi: *cùm neque impunita maleficia esse oporteat.* Dynus *hic. num.* 19. 19

REGULA XXXI.

Eum, qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Certus quis dicatur? tribus modis certus fieri potest.*
3 *Quid sit certiorari?*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
Natura & Jura nil faciunt frustra. Ibid.
5 *Declaratur Regula exemplis Juris. & duob. seqq.*
Venditor servitutem fundi insinuare non tenetur, quam emptor jam scit. Ibid.
Nec vitium mancipii, vel alterius jam notum. Ibid.
6 *Nemo tenetur alium de claris Juribus certiorem reddere.*
Dies interpellat pro homine. Ibid.
7 *Iter ad Curiam Romanam in causa litigiosa arripere æquivalet Appellationi.*
8 *Fallit Regula, quando ulterior certioratio requiritur ad substantiam actûs:*
9 *Uti ad declarandum contumacem:*
10 *Et ad privationem privilegii Clericalis:*
11 *Nec non ad ferendam Excommunicationem majorem.*
12 *Testes in Testamento nón valent, nisi sint rogati.*
13 *Judex non nisi imploratus, & judicialiter informatus in causâ procedere potest.*
14 *Venditor non tenetur ad evictionem, nisi fuerit ab emptore laudatus.*
15 *Clerici concubinarii ut pœnas incurrant, priùs debent moneri: & quomodo?*
Concilii Tridentini textus ad propositum. Ibid.
16 *De pœnis Clericorum lascivè viventium remissivè.*
17 *Quòd ulterior certificatio sit de substantia actûs, non præsumitur, sed probari debet: benè verò præsumitur ignorantia, nisi scientia probetur.*

1 HÆc Regula juxta Glossam *hic* desumitur ex *l.* 1. *ff. de Actionibus empti & venditi.* uti habetur: *quia non videtur esse celatus, qui scit, nec certiorari debuit, qui non ignoravit.*

2 Quæritur I. Quomodo Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. *Certus* per Regulam præsentem intelligitur ille, qui non qualemcumque, sed indubitatam notitiam, seu scientiam rei, vel negotii alicujus habet; quæ notitia vel certitudo triplici modò haberi potest: vel *physicè*, ac naturaliter per quinque sensus, visum præsertim & auditum, ut si quis Instrumentum authenticum rem continens ipsemet vidit & legit, vel quid aliud in quæstione versari propriis oculis cognovit, vel auribus audivit, v. g. promulgationem legis præsens auribus percepit: vel *moraliter*, quæ notitia provenit ex motivis adeò vehementibus, ut nullus prudens dubitandi relinquatur locus: cujusmodi certitudo ex relatione virorum omni exceptione majorum, fidéque dignorum habetur: vel *ex dispositione legis naturalis*, quæ cunctis nota esse debet, vel humanæ claræ ac certæ ritéque promulgatæ. Tacin. *hic. n.* 1. Peck. *n.* 1. cum aliis. *arg. l. Magnam.* 12. *C. de contrah. & committend. stipul.*

Per *certiorari* intelligit Regula particularem aliquam judicialem, vel aliam denuntiationem, insinuationem, aut notificationem, vultque dicere, quòd, qui aliquò ex præfatis modis de re quadam certus est, seu sufficientem notitiam jam habet, vel saltem habere deberet, ei ulteriorem aliquam insinuationem, vel denuntiationem facere ad hoc, ut notitiam acquirat, non sit necesse. Hinc 3

Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *De Jure non est necessarium, ut alicui, qui sufficientem notitiam vel scientiam de re, vel negotio aliquo jam habet, vel saltem habere deberet, pro acquirenda ejusdem rei, vel negotii notitia, adhuc ulterior aliqua fiat denuntiatio, insinuatio, vel notificatio.* Rationem dat Vivianus *hic*: quia denuntiatio alicui regulariter ideò fit, ut notitiam acquirat de re aliqua *l. Item veniunt.* 20. §. 11. *ff. de Hæred. petit.* Ergo si is sufficientem notitiam jam habet, frustranea & superflua est ulterior notificatio talis rei: sicut autem natura, sic etiam leges & Jura nil frustra, aut superfluum faciunt vel exigunt. *can.* 1. *dist.* 19. cum concord. 4

Declaratur Regula & sensus illius exemplis Juris: Sic enim, licèt vendens fundum; vel domum aliquam servitute affectam, teneatur emptorem de servitute certiorem reddere; cùm id omittens teneatur actione empti ad interesse emptoris: tamen hujusmodi servitutem insinuare non obligatur, si emptor priùs jam scit fundum servituti esse subjectum textu claro *l.* 1. §. 1. *ff. de Action. empti.* ibi: *Venditor si, cùm sciret deberi servitutem, celavit, non evades exempto actionem; si modò eam rem emptor ignoravit; quia* uti §. *fin. ibidem* additur, *non videtur esse celatus, qui scit, neque certiorari debuit, qui non ignoravit.* Sic etiam licèt quis mancipium vel aliam rem, v. g. equum vitiosum, scabiosum vendens debeat emptorem certiorem reddere de moribus & vitiis mancipii, vel morbo aut gravi defectu equi; cùm aliàs teneatur actione redhibitionis, vel quantò minoris: tamen hos defectus emptori notificare non debet, quando is horum priùs jam sufficienter conscius est. *l.* 1. *ff. de Ædilit. Edict.* 5

6 Sic universaliter nemo tenetur adversarium suum de claro Jure aut lege certiorem reddere, quia hanc quemvis scire præsumitur, cùm scire debeat, indeque ignorantia hujusmodi juris ipsum non excuset juxta *Regulam* 13. *Jur. in* 6. *Ignorantia facti, non Juris excusat*: & dicta ibidem. Prout etiam necesse non est, aliquem monere, vel certiorem reddere de die solutionis, ubi is in contractu est appositus; quia debitor in tali casu præsumitur jam certus, cùm dies ipsa interpellet pro homine *l. Magnam.* 12. *C. de contrahend. stipulat.* cum concord.

7 Sic ulteriùs in specie arripiens in causa litigiosa iter ad Curiam Romanam sciente Prælato inferiori Judice, non tenetur illi communicare iter aggressum, minùs attentati insinuare appellationem, vel eum de hac certiorem reddere, quia ipsemet Prælatus scivit, vel scire debuit, iter ad curiam Romanam arreptum habere vim appellationis *arg. c. Si duobus* 7. & *c. Meminimus* 9. *de Appellat.* ac stante hujusmodi appellatione excommunicationem non subsistere. *c. Ad præsentiam.* 16. *de Appellat.* cum concord. Hinc in sensu Regulæ n. 3 posito notanter additum: *si de re notitiam jam habet, vel saltem habere deberet*; cùm scire & scire debere pro eodem sumantur per dicta in *Regulam* 13. *Jur. in* 6.

8 Quæritur II. An, & quas Fallentias habeat præsens Regula? Resp. Eam universaliter fallere in iis, in quibus ulterior denuntiatio, seu insinuatio rei aliàs jam notæ non ideò fit, ut alter, cui fit, acquirat rei majorem vel certam notitiam: sed ideò, quia ulterior certioratio, seu denuntiatio ex dispositione Juris requiritur ad substantiam & valorem actûs, uti cum Dyno *hic n.* 4. communiter advertunt Doctores *arg. l. Denuntiasse.* 17. *ff. de Adult.* & clarè patebit adducendo ad propositum exempla Juris: Sic enim

9 *Primò* sufficientem notitiam rei jam habens reus absens, ut contumax declarari, & contra eum quà talem præcedi non potest, nisi prævià trinâ, vel unâ, tribus æquivalente peremptoria citatione in jus fuerit vocatus; quia sic in Jure expressè disponitur *l. Ad peremptorium.* 68. *cum seqq. ff. de Judiciis.* & *l. Contumacia.* 53. *ff. de Re judicata.* ibi: *Contumax est, qui tribus edictis propositis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, litteris evocatus præsentiam sui facere contemnit*: Et ampliùs diximus *Lib. II. Tit.* 14. *de Dolo & Contumacia.*

10 *Secundò*, ut quis etiam scelerum suorum benè conscius privilegio clericali legitimè exuatur, trina monitio prævia de Jure necessaria est, textu claro *c. Contingit.* 45. *de Sentent. Excomm.* junctâ *Clement.* 1. *de Vita & honest. Cleric.*

11 *Tertiò* pariter requiritur prævia trina monitio, ut quis per Judicem Ecclesiasticum excommunicatione majori feriatur. *c. Constitutionem.* 10. *de Sentent. Excom. in* 6. ibi: *Judices sive monitionibus tribus utantur, sive unâ pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla.* & ampliùs habetur *Lib. V. Tit.* 39. *de Sentent. Excom.*

12 *Quartò*, quamvis testes præsentes audiant voluntatem testatoris, & omnia circa testamentum ritè peragi videant: tamen pro valore testamenti non sufficiunt, nisi testes ut actu adsint, fuerint rogati. *l. Hæredes.* 21. §. 2. *ff. qui Testamenta facere possunt.* ibi: *Testes rogati adesse debent.* cum concord. & jam dictum est *Lib. III. Tit.* 26. *de Testam. n.* 21.

13 *Quintò*, Etsi Judex causam inter aliquos controversam per se optimè compertam habeat: tamen in ea judicialiter procedere non potest, nisi à partibus imploratus, & judicialiter informatus fuerit, non ut notitiam acquirat, quam jam habet, sed ut judicii & processûs forma servetur. *l. Dies.* 4. §. *Hoc autem* 8. *ff. de Damno infecto.* ibi: *Hoc autem judicium certam conditionem habet, si postulatum est: cæterum qui non postulavit, experiri non potest. Postulare autem propriè hoc dicimus pro tribunali petere, & non alibi.* junctâ *authent. C. quomodo & quando judic.*

Sextò Venditor, moræ benè conscius non tenetur emptori de evictione, nisi ab emptore fuerit laudatus, sive de lite, ut causam defendat, priùs admonitus. *l. Emptor.* 18. & *l. Empti.* 21. *C. de Evict.* 14

Septimò Clerici concubinarii, vel aliàs suspectam mulierem in propria domo, vel extra illam frequentantes, quantumvis scelerum suorum conscii, fructibus beneficii, ex parte vel ex toto, aut ipso beneficiô privari non possunt, nisi certæ præcedant monitiones juxta præscriptum Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 14. *de Reform.* cujus textus huc denuo relatu omnino dignus est, ibi: *Quàm turpe, ac Clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ sordibus immundoque concubinatu versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione, summoque Clericalis militiæ dedecore, testatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ revocentur; populusque hinc eos magis discat revereri, quò illos vitâ honestiores cognoverit: prohibet Sancta Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extrà detinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis à sacris Canonibus vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Quòd si à Superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertiâ parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitriô Episcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem, cum eadem vel aliâ fœmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantùm fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur: & si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuò priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed, si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat aut suspendat: supradictorumque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu, & figura judicii, & sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici verò beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, & contumaciæ perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœnâ, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros Canones,* 15

17 Quod si verò ex legata vel donata specie duo tantùm individua adsint, v. g. duo tantùm equi, vel boves, vel fundi, vel servi, unus melior, alter deterior, in salvo manet Regula, *In obscuris minimum est sequendum*: indéque non nisi ad deterius dandum obligatio inducitur. Dynus *hic nu.* 8. *&* 9. *arg. l. cùm servus.* 39. §. 6. *ff. de Legat. I.* & *l. si ita relictum* 43. §. *fin ff. de Legat. II.*

18 Porrò plures Doctores cum Dyno *hic n.* 7. asserunt, Regulam non tantùm in speciebus, sed etiam in generibus fallere; Notandum tamen eos loqui de genere & specie non in philosophico, sed in Juridico sensu acceptis; in quo ultimo sensu etiam individua & alia singularia vocantur species: econtra veræ species philosophicæ habentes sub se plura individua, uti homo, leo, asinus &c. apud Juristas vocantur genus, prout magis dicetur infrà explicando Regulam 34. *Generi per speciem derogatur.* Dynus *l. c.* cum aliis *arg. l. Ita stipulatus.* 115. *ff. de V. O.*

Cæterùm Fallit Regula *secundò* in casu, quo homicidium à pluribus committitur, & nescitur: sed obscurum manet, quis eorum vulnus lethale inflixerit: tunc enim non minimum de puniendo uno vel nullo, sed maximum, videlicet ut omnes tanquam homicidæ puniantur, eligendum statuitur. *l. Item Mela.* 11. §. 2. *ff. ad l. Aquil.* Et meritò; cùm enim omnes in actu homicidii deprehensi culpabiles existant, omnes jure merito pœnæ subjacent, ne cum gravi damno reipublicæ delicta maneant impunita contra *l. Ita vulneratus.* 51. §. 2. *ff. ad Leg. Aquil.* ibi: *cùm neque impunita maleficia esse oporteat.* Dynus *hic. num.* 19. 19

REGULA XXXI.

Eum, qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Certus quis dicatur? tribus modis certus fieri potest.*
3 *Quid sit certiorari?*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
Natura & Jura nil faciunt frustra. Ibid.
5 *Declaratur Regula exemplis Juris. & duob. seqq.*
Venditor servitutem fundi insinuare non tenetur, quam emptor jam scit. Ibid.
Nec vitium mancipii, vel alterius jam notum. Ibid.
6 *Nemo tenetur alium de claris Juribus certiorem reddere.*
Dies interpellat pro homine. Ibid.
7 *Iter ad Curiam Romanam in causa litigiosa arripere æquivalet Appellationi.*
8 *Fallit Regula, quando ulterior certioratio requiritur ad substantiam actûs:*
9 *Uti ad declarandum contumacem:*
10 *Et ad privationem privilegii Clericalis:*
11 *Nec non ad ferendam Excommunicationem majorem.*
12 *Testes in Testamento non valent, nisi sint rogati.*
13 *Judex non nisi imploratus, & judicialiter informatus in causâ procedere potest.*
14 *Venditor non tenetur ad evictionem, nisi fuerit ab emptore laudatus.*
15 *Clerici concubinarii ut pœnas incurrant, priùs debent moneri: & quomodo?*
Concilii Tridentini textus ad propositum. Ibid.
16 *De pœnis Clericorum lascivè viventium remissivè.*
17 *Quòd ulterior certificatio sit de substantia actûs, non præsumitur, sed probari debet: benè verò præsumitur ignorantia, nisi scientia probetur.*

1 HÆc Regula juxta Glossam *hic* desumitur ex *l.* 1. *ff. de Actionibus empti & venditi.* uti habetur: *quia non videtur esse celatus, qui scit, nec certiorari debuit, qui non ignoravit.*

2 Quæritur I. Quomodo Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. *Certus* per Regulam præsentem intelligitur ille, qui non qualemcumque, sed indubitatam notitiam, seu scientiam rei, vel negotii alicujus habet; quæ notitia vel certitudo triplici modò haberi potest: vel *physicè*, ac naturaliter per quinque sensus, visum præsertim & auditum, ut si quis Instrumentum authenticum rem continens ipsemet vidit & legit, vel quid aliud in quæstione versari propriis oculis cognovit, vel auribus audivit, v. g. promulgationem legis præsens auribus percepit: vel *moraliter*, quæ notitia provenit ex motivis adeò vehementibus, ut nullus prudens dubitandi relinquatur locus: cujusmodi certitudo ex relatione virorum omni exceptione majorum, fidéque dignorum habetur: vel *ex dispositione legis naturalis*, quæ cunctis nota esse debet, vel humanæ claræ ac certæ ritéque promulgatæ, Tacin. *hic n.* 1. Peck. *n.* 1. cum aliis. *arg. l. Magnam.* 12. *C. de contrah. & committend. stipul.*

Per *certiorari* intelligit Regula particularem aliquam judicialem, vel aliam denuntiationem, insinuationem, aut notificationem, vultque dicere, quòd, qui aliquò ex præfatis modis de re quadam certus est, seu sufficientem notitiam jam habet, vel saltem habere deberet, ei ulteriorem aliquam insinuationem, vel denuntiationem facere ad hoc, ut notitiam acquirat, non sit necesse. Hinc 3

Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *De Jure non est necessarium, ut alicui, qui sufficientem notitiam vel scientiam de re, vel negotio aliquo jam habet, vel saltem habere deberet, pro acquirenda ejusdem rei, vel negotii notitia, adhuc ulterior aliqua fiat denuntiatio, insinuatio, vel notificatio.* Rationem dat Vivianus *hic*: quia denuntiatio alicui regulariter ideò fit, ut notitiam acquirat de re aliqua *l. Item veniunt.* 20. §. 11. *ff. de Hæred. petit.* Ergo si is sufficientem notitiam jam habet, frustranea & superflua est ulterior notificatio talis rei: sicut autem natura, sic etiam leges & Jura nil frustra, aut superfluum faciunt vel exigunt. *can.* 1. *dist.* 19. cum concord. 4

Declaratur Regula & sensus illius exemplis Juris: Sic enim, licèt vendens fundum; vel domum aliquam servitute affectam, teneatur emptorem de servitute certiorem reddere; cùm id omittens teneatur actione empti ad interesse emptoris: tamen hujusmodi servitutem insinuare non obligatur, si emptor priùs jam scit fundum servituti esse subjectum textu claro *l.* 1. §. 1. *ff. de Action. empti.* ibi: *Venditor si, cùm sciret deberi servitutem, celavit, non evadet exempto actionem; si modò eam rem emptor ignoravit; quia* uti §. *fin. ibidem* additur, *non videtur esse celatus, qui scit, neque certiorari debuit, qui non ignoravit.* Sic etiam licèt quis mancipium vel aliam rem, v. g. equum vitiosum, scabiosum vendens debeat emptorem certiorem reddere de moribus & vitiis mancipii, vel morbo aut gravi defectu equi; cùm aliàs teneatur actione redhibitionis, vel quantò minoris: tamen hos defectus emptori notifica- 5

ficare non debet, quando is horum priùs jam sufficienter conscius est. *l.* 1. *ff. de Ædilit. Edict.*

6 Sic universaliter nemo tenetur adversarium suum de claro Jure aut lege certiorem reddere, quia hanc quemvis scire præsumitur, cùm scire debeat, indeque ignorantia hujusmodi juris ipsum non excuset juxta Regulam 13. *Jur. in* 6. *Ignorantia facti, non Juris excusat*: & dicta ibidem. Prout etiam necesse non est, aliquem monere, vel certiorem reddere de die solutionis, ubi is in contractu est appositus; quia debitor in tali casu præsumitur jam certus, cùm dies ipsa interpellet pro homine *l. Magnam.* 12. *C. de contrahend. stipulat.* cum concord.

7 Sic ulteriùs in specie arripiens in causa litigiosa iter ad Curiam Romanam sciente Prælato inferiori Judice, non tenetur illi communicare iter aggressum, minùs attentati insinuare appellationem, vel eum de hac certiorem reddere, quia ipsemet Prælatus scivit, vel scire debuit, iter ad curiam Romanam arreptum habere vim appellationis *arg. c. Si duobus.* 7. *& c. Meminimus* 9. *de Appellat.* ac stante hujusmodi appellatione excommunicationem non subsistere. *c. Ad præsentiam.* 16 *de Appellat.* cum concord. Hinc in sensu Regulæ n. 3 posito notanter additum: *si de re notitiam jam habet, vel saltem habere deberet*; cùm scire & scire debere pro eodem sumantur per dicta in *Regulam* 13. *Jur. in* 6.

8 Quæritur II. An, & quas Fallentias habeat præsens Regula? Resp. Eam universaliter fallere in iis, in quibus ulterior denuntiatio, seu insinuatio rei aliàs jam notæ non ideò fit, ut alter, cui fit, acquirat rei majorem vel certam notitiam: sed ideò, quia ulterior certioratio, seu denuntiatio ex dispositione Juris requiritur ad substantiam & valorem actûs, uti cum Dyno *hic n.* 4. communiter advertunt Doctores *arg. l. Denuntiasse.* 17. *ff. de Adult.* & clarè patebit adducendo ad propositum exempla Juris: Sic enim

9 *Primò* sufficientem notitiam rei jam habens reus absens, ut contumax declarari, & contra eum quà talem procedi non potest, nisi prævià trinâ, vel unâ, tribus æquivalente peremptoria citatione in jus fuerit vocatus; quia sic in Jure expressè disponitur *l. Ad peremptorium.* 68. *cum seqq. ff. de Judiciis. & l. Contumacia.* 53. *ff. de Re judicata.* ibi: *Contumax est, qui tribus edictis propositis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, litteris evocatus præsentiam sui facere contemnit*: Et ampliùs diximus *Lib. II. Tit.* 14 *de Dolo & Contumacia.*

10 *Secundò*, ut quis etiam scelerum suorum benè conscius privilegio clericali legitimè exuatur, trina monitio prævia de Jure necessaria est, textu claro *c. Contingit.* 45. *de Sentent. Excomm.* junctâ *Clement.* 1. *de Vita & honest. Cleric.*

11 *Tertiò* pariter requiritur prævia trina monitio, ut quis per Judicem Ecclesiasticum excommunicatione majori feriatur. *c. Constitutionem.* 10 *de Sentent. Excom. in* 6. ibi: *Judices sive monitionibus tribus utantur, sive unâ pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla.* & ampliùs habetur *Lib. V. Tit.* 39. *de Sentent. Excom.*

12 *Quartò*, quamvis testes præsentes audiant voluntatem testatoris, & omnia circa testamentum ritè peragi videant: tamen pro valore testamenti non sufficiunt, nisi testes ut actu adsint, fuerint rogati. *l. Hæredes.* 21. §. 2. *ff. qui Testamenta facere possunt.* ibi: *Testes rogati adesse debent.* cum concord. & jam dictum est *Lib. III. Tit.* 26. *de Testam. n.* 21.

13 *Quintò*, Etsi Judex causam inter aliquos controversam per se optimè compertam habeat: tamen in ea judicialiter procedere non potest, nisi à partibus imploratos, & judicialiter informatus fuerit, non ut notitiam acquirat, quam jam habet, sed ut judicii & processûs forma servetur. *l. Dies.* 4. §. *Hoc autem* 8. *ff. de Damno infecto* ibi: *Hoc autem judicium certam conditionem habet, si postulatum est: cæterum qui non postulavit, experiri non potest. Postulare autem propriè hoc dicimus pro tribunali petere, & non alibi.* junctâ *authent. C. quomodo & quando judic.*

Sextò Venditor, moræ benè conscius non tenetur emptori de evictione, nisi ab emptore fuerit laudatus, sive de lite, ut causam defendat, priùs admonitus. *l. Emptor.* 18. *& l. Empti.* 21. *C. de Evict.* 14

Septimò Clerici concubinarii, vel aliàs suspectam mulierem in propria domo, vel extra illam frequentantes, quantumvis scelerum suorum conscii, fructibus beneficii, ex parte vel ex toto, aut ipso beneficiô privari non possunt, nisi certæ præcedant monitiones juxta præscriptum Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 14. *de Reform.* cujus textus hic denuo relatu omnino dignus est, ibi: *Quàm turpe, ac Clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ sordibus immundoque concubinatu versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione, summoque Clericalis militiæ dedecore, testatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ revocentur; populusque hinc eos magis discat revereri, quò illos vitâ honestiores cognoverit: prohibet Sancta Synodus quibuscunque Clericis ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extrà detinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis à sacris Canonibus vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Quòd si à Superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitriô Episcopi applicentur. Sin verò in delicto eodem, cum eadem vel alia fœmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantùm fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur: & si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuò priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed, si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat aut suspendat; supradictorumque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu, & figura judicii, & sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici verò beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, & contumaciæ perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœnâ, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros Canones,* 15

puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi: & si perseverent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.

16 Portò quibus pœnis aliàs subjaceant Clerici incastè viventes, vide *Lib. III. Tit. 2. de cohabit. Cleric. & mulier. §. 2 per totum.*

17 Cæterùm benè advertit Dynus *hìc n. 5.* quòd in dubio, utrùm ulterior monitio vel certificatio aliàs jam certificati sit de forma & substanti actûs, ea non, sed contra præsumatur, nisi aliter probetur; cùm denuntiationes ordinariè ideo tantùm fieri soleant, ut incertus certificetur. *l. Item veniunt. 20. §. Petitam 11. ff. de Hæredit. petit.* junctâ *l Aut qui aliter. 5. §. Etsi forte. 2. ff. quod vi aut clam.* Licèt cæteroquin etiam ad propositum quòd quis scientiam & notitiam de re aliqua jam habeat, consequenter ulteriùs certificari non debeat, non præsumatur, in iis, quæ sunt facti alieni, nisi probetur. Strein *hìc n. 1.* cum aliis juxta *Reg. 47. Jur. in 6. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.*

REGULA XXXII.

Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Est expresse negativa, & tacitè affirmativa.*
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
Favorabiliores sunt partes Rei, quàm Actoris. *Ibid.*
4 *Regula declaratur exemplis Juris: & quinque seqq.*
10 *Plura licent reo, quæ actori non licent: enumerantur, & trib. seqq.*
11 *Reus non tenetur actori edere sua instrumenta, benè tamen contrà.*
12 *Reus admittitur ad Juramentum suppletorium & purgatorium; sed non contrà.*
13 *Reus potest excipere contra actorem excommunicatum; non contra.*
14 *Fallit Regula primò: quia Actor potest extraordinarium Judicem petere; non item reus.*
15 *Secundò; quia potest ex pluribus ordinariis Judicibus unum pro libitu eligere; non item reus.*
16 *Tertiò; quia actor reum de crimine accusare; non verò reus, nisi purgatus, illum reaccusare potest.*
Defensio non relatione criminum, sed innocentiâ fieri debet. Ibid.
17 *Actor suum libellum explicare potest, non Reus.*
18 *Actor probatò furtò Rei admittitur ad juramentum de amissa quantitate: non item Reus ad juramentum purgatorium.*

1 REgula hæc desumitur ex *l. Non debet. 41. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Non debet Actori licere, quod Reo non permittitur.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam quidem expresse esse negativam, tacitè tamen etiam affirmativam, sicque partim affirmativam, partim negativam, consequenter sic intelligendam: quod Reo non licet, nec Actori licitum est: item, quod Actori licet, etiam Reo licitum existit. Idque non ideò, quia correlativi sunt, ac propterea, ob æqualitatem servandam, quod uni licet, etiam alteri licitum esse debet, uti post Gloss. *in Clement. Sæpe. V. Voluerit, de Verb. Signif.* vult Barb. *In Axiomat. Jur. axiom. 10. n. 7. & seqq.* Cùm id Regula minimè asserat, sed præcisè insinuare intendat, Actorem non esse melioris conditionis, quàm Reum, consequenter, quod illi licet, etiam huic licitum esse debere, ac quod illicitum huic etiam illicitum fore illi; Non verò: quod licet Reo, etiam Actori licere: aut quod Actori non licet, nec Reo esse licitum; cùm causa rei favorabilior sit, quàm Actoris juxta *Reg. 125. ff. de R. J. & Reg. 11. de Reg. Jur. in 6.* Hinc

3 Resp. II. Verus, ac genuinus sensus Regulæ hic est: *Quidquid in judicio ad promovendam, & assequendam suam intentionem Actori permittitur, à fortiori etiam Reo ad se defendendum, suamque exceptionem fundandam permittendum erit: Et quidquid in præfato sensu Reo non licet, multò minùs Actori licebit.* Ratio manifesta desumitur ex utraque Regula Juris Canonici & Civilis; hæc siquidem numerò 125. *ff. de R. J.* sic sonat: *Favorabiliores rei potius, quàm actores habentur.* Canonica verò numerò 11 sic: *Cùm sunt partium Jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori*: Idque ob rationes suprà in hanc Regulam 11. jam allegatas.

Declaratur & firmatur Regula, ejusque sensus variis exemplis ex Jure desumptis: sic enim loquendo de sensu affirmativo, si Actori petenti concediatur dilatio propter testes, etiam Reo concedi debet. Dynus *hìc n. 1.* Taccin *n. 4. arg l. Petendæ C. de Tempor. in integr. restitut.* cum concord. 4

Loquendo de sensu negativo: quia post cognitas testium depositiones ulterior productio testium non est licita Reo, *Novell 90. cap. 4. §. Illud tamen.* multò magis illicita erit Actori, ob rationem *n. 3.* allegatam, Strein. *hìc n. 1.* 5

Item: quia post litem contestatam non ampliùs licet Reo revocare Procuratorem. *l. Post litem. 17. & l. quæ omnia. 25. ff. de Procurat.* multò minùs id licebit Actori. Dynus *hìc n. 2.* 6

Item: quia Reus coram Judice delegato conventus cum clausula commissioni inserta: *ac remoti à appellatione procedat*: non potest appellare, à fortiori prohibita appellatio erit Actori *c. fin. de mutuis petit.* si hic coram eodem Judice reconveniatur. Gloss. *in Clement. Sæpe de Verb. Signif.* Decius *in Regulam. 41. ff. de Reg. Jur.* 7

Ulteriùs: quia Reus pro suo Procuratore non potest constituere militem: *l. Neque fœmina. 54 ff de Procurat.* Nec Actor id poterit. 8

Rursus, si Actor in causa civili impetrat, ut Reos personaliter compareat, personaliter quoque comparere debet Actor. Gloss. *in c. 2. de Mutuis petit.* Decius *loc. cit. n. 2.* Baldus & alii. 9

Imò non tantùm illicita Actori sunt ea, quæ Reo non licent, sed insuper multa Reo permittuntur à Jure, quæ Actori non conceduntur: sic enim præterea, quæ ad Regulam 11. diximus, *primò* Reo conceduntur de Jure recusationes, ac etiam deliberatoriæ dilationes, non item Actori. *Authent. offeratur. C. de litis contest.* Et illi plures quàm huic permittuntur dilationes probatoriæ. *l. fin. ff. de Feriis.* 10

Secundò; Reus non tenetur sua instrumenta edere Actori ad fundandam suam intentionem *l. qui accusare. C. de Edendo.* licèt actor subinde sua instrumenta edere debeat reo ad probandam suam Exceptionem. 11

Tertiò; quando Actor non plenè probat, in Civilibus, Reo potiùs, quàm Actori defertur Juramentum suppletorium. *c. & §. fin. de Jurejurando.* & amplìùs diximus *Lib. II. Tit. 24. cod. à n. 191.* In Criminalibus verò Reus non convictus, sed graviter suspectus & gravatus admittitur ad Juramentum purgatorium *c. 1. & 2. de Purgat. canon.* cum Concord. cùm tamen in iisdem criminalibus Actor in vim probationis iurare nunquam permittatur. 12

Quartò Potest Reus contra Actorem excommunicatum excipere, non sic contra Reum ut talem Actor. *c. Intelleximus. 7. de Judiciis.* ubi Summarium sic habet: *Excommunicatus, in judicio nisi tanquam reus stare non potest.* Quæ & similia Reo, non item Actori sunt licita; quia juxta duplicem Regulam *n. 3.* citatam favorabiliores sunt partes Rei, quàm Actoris. 13

Quæritur II. An, & quas Fallentias Regula XXXII. patiatur, ita ut Actori liceat, quod Reo licitum non exiſtit? Resp. Eam fallere in sequentibus; & quidem *primò* potest Actor petere, & per Rescriptum Principis extraordinarium Judicem impetrare, atque ad illum trahere Reum *l. Si quando. 2. C. de Dilat.* quod tamen vicissim Reo minimè permittitur. *Novell. 69. cap. 1.* Dynus *hìc.* 14

Secundò, quando Actor plures habet Judices ordinarios, potest unum pro libitu suo eligere. *l. Cùm Clericis. 25. pr. C. de Episcop. & Cleric.* junctâ *l. fin. C. ubi in rem actio.* Et tamen id non licet Reo, utpote qui nullum ordinarium judicem recusare, sed coram eo per Actorem conventus comparere tenetur. *l. Nemo. 4. C. de Jurisdict. omn. Judic.* 15

Tertiò Potest Actor Reum de crimine accusare coram competente Judice: & tamen Reus nisi priùs purgatus Actorem coram eodem judice reaccusare non valet. *l. Neganda. 19. C. qui accusare non poss.* quia non relatione criminum, sed innocentiâ suâ se purgare debet Reus, claro textu, *l. Si quis. 5. pr. ff. de public. Judiciis.* ibi: *Si reus factus est, purgare se debet, nec antè potest accusare, quàm fuerit exculsatus. Constitutionibus enim observatur, ut non relatione criminum, sed innocentiâ Reus purgetur.* 16

Quartò, Sante obscuritate libelli sensum ejus declarare Actori, non item Reo licet *l. Inter. 83. §. 1. ff. de Verb. oblig.* sic suadente æquitate, hoc ipso, quòd Actori intentio & sensus proprii libelli meliùs perspectus censeatur, quàm Reo. 17

Quintò, quando Actor res sibi à Reo ablatas debite probavit, admittitur ad Juramentum de asserenda earum quantitate *c. fin. de His, quæ vi metúsve causâ.* ubi tamen in tali casu ad Juramentum purgatorium nullò modò admittitur Reus, quia facta contra illum probatio furti vel rapinæ eundem suspectum jam & odiosum reddit. 18

Sextò Permissum est Actori etiam die feriato nuntiationem novi operis facere: non tamen licet Reo hujusmodi feriato die remissionem nuntiationis petere. *l. 1. §. 4. ff. de Novi oper. Nuntiat.* Et meritò; quia in nuntiationis mora longè majus periculum est, quàm in dilatione remissionis, prout ex rei natura paret. 19

REGULA XXXIII.

Mutare quis consilium non potest in alterius præjudicium.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Est intelligenda, quando alteri jus jam quæsitum.*
3 *Mutare consilium, quando nemini præjudicat, laudabile & prudentis est: Eidem & opinioni suæ tenaciter inhærere, si circumstantiæ & æquitas aliud exigunt, pertinacia & superbia est. Ibidem.*
4 *Latens Patronus cumulando potest mutare, & præsentare alium.*
5 *Procurator, re adhuc integra, mutari potest.*
6 *Ponitur verus sensus Regulæ*
7 *De Fallentiis Regulæ remissivè.*
8 *Filius repudians hæreditatem paternam potest mutare, & eam adhuc adire.*

1 HUic Regulæ concordat 75. *Regula. ff. de R. J.* ex qua etiam desumpta censetur: *Nemo potest mutare suum consilium in alterius injuriam.* Consonat *Regula 21. Jur. in 6.* supra jam declarata: *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam esse intelligendam de illis duntaxat casibus, seu tunc solummodo locum habere, quando ex alicujus consilio, consensu, contractu, aut quocunque actu liberè & consultò facto, alteri jus jam est quæsitum, consequenter hic ex mutatione, variatione, aut revocatione pateretur detrimentum, injuriam, ac præjudicium, uti cum Glossa, Barbosa & Dyno *hìc* communiter tradunt Doctores per argumentum à contrario desumptum; nam hoc ipso quòd dicat Regula: Non licet mutare consilium *in alterius præjudicium*: benè cum Glossa infertur; ergo à contrario, ubi præjudicium & detrimentum alterius abest, mutare licet.

Imò quando mutatio consilii nemini præjudicat, nec aliàs à Jure communi prohibita existit, subinde non tantùm licita, sed etiam laudabilis est, ut si mutentur circumstantiæ, aut novæ superveniant, aut jam existentes priùs minùs consideratæ, aut per genuinam informationem primùm sufficienter cognitæ, atque consilii mutationem exigere visæ fuerint: tunc enim prudentis & sapientis est mutare consilium. *arg. l. Nonnunquam. 8 ff. de Collationa bonorum.* Ubi econtra in hujusmodi circumstantiis consilio, opinioni, resolutioni suæ tenaciter inhærere evidens signum est pertinaciæ, & occultæ superbiæ, quæ pro conservanda reputatione, aut æstimatione, ne pe quis inconstans, levis, aut ignarus, vel minùs doctus & expertus appareat, mutare & revocare erubescit, effectu prorsus contrario ordinariè subsequente: cùm ita tenaciter sensui suo inhærens non vir constans, prudens & doctus, sed pertinax, imprudens, simulque occultè superbus, aut certè ex proprio interesse, passione, affectu vel respectu privato procedens plerumque reputetur, & non verò etiam propriam conscientiam multùm gravet, præsertim quando satis apparet, quòd, nisi mutetur vel revocetur consilium, opinio, votum, resolutio & bonum commune, aut tertius patiatur; dum econtra exigentibus circumstantiis consilium sumi mutare aut revocare, non inconstans, levis aut ignorans, sed vir prudens, veritatis & æquitatis amans, indifferens, Deum timens, humilis ac tractabilis, simulque doctus habeatur, æstimetur, & diligatur. Præsertim cùm etiam prudentissimi, doctissimi, pijssimi supremi Legislatores, Pontifices, Cæsares ac Principes pro exigentia circumstantiarum leges, ordinationes, Resolutiones, consilia & mutare & revocare non erubescant, uti patet ex satis pulchro,

& ad propositum benè serviente claro textu *c. fin. de Sent. Excom. in* 6. ibi: *Alma Mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & consultè, quæ suadente subjectorum qualitate postmodum consultiùs & rationabiliùs revocat, in meliusve commutat.* ac Imperatoris *Novell.* 22. *in Præfat.* §. *Non enim erubescimus.* ibi: *Non enim erubescimus, si quid horum, quæ ipsi priùs diximus, adinveniamus, hoc sancire, & competentem prioribus correctionem imponere, nec ab aliis expectare corrigi legem.* quibus consonat illud Luciani: *Melius est è medio cursu recurrere, quàm malè currere.*

4 Firmatur hæc doctrina etiam Juris exemplis: Sic enim si laicus Patronus aliquem etiam idoneum ad beneficium præsentavit, potest ante institutionem ipsius adhuc alium præsentare. *c. Cùm autem.* 24. *de Jure Patron.* quia priori jus necdum fuit quæsitum, consequenter mutando consilium eidem non fit injuria.

5 Sic pariter Procurator ad negotia deputatus, re adhuc integra revocari potest. *l. Si Mandatum.* 15. *ff. Mandati.* Sicut etiam ad litem prosequendam constitutus, ante litis contestationem liberè revocari valet. *c. Quamvis.* 2. *de Procurat. in* 6. Idque ex ratione jam allegata; quia videlicet nulli eorum fit injuria; cùm nullius eorum adhuc jus quæsitum habuerit. Ex qua eadem ratione, quia Reo non fit injuria, etiam Actor libellum jam oblatum ante litis contestationem licitè revocare, mutare & emendare potest. *l. Edita.* 3. *C. de Edendo.* Hinc

6 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Nemo potest suum consilium, consensum, resolutionem &c. mutare aut revocare postquam alteri jus jam fuit quæsitum, & consequenter ex mutatione, seu revocatione consilii &c. injuria vel detrimentum eidem inferretur.* Ratio Regulæ est; quia Jure naturali & divino cautum est *alterum non lædere, suum cuique tribuere. Instit. de Jur. & Just.* §. 3. quod idem *l. Justitia.* 10. §. 1. *ff. eod.* repetitur, & universali Juris Regulâ 74. *ff. de R. J.* firmatur: *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.*

Exempla Juris Regulam & sensum illius magis
7 declarantia & firmantia affert Glossa *hic*, Dynus & Barbos. quorum aliqua jam adduximus supra declarando *Regulam* 21. *à numer.* 8. quibus accedunt, quòd post publicatum scrutinium Vocales variare, & mutare non ampliùs valeant, cùm electo jus jam sit quæsitum. *c. Publicato.* 58. *de Elect.* Ex qua eadem ratione Patronus Ecclesiasticus mutare, & Superiori alium præsentare ampliùs nequit, postquam eidem jam aliquem præsentavit. *c. Cùm autem.* 24. §. *Verùm si. de Jure Patron.* ubi etiam habetur, quòd idem facere nequeat Patronus laicus, excludendo priùs præsentatum, benè verò cumulando; seu addendo priori alterum juxta dicta suprà, & ampliùs declarata. *Lib. III. Tit.* 38. §. 3.

Quæritur II. Num, & quas Fallentias patiatur 8
Regula XXXIII? Resp. à Glossa & aliis plures afferri, ex quibus etiam sunt illæ, quas jam retulimus contra *Regulam* 21. *à num.* 15. quibus addunt casum, quo filius paternam repudiavit hæreditatem, utpote qui re adhuc integra intra certum tempus, si mavult consilium mutare, & hæreditatem adire, adhuc potest. *l. fin. C. de Repud. hæredit.* junctâ *l. Si quis suus hæres.* 8. *ff. de Jure deliber. & l. Nonnunquam.* 8. *ff. de Collat. bon.* quamvis frater cohæres exinde videatur pati detrimentum. Verùm si strictè loqui volumus, vix censentur propriæ Fallentiæ, cùm Regulæ adversari non videantur: hoc ipso enim quòd juxta dicta *num.* 2. Regula tunc tantùm procedat, quando alteri jus jam est quæsitum, & consequenter per mutationem ei infertur injuria; in præallegatis autem casibus jus firmum alicui nedum sit quæsitum, legibus mutationem adhuc concedentibus, mutans consilium in memoratis casibus injuriam alicui inferre non censetur; quia, *qui utitur Jure suo, nulli facit injuriam*, per vulgaria: prout etiam Glossa in *l. Nemo potest. ff. de Reg. Jur.* ad casum, quô filius priùs repudiat, & postea adit hæreditatem paternam benè observat illis verbis: *Non dicitur, fratrem habere damnum, quod per injuriam denotatur: sed magis dicitur non lucrari, inter quæ est differentia. arg. l. fin.* §. 2. *C. de Codicill.* ibi: *Non enim par, eademque ratio videtur, amittere debita, & lucra non capere.*

REGULA XXXIV.

Generi per speciem derogatur.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Quid sit genus in sensu Juridico?*
3 *Et quid in sensu Philosophico?*
4 *Quid sit species apud Juristas?*
5 *Minùs commune respectu magis communis dicitur etiam species.*
6 *Nil refert, an species præcedat, vel sequatur.*
8 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
9 *Procedit Regula in plurimis;*
10 *Uti in legibus & statutis:*
11 *In Rescriptis:*
12 *In Contractibus:*
13 *In Legatis:*
14 *In Testamentis,*
15 *Et in omni materia, in qua dispositio specialis contraria est generali.*
16 *Solvitur objectio.*
17 *Fallit Regula primò in Privilegiis: & seq.*
19 *Non item in Rescriptis: & quare?*
20 *Fallit secundò, quando genus tantum in una specie verificatur.*
21 *Vel species tantùm pro declaratione adducitur.*
22 *Fallit tertiò, & quidem universaliter, quando per genus jam fuit quæsitum Jus tertio.*

SUmitur hæc Regula ex *l. In toto Jure.* 80. *ff. de* 1
Reg. Jur. ibi: *In toto Jure generi per speciem derogatur, & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.* Consonat *c.* 1. *de Rescript. & c. Studuisti. de Offic. Leg.* ibi: *Speciale mandatum derogat generali.* Item *c. Pastoralis.* 14 *de Rescriptis.* ibi: *Cùm generali per speciale procul dubio derogetur.* cum concord.

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligen- 2
da? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem Notandum, *le Genus & species* aliter à Juristis, aliter à philosophis accipi. *Genus* quippe apud Juristas dicitur omne illud, quod plura sub se continet, sive dein hæc plura sint veræ species philosophicæ, uti homo, equus, leo, aquila &c. sive alia communia, v.g. vestis, lex, pecunia &c. sive mera individua & singularia, sive aliæ partes aut res sub tali genere comprehensæ: ut proin in sensu Juridico etiam homo, equus, leo, & aliæ species philosophicæ dicantur *genus*, quia plura sub se continent individua, Petrum v.g. Paulum, hunc vel illum equum, leonem in individuo. Idem *genus* sunt Vestimentum, fundus, frumentum, Rescriptum, mandatum, privilegium, contractus, actio &c. quia cuncta hæc continent sub se plura, uti *vestimentum* togam, pallium, indusium &c. *frumentum* triticum, hordeum, avenam &c. *fundus* agrum, hortum, vineam &c. *lex* divinam, naturalem &c. *rescriptum*, *mandatum* hoc vel illud in individuo &c.

3 Apud Philosophos verò ea, quæ non nisi plura individua sub se habent, ut est homo, equus &c. non genus, sed *species* dicuntur: *genus* verò, quod plures hujusmodi species, in sensu philosophico acceptas comprehendit, ut animal avis &c.

4 Species in sensu Juristarum dicitur omne illud, quod sub genere Juridico, plura continente, comprehenditur, etiamsi sit individuum, seu singulare, prout respectu hominis est Petrus, Paulus, respectu equi hic vel ille in individuo ac singulari. Taccin. hic. *n.* 1. Strein. *n.* 1. Vocabularium Juris *v. Species.* Joan. Berchan. *in l. Rectè dicimus. ff. de Verb. Signif.* & alii. *arg. l. Mutuum.* 2. *pr. ff. de Rebus credit.* cum Concord.

5 Porro apud Juristas nomine speciei venit etiam illud, quod quidem tanquam commune plura continet, tamen minùs commune est, & pauciora sub se comprehendit, quàm aliud, cum quo hic & nunc concurrit, ut proin idem sub diverso respectu & concurrentia in sensu Juridico nunc genus, nunc species vocari valeat, uti si duæ sint leges generales, una magis generalis quàm altera: tunc enim minùs generalis lex, respectu magis generalis, speciei nomen habet, quamvis & hæc minùs generalis respectu legis singularis, seu particularis etiam *genus* vocetur. Decius *in l. In omni Jure ff. de Reg. Jur.* Dyn. *hic n.* 8. *arg. cit. l. In omni Jure* 80 *ff. de R. J. l. Sanctio legum. ff. de pœnis.* ibi: *Sanctio legum, quæ novissimè certam pœnam irrogat iis, qui legis præceptis non obtemperaverint, ad eas species pertinere non videtur, quibus ipsa lege pœna specialiter addita est, nec ambigitur in cætero omni Jure, speciem generi derogare.*

6 Cæterùm nil refert, an species præcedat, vel sequatur legem, seu priùs vel postea sit constituta; semper enim procedit Regula, quòd generi per speciem derogetur. Dynus *hic. nu.* 4. Pech. *nu.* 7. Taccin. *n.* 4. Strein. *n.* 2. Decius *l. cit. n.* 7. quia ratio Regulæ in utroque casu locum habet, uti patebit ex *n.* 8.

7 Quid autem sit & dicatur species in sensu philosophico, dictum est supra *n.* 3. His notatis,

8 Resp. ad quæstionem *n.* 2. positam; Regula præsens intelligenda est de genere & specie in sensu Juridico hactenus declarato, ita ut verus illius sensus hic sit: *Quando duæ dispositiones sibi contrariæ concurrunt, illa, quæ specialis est, derogat generali, & si ambæ communes sunt, una tamen magis, altera minùs talis, ea, quæ minùs communis, sicque species est, derogat magis communi tanquam generi in eo tamen duntaxat, in quo specialis generali, vel minùs communis magis tali contraria existit.* Per Regulas & Jura hactenus allegata. Ratio & finis Regulæ est teste Barb. hic *nu.* 2. & communi Doctorum, ut discordantes species & genus, quantùm possibile est, concordentur, juxta universale Juris præscriptum *c. Cùm expediat.* 29. *de Elect. in* 6. ibi: *Cùm expediat concordare Jura Juribus, & eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari;* quod melius fieri non potest, quàm si, uti vult Regula, species generi in eo duntaxat, ubi eidem contraria est, derogare dicatur, salvâ in reliquo utriusque naturâ & proprietate verborum: eo ferè modô, quô fit in Regula aliqua universali, & ejus Exceptione seu Fallentia, ubi Regula stat loco generis, & Exceptio seu Fallentia loco speciei, quæ derogat Regulæ in eo, ubi est eidem contraria.

Regula sic explicata procedit in plurimis, prout
post Dynum *hic num.* 1. *& seqq.* observat Gloss. *hic.* 9
Decius *lo. cit.* & alii; uti in Legibus & statutis: in Rescriptis & mandatis: in Legatis & ultimis voluntatibus: In Contractibus: & universaliter in cunctis dispositionibus, ubi specialis contraria existit generali, prout patebit adducendo de singulis exempla ex Jure desumptis: Et quidem

Loquendo de Legibus & statutis, certum est, 10
quòd lex specialis deroget generali in eo, in quo sibi sunt contrariæ, uti constat ex innumeris locis utriusque Juris, v. g. in Titulo *de Testament.* ubi leges speciales de Testamentis militum, ad pias causas derogant dispositioni generali de Testamentis in eo, quo sibi sunt contrariæ; eò semper salvô, ut in reliquis maneat concordia. *arg. cit. c. Cùm expediat. de Elect. in* 6. *& l. Præcipimus.* 32. §. *fin. C. de Appellat.* ibi: *Quidquid hac lege non videtur expressum, veterum legum, constitutionumque Regulis omne relictum intelligant.*

De Rescriptis & mandatis Principum exemplum 11
habes in *c. Studuisti.* 2. *de Officio Legati.* ubi specialis alicujus causæ delegatio per speciale Rescriptum Episcopo facta derogare dicitur delegationi universali ad omnes causas, quam vi literarum Apostolicarum habet legatus à latere, in tota, quam commissam possidet, provincia: additâ illâ ratione: *cùm mandatum speciale deroget generali.*

De Contractibus exemplum est in casu, quô in 12
venditione prædii contrahentes expressè renuntiant beneficio. *l. Rem majoris.* 2. *C. de Rescind. Vendit.* vi cujus generaliter conceditur contractûs rescissio, vel resarcitio pretii, si pars in eo ultra dimidium læditur: nulli enim contrahentium ad rescissionem contractûs, quasi ex dolo initi, venire conceditur, quia per clausulam specialem generali derogatur *l. Doli.* 119 *ff. de V. O.* ibi: *Doli clausula, quæ stipulationibus subjicitur, non pertinet ad eas partes stipulationis, de quibus nominatim cavetur.* Dynus hic. *n.* 14. ubi adhuc aliud exemplum ponit.

De Legatis exemplum ponit Dynus *hic n.* 2. Tac- 13
cin. *n.* 6. Si penus in genere legatur Petro, & vinum in specie legatur Paulo, huic debetur vinum, etiamsi vinum sub penu contineatur. *l. Qui penum.* 3. *ff. de penu legat.* Idem est, si Titio vestimenta in genere, & Sophiæ vestis muliebris legatur; hæc enim etsi sub vestimentis in genere contineatur, Sophiæ debetur textu expresso *l.* 1. *pr. ff. de Auro & Argento Legato*: ibi: *Si alii vestimenta, alii vestis muliebris separatim legata sit, detractis muliebribus, & ei adsignatis, cui specialiter legata sunt, reliquum alteri debetur.* Ratio utriusque est, quia *generi per speciem derogatur.* Advertit tamen benè Dyn. *hic n.* 2. præfata & similia exempla intelligenda esse, si genus uni, & species alteri legetur: non verò si sicuti priùs genus & postea eidem una vel plures species sub eodem genere contentæ legarentur; quia tunc generi per speciem non derogaretur, sed per hanc illud magis firmaretur, & legatarius utrumque obtineret.

De Testamentis post Dynum *n.* 12. ponit Strein 14
n. 1. exemplum: Si quis patrem & filium in certa bonorum parte in solidum instituit, ac invicem substituit; in reliquis verò partibus alios hæredes instituit & tandem universaliter sic concludit: Omnes invicem substituo; in hoc casu sub hac ultima generali substitutione pater & filius, utpote certa parte specialiter invicem substituti, non continentur. *l. Cohæredi* 41. §. 5. *ff. de Vulg. & pupill. substit.*

Tandem procedit in omni materia, ubi specia-
lis dispositio contraria est generali. Barbos. de 15

Axiom.

ALERE FLAMMAM
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Axiom. Jurit. axiomate 107. num. 3. Surdus *Consil. 56. num. 1.* Navarr. *Consil. 7. num. 5.* Tusch. *Lit. C. Concl. 16. num. 5.* quia eadem ubique est ratio Regulæ.

16 Objicitur contra Regulam *c. Ex parte. 12. de Offic. delegati*, ubi priori generali Rescripto de conferendo Clerico N. Archidiaconatu in Ecclesia vacaturo, non derogatur per rescriptum speciale de conferenda Clerico R. Archidiaconatûs dignitate. Resp. cum Glossa, tum *cit. c. Ex parte*, tum *hîc*, quòd ibidem, si benè intueamur, utrumque Rescriptum fuerit speciale; quia primum rescriptum tantùm ad unum beneficium restringebatur, fuitque postificatum in specie, id est, in prima dignitate proximè vacaturâ.

17 Quæritur II. An, & quas Fallentias Regula XXXIV. habeat? Resp. Eam inter alia fallere in sequentibus, & quidem *primò* Fallit in Privilegiis; quia Rescriptum speciale non præjudicat privilegio generali, nisi de eo fiat expressa mentio, & derogatio. Barb. *loc. cit. n.* 26. Tusch. *lat. cit. concl.* 36. *n.* 99. Gloss. *in c. Cùm Ordinem. de Rescript. & hîc, arg. cit. c. Cùm ordinem*, ibi: *Non facta mentione Cisterciensis Ordinis*

18 Quin imò etiam secundum privilegium speciale non tollit primum generale eidem contrarium, nisi expressa derogationis fiat mentio, ut ait Gloss. *hîc*, v. *Generi. arg. c Veniens. 19. de Præscript.* ibi: *Non obstante privilegio Clementis Papæ, per quod privilegio suorum Antecessorum non extitit derogatum; cùm de ipsis nullam fecerit mentionem.*

19 Nec dicas: Rescriptum speciale derogat generali, sive sit secundum, sive primum: ergo idem dicendum de Privilegio. Resp. enim. Gloss. *hîc*, negando paritatem; quia *arg. c. Veniens. 19. de Præscript. &c. Decet. 6. de R. g. Jur. in 6. cum Concordant.* semper valet primum privilegium, sive sit generale, sive speciale, si in secundo non tollatur expressè. Ratio disparitatis est inter Rescriptum & Privilegium; quia per primum privilegium etiam generale consequitur quis jus plenum: per primum rescriptum generale verò non acquiritur plena jurisdictio in speciebus. *arg. c. Postoral. de Rescript.* nam ante expressionem personarum vel rerum delegatus solùm in habitu habet jurisdictionem, non verò in actu, & ideò facilius tollitur prius rescriptum, quàm privilegium.

Fallit *secundò*, quando genus in una tantùm 20
specie verificatur, & consequenter hæc illi contraria non est, quia tunc genus pro specie reputatur. Barb. *loc. cit. num. fin.* Menochius *Consil. 71. num. 23. arg. l. 2. ff. de Liber. & posthum.* cum Concord.

Fallit *tertiò*, si species præcisè adducitur pro ma- 21
jori declaratione generis. Barb. *loc. cit. n.* 22. Tusch. *lit. C. Consil. 36. nu.* 103. Ratio est, quia ibi nulla intervenit contrarietas.

Fallit *quartò*, & quidem universaliter, quando 22
per genus jam est quæsitum jus tertio; tunc enim generi per speciem non derogatur, nisi exprimatur. *arg. c. Super eo. 15. de Offic. delegat. & l. qui Generaliter. 2. ff. qui potior. in pign. hab.* Gloss. *in cit. c. Super eo. v. Intent.* & Marginalis. *hîc.* Exemplum esto: quando quis alicui creditori generaliter omnia sua bona per hypothecam obligavit, & postea cuidam prædium aliquod in specie hypothecavit, non derogat hypotheca specialis hypothecæ generali; quia prior creditor per generalem hypothecam in cuncta bona debitoris jus eatenus acquisivit, quatenus non amplùs in potestate debitoris est, aliquod ex suis bonis alteri per specialem hypothecam obligare, & per hanc superveniente creditoris prioris jus lædere, ejusque conditionem facere deteriorem, textu claro *l. Si generaliter. 6. C. qui potior in pign. hab.* ibi: *Si generaliter bona sint obligata, & postea res alii specialiter in pignus detur &c. non oportet te ab eo, qui postea credidit, inquietari.* junctâ *l. qui generaliter. 2. ff.* eodubi idem repetitur.

REGULA XXXV.

Plus semper in se continet, quod est minus.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta? & quibus concordet?*
2 *Plus & minus diversimodè sumitur.*
3 *Ad præsens sumitur plus in quantitate & toto. Ponitur verus sensus Regulæ. ibid.*
4 *Præcedit Regula in pluribus, ut ultimis voluntatibus:*
5 *In Contractibus:*
6 *In Sententiis & Judiciis.*
7 *Solvitur objectio. & duobus seqq.*
9 *Regula affirmativè, non item negativè procedit.*
10 *Solvitur objectio de contractibus.*
11 *Solutio universalis.*
12 *Fallit Regula in volente non totam, sed partem hæreditatis adire.*
Nemo partim testatus, partim intestatus decedere potest. Ibid.
13 *In generali mandato non includuntur ea, quæ speciale mandatum exigunt.*

1 REgula hæc deprompta habetur ex *l. In eo, quod plus. 110. ff. de Reg. Jur.* ibi: *In eo, quod plus sit, semper inest minus. & l. In toto. 113. ff. eod.* ibi: *In toto & pars continetur*; cui sub modo concordant etiam plures aliæ Juris Regulæ, veluti *53. de R. J. in 6.* ibi. *Cui licet, quod est plus, licet utrique, quodest minus.* Item *80. eod. Tit. In toto partem non est dubium contineri.* Item Regula *Non debet. 25. ff. de Reg. Jur. Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.*

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? 2
& quis verus illius sensus sit? Ante responsionem Notandum cum Barb. *hîc. num.* 1. & aliis, *plus & minus* aliquid diversimodè esse & dici: & quidem primò in quantitate, uti in summa, sive numero, in mensura & in pondere respectu minoris. *l. 1. §. Si stipulanti. ff. de Verb. Oblig.* in quo sensu decem *plus* est respectu quinque: quinque mensuræ *plus* sunt, quàm duæ &c. Secundò in toto, quod *plus* est, quàm quævis pars totius, quæ in eo continetur, & semper contineri censetur juxta cit. Regul. *In toto. ff. de Reg. Jur.* in quo sensu domus *plus* est, quàm quævis pars illius v. g. tectum, paries, *l. Eum qui ædes. 23 ff. de Usucap.* Tertiò in genere respectu specierum. *l. Si Chorus. 79 pr. ff. de Legat. III.* Quartò in qualitate; in quo sensu *plus* est obligatio pura, vel in diem, quàm conditionalis. *§. Fidejussores. 5. v. Item. Instit. de fidejuss.* Hôc notatô,

Resp. I. Regula intelligenda est duntaxat de le 3
plus & minus prout sumuntur in primo & secundo sensu de *plus* in quantitate & toto integraliter cum aliis loc. cit. benè observat Barbos. Quare verus Regulæ sensus hic est: *Quantitas major sive in summa &*

numero, sive in pondere aut mensura semper in se continet quantitatem minorem: Et quodlibet totum semper in se continet sui partem. Ratio Regulæ non tam ex Jure, quàm ex lumine naturali evidenter patet, uti benè observant Barb. *loc cit. num.* 2. Tusch. *Tom. 7. Lit. S. Conclus.* 885. & alii. Absque omni enim probatione per se naturaliter constat, plus esse centum, quàm viginti, indeque centum, quod plus est, continere in se viginti, quod minus est: consequenter eum, qui habet, promisit, debet, aut dedit centum, habere, promisisse, debere, & dedisse etiam viginti. Sic pariter lumine naturali evidens est, totum aliquod plus & majus quid esse, quàm hujusmodi totius partem, ac proprerea in toto contineri totius partem: cùm impossibile sit, subsistere, vel considerari posse totum sine sui parte, prout benè discurrunt D. Ctores citati.

4 Verùm quantumvis lumine naturali nota sit Regula & sensus illius, tamen pro applicatione practica declarari & firmatur etiam variis Juris exemplis à Glossa hîc, Dyno, Peckio, Strenio, Taccino adductis, quia ferè ubique, uti in ultimis voluntatibus, sententiis, probationibus, & in quavis dispositione locum habet, uti patet ex verbo *semper*, & notant Doctores citati; sic enim in ultimis voluntatibus si quis intendens alicui legare quartam bonorum partem ex errore scripsit dimidiam, debetur ei quarta pars, quæ dimidiæ, quæ plus importat, inest. *l. Qui quartam. 15. ff. de Legat. I. & l. Quoties. 9 §. Sed si majorem. ff. de Hæred. instit.* Item si quis absolutus est à petitione universali v. g. petitione hæreditatis, gaudet etiam exceptione rei judicatæ contra petentem partes aliquas hæreditatis in singulari. *l. Julianus. 3 l. Si quis cùm totum. 7 ff. de Except. rei judicatæ.* quia *plus*, id est, tota hæreditas continet in se minus, quod est quævis pars hæreditatis in specie.

5 Sic in contractibus, si alicui stipulanti viginti, aliter decem respondeat, non nisi de decem erit obligatio textu claro *l. 1. §. 4 ff. de Verb. Oblig.* ibi: *Si stipulanti mihi decem, tu viginti respondeas, non esse contractam obligationem nisi in decem constat. Contrario quoque si, me viginti interrogante, tu decem respondeas, obligatio nisi in decem non erit contracta; licèt enim oportet congruere summam, attamen manifestissimum est, viginti & decem inesse.*

6 Sic etiam in sententiis & judiciis, si quis absolutus est à petitione totius, absolutus etiam videtur à quavis parte fundi, ita ut petenti aliquam partem fundi obstet exceptio rei judicatæ. *cit l. Si quis cùm totum. 7 ff. de Except. rei judicat.* quia pars tanquam quid minus continetur in toto, utpote quod plus est. Sic si inter tres conjudices vel arbitros unus in quindecim, alius in decem, tertius in quinque condemnat, sententia in quinque valebit; quia in hac parte omnes conveniunt, cùm hæc tanquam *minus* quid tam in decem, quàm quindecim, utpote *plus*, verè contineantur. *l. Diem proferre. 27. §. Si plures. ff. de Recept. qui Arbitr.* junctâ *c. 1. de Arbitr. in 6* ibi: *Licèt cùm unus in quindecim, alius in decem, tertius verò in quinque pronuntiant, illius, qui dixit de Summa minore (cùm in illa omnes concordes existant) Sententia efficax censeatur.*

7 Objicitur autem contra Regulam *1. c. Cùi de non. 27. de Præbend. in 6.* ubi apertè habetur, quòd ei, cui mandatur integra, vel certi valoris præbenda conferri, non possit vi talis mandati Apostolici aliqua dimidia, vel minoris valoris præbenda conferri, etiamsi talis esset contentus. Resp. cum Gloss. *hîc*, id provenire ex forma mandati, quæ exactè est observanda *c. Cùm dilectio. 22. de Rescript.* Unde in cit. *c. Cui de non.* in fine hæc Constitutionis Papæ rationem subdit: *Non enim hujusmodi mandata (quorum fines diligenter observari oportet) debent ad casus alios, quàm expressos extendi.* Accedit, quòd Regula procedat duntaxat, quando minus se habet ut pars illius, quod est majus: non verò quando plus & minus sunt species separatæ, uti sunt duæ præbendæ, quarum una major, altera minoris valoris est. Dyn. *hîc ad finem*, Pirh. *de Præbend. n. 267.*

Objicitur 2. Quando alicui conceditur merum 8
imperium ut latroncinatori, non censetur et concessa cognitio de re pecuniaria *l. Solemus. 6 i. §. Latrunculator. ff. de Jud.* Ergo *plus*, quod hîc est merum imperium, non continet in se *minus*, quod hîc est cognitio causarum civilium. Resp. ut supra cum Dyno *hîc n. 6.* merum imperium, & cognitionem causarum Civilium non se habere ut totum & partem, sed ut duas species distinctas & separatas *arg. l. Imperium. 3. ff. de Jurisdict.* quarum una, etsi major, non continet minorem, sed potiùs dum una nominatim conceditur, altera denegata videtur *arg. cit. l. Solemus. 6 i.* junctâ *l. Si ita quis. 21. & l. Cùm ex filio. 39 ff. de vulgar. & pupill. substit.*

Objicitur 3. Ex eo quòd Caio viginti non debe- 9
am, haud sequitur, quin eidem sim obligatus ad decem tanquam minus & partem contentam in viginti. Resp. Glossa marginalis *hîc*: Regula procedit, si *affirmativè* proferatur, v. g. debeo Caio viginti: ergo eidem & decem debeo: non item si negativè proferatur, v. g. non debeo Caio viginti, ergo non decem. Et quamvis Covarr. *Lib. I Var. Resolut.* ex pluribus Doctoribus responsum Glossæ controversum reddat, tamen addit: etiamsi, an verum sit, majori summæ affirmativæ inesse minorem, controvertant DD. tamen manifestum est, majori summæ negativè prolatæ minorem nec naturaliter nec civiliter inesse.

Objicitur 4 §. *Præterea. 5. Instit. de Inutil. stipulat.* 10
ubi si stipulanti decem, promittantur quinque, inutilis reputatur stipulatio, ibi: *Præterea inutilis est stipulatio & c. si quis decem aureos à te dari stipulatur, tu quinque promittas.* cùm tamen quinque in decem contineantur. Resp. stipulationem inutilem solùm esse quoad illa ex decem quinque, ad quæ promissor stipulanti non consensit, quoad sola quinque autem, quæ promisit, validam esse stipulationem *l. 1. §. 4. ff. de Verb. Oblig.* per textum *n. 5.* citatum.

Plures alias objectiones adducit & solvit Glossa 11
in l. Non debet cit. ff. de R. J. & universaliter facilè solvuntur, respondendo, quòd exempla ex Jure in contrarium adducta non loquantur de *plus & minus* in quantitate, vel toto, circa quod hæc Regula solùm est intelligenda per dicta *nu. 3.* vel aliter rem se habere ex defectu consensûs: vel adesse specialem Juris dispositionem, consequenter in ea fallere Regulam.

Quæritur II An, & quibus Fallentiis subjace- 12
at Regula XXXV? Resp. Eam fallere 1. in casu quo hæres institutus non totam hæreditatem, sed unam vel alteram duntaxat partem illius adire, ac reliquam repudiare vult; quamvis partes hæreditatis in hac tota contineantur, tamen Jura expresè volunt, ut vel totam adeat, vel penitus abstineat, ne quis partim testatus, partim intestatus decedere videatur. *arg. l. Sed etsi. 2 ff. de Acquirend. hæred. & l. Jus nostrum. 7 ff. de R. J.* ibi: *Jus nostrum non patitur, eundem in paganis & testato & intestato decessisse eorumque rerum naturaliter inter se pugna est, testatus, & intestatus.*

Fallit 2. In Procuratore generaliter constituto, 13
utpote qui non admittitur ad ea, in quibus speciale exigitur mandatum. *c. Qui ad agendum. de Procurat. in 6.* licet cæteroquin *semper generalibus specialia insint, l. Semper. 147 ff. de Reg. Jur.*

REGULA XXXVI.

Pro Possessore habetur, qui dolo desiit possidere.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde proveniat? & quibus concordet?*
2 *Finis Regulæ est, avertere fraudem possidentium, & damnum eorum, ad quos res pertinet.*
3 *Intelligenda est tam de bonâ, quàm malæ fidei possessoribus.*
4 *Ac etiam de illis, qui possidere dolò omiserunt.*
5 *Item de illis, qui non quidem dolò, latâ, tamen culpâ possessionem deseruerunt, vel acquirere omiserunt.*
Lata culpa & dolus æquiparantur in civilibus. Ibid.
6 *Dolò, vel latâ culpâ possessionem deserens, vel illam non acquirens habetur possessor in sui damnum, non in sui commodum.*
7 *Dolus non præsumitur, sed probari debet: Probatur ex conjecturis.*
8 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
Fraus & dolus nullius patrocinari debet. *Ibid.*
9 *Fictione Juris censentur aliqua esse, quæ non sunt.*
10 *Contra illum, qui actu adhuc malè possidet, datur actio directa: & contra illum, qui fictione Juris pro tali habetur, actio utilis.*
In quo differant hæ actiones? Ibid.

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. qui dolo. 131. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Qui dolò desierit possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessore dolus est.* Cui concordat *l. Paremesse. 150. ff. eod. Paremesse conditionem oportet ejus qui quid possidet, vel habeat, atque ejus cujus dolò factum est, quò minus possideret, vel haberet.* Item *l. Ait ea. 157. ff. eod.* ibi: *Semper, qui dolo fecit, quò minus haberet pro eo est habendus, quasi haberet.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? quid principaliter intendat? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam intelligendam de dolo malo, & principalem finem illius esse, avertere fraudes possidentium, ne dolosè possessionem deferentes illis injustè noceant, ac præjudicent; qui rem à possessore justè vindicare intendunt. Quando enim malæ fidei possessor rem ad alium pertinere, hunc que eam vindicare velle advertens, illam abimit, destruit, vendit, distrahit, ne ut possessor conveniri valeat, & eam subinde etiam cum fructibus restituere teneatur, dolosè possessionem deserit, alter injustè præjudicat, & nocet, indeque fictione Juris adhuc pro possessore habetur, quatenus ut talis vindicatione rei conveniri possit, *l. Sin autem 27. §. 3. ff. de Rei Vind.* actione saltem utili, qua petitur ut rem suam, quam alter possidere dolo desiit, & distraxit, ab eis, ad quos pervenit, distrahens iterùm recuperet, & restituat, vel si id præstare nequeat, (quia forsan res jam est destructa) ad æstimationem condemnetur. *l. Qui restituere 68. §. Si verò ff. de Rei Vind.* Hinc benè ad propositum Glossa: *Si tu possedisti rem meam, eamque tu dolò possidere desisti, eò quòd data operâ ad me fraudandum possidere desisti, adhuc possum agere contra te rei vindicatione, ac si rem etiamnum possideres. Et quidem si possis rem recuperare à novo possessore, teneberis recuperare, mihique restituere: si minùs. Judex te condemnabit ad æstimationem pretii.* Ratio est; quia *fraus & dolus nemini debet patrocinari c. Sedes. 15. & c. Ex tenore. 16. de Rescript.*

3 Rursus intelligenda est Regula non tantùm de malæ, sed etiam bonæ fidei possessore; nam & hic in sui damnum pro possessore fictione Juris habetur, & pro restitutione convenitur (intellige, nisi jam legitimè præscripserit) si rem possidere dolo desiit. Strein *hic n. 2.* & alii textu claro *l. Si bonæ. 12. ff. de Noxal. act.* ibi: *Si bonæ fidei possessor eum servum, quem bona fide possidebat, dimiserit one agi cum eo noxali ex causa possit, obligari eum actione, quæ datur adversus eos qui servum in possessione habent, aut dolò fecerint, quò minus haberent, quia per hoc adhuc possidere videtur.*

4 Ulteriùs intelligenda est non tantùm de illo qui vere possedit, & dolo desiit possidere, sed etiam de illo, cujus dolò factum est, ne possideret rem, & ne ut possessor conveniatur, ac condemnetur. *l. Is qui. 69. ff. de Rei vindic.* ibi: *Is, qui dolò fecit, quò minus possideret, hoc quoque nomine punitur. & l. Ad ea. 157. ff. de Reg. Jur.* cujus textum *n. 1.* allegavimus, junctâ *l. Sed etsi. 20. §. 8. de Hæredit. petit.* ibi: *Nam & is, qui dolò fecit, quò minùs possideret, ut possessor condemnatur: accipies, sive dolo desierit possidere, sive dolo possessionem noluerit admittere.* Sabaudi si in eo est causa, ut ex contractu, vel quasi contractu teneatur possidere.

5 Procedit etiam Regula in casu, quo quis non quidem ex vero dolo, attamen ex culpa lata rem possidere desiit, aut possessionem illius non acquisiuit; nam & talis rei vindicatione, actione utili conveniri potest ad æstimationem rei culpabiliter amissæ, vel non possessæ. Strein *hic n. 2.* Bart. *in l. un. C. de Alienat. jud. mut. caus.* & alii. *l. Si culpa. 63. ff. de Rei vind.* ibi: *Si culpâ non fraude quis possessionem amiserit pari debet æstimationem.* Ratio est; quia (excepta causa criminali *l. In lege 7. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.*) culpa lata, utpote dolo proxima, ordinariè æquiparatur dolo. *arg. l. Mulier. 22. §. 3. ff. ad S. C. Trebell.*

6 Porrò, quòd hactenus dictum est, eum, qui dolò, aut latâ culpâ possidere desiit, aut acquirere omisit, fictione Juris haberi pro possessore, intelligi debet *in sui damnum*, quatenus videlicet ut possessor possit rei vindicatione, directa vel utili actione conveniri ad restitutionem, vel æstimationem rei; non verò *in sui commodum*, ut tanquam possessor habitus aliquod commodum inde sentiat. Dyn. *hic. n. 3.* Vivian. *hic.* Strein *hic. n. 3. arg. l. qui dolò ff. de R. I.* ne aliàs ex iniquitate commodum reportet con *c. Ex parte. de Rescriptis.*

7 Cæterùm notandum, quòd dolus non præsumatur, sed probari debeat. Dyn. *loc. cit. n. 4. l. Quoties. 18. §. Qui dolo ff. de Probat.* Probatur autem dolus ex conjecturis *c. 2. de Renunt. in 6.* ut si, postquam jam oblatus fuit libellus, vel quòd illum offerre vellet, insinuatum est possessori, & multò magis si hic jam fuit citatus, aut jam esset contestaturus litem, & tamen desineret possidere, præsumitur dolo desinere. Dyn. *hic. n. 4. arg. l. Quidam. 9. §. Nihil ff. de Edendo.* cum Concordant.

8 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Qui rem aliquam bonâ vel malâ fide possidet, eamque ab alio vindicandam advertens, illam dolo malo, aut latâ culpâ possidere desiit, eandem consumendo v. g. vel destruendo, aut in alium distrahendo, pro possessore adhuc in sui damnum habetur, & ut talis pro restitutione vel æstimatione rei conveniri potest.* Per Jura hactenus allegata. & Ratio est, quia aliàs ex fraude & dolo quis commodum, & innocens incommodum ac præjudicium frequenter reportaret contra *c. Sedes. 15. & c. ex tenore. 16. de Rescript.* ibi: *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent.* junctâ *l. Ne ex dolo. 12. ff. de dolo malo.*

Exigua

9 Exigua est contra Regulam objectio, quod possessio sit facti. *l. 1. pr. & §. 1. ff. de Ad jud. possess.* ergo *non possessio*, quæ per desertionem evenit, eidem comparari, & *possessor* ac *non possessor* æquiparari, pro eodemque haberi nequeunt. Resp. enim, non possunt æquiparari naturaliter, conceditur, fictione Juris in ordine ad obtinendos eosdem effectus, negatur. Hinc in Jure plura similia habentur exempla: sic enim *l. 2. C. de Impub. substit.* Pater & filius quoad effectus pro una, eademque persona sumuntur. Et *c. Ad audientiam. 15. de Cleric. non resid.* Clericus in servitiis Episcopi absens habetur pro præsenti, ac Monachus vivus pro mortuo reputatur. *can. Placuit. 8. can. 16. q. 1.* ibi: *quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. cum Concord.*

10 Non majoris difficultatis est illa, quâ dicitur: Contra possessorem rei actualem datur actio directa, contra eum verò, qui dolo desiit possidere, actio tantùm utilis: ergo æquiparari nequeunt. Resp. quòd etsi actio directa & utilis origine differant, in effectu tamen ad propositum obtineant idem, solâ illâ cum differentiâ, quod actione directâ semper res ipsa apud possessorem adhuc existens vindicetur: actione verò utili id obtineatur, ut res in alterum distracta per dolosè distrahentem iterum recuperetur, & restituatur in natura, aut si fieri amplius nequit, re forsan jam destructâ, æstimatio illius præstetur. *l. qui restituere. 68. §. Si verò. ff. de Rei vind.*

REGULA XXXVII.

Utile per inutile non debet vitiari.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 Utile & Inutile *quid?*
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
4 *Valdè latè procedit.*
5 *Declaratur exemplis. & quatuor seqq.*
Donatio ultra 500. Solidos valet saltem quoad 500. Ibid.
6 *Plura promittenti, quàm fuit petitum valet quoad minus.*
7 *Superflua verba non vitiant scripturam.*
8 *Electio valida non vitiatur per invalidam confirmationem.*
9 *Quid de Alienatione bonorum Ecclesiasticorum?*
10 *In Testamento utile per inutile non vitiatur.*
11 *Ponuntur Fallentiæ usque ad n. 20.*
Fallit universaliter in iis, quæ separari non possunt.
12 *Probatur ab exemplis.*
13 *Testimonium & Instrumentum in uno falsum, censetur ex toto falsum.*
Fides est inseparabilis. Ibid.
14 *Error grammaticalis, vel in stylo curiæ vitiat totum Rescriptum.*
15 *Fallit Regula etiam in sententiis,*
16 *Et Actibus legitimis.*
17 *Electio Ecclesiastica non admittit laicum.*
18 *Ex duobus delegatis, unò recusato, alter procedere non potest.*
19 *Locatio Rerum Ecclesiasticarum ultra triennium ex integro est invalida.*
20 *Regula est:* Utile per inutile vitiatur in separabilibus.

1 REgula isthæc desumitur ex *l. 1. §. 5. ff. de Verb. Obl.* ibi: *Duæ sunt quodammodo stipulationes, una utilis, alia inutilis, neque vitiatur utilis per hanc inutilem.* cum Concordant. à Glossa citata *hic.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Quamvis nonnulli cum Baldo *lib. 2. Feud. Tit. 34. v. Similiter.* putent per *utile* hic intelligi omne & solum illud, quod spectatâ naturâ rei, de qua agitur, & dispositione legis validum, aptumque est ad validè agendum; per *Inutile* econtra illud, quod ad validè agendum invalidum, & ineptum est; tamen, quia multa sunt, quæ ad valorem actûs non requiruntur, & tamen *utilia* censentur: & multa, quæ valorem non destruunt, & nihilo minus *inutilia* reputantur, uti; patebit ex infrà allegandis exemplis: ideò, loquendo in latiori sensu per *Utile* hìc omne illud intelligi volunt alii, quod vel ad valorem rei, de qua agitur, requiritur, aut ad eundem servit, vel aliàs pro eadem re, etiam abstrahendo à valore, pro meliori, firmiori, aut securiori illius esse, conducens & aptum est: Per Inutile verò illud intelligi, quidquid contra legem, vel aliàs ad naturam rei, de qua agitur, & valorem illius ineptum est. Taccin. *hic.* Strein *hic. n. 1.* Hinc

3 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Quidquid ex se, sive de Jure validum, vel aliàs ad efficiendam, firmandam, aut assecurandam rem aptum & conducens est, valorem & vim suam non amittit adjunctione, vel accessione alicujus de Jure prohibiti aut invalidi, vel aliàs inepti.* Ratio est; tum quia communis agentium & contrahentium mens ac intentio est, ut ea actuum suorum fiat interpretatio, quatenus potiùs valeant, quàm pereant, vel nullius valoris existant: consequenter si quid inutile actibus eorum admisceatur, ab eis amoveatur, vel pro non adjecto habeatur, ut in reliquis actus suum valorem retineant. *c. Abbate. 25. de Verb. Signif. & l. Quoties. 12. ff. de Reb. dub.* ibi: *Quoties in actionibus aut in exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat.* junctâ *l. Sancimus. 34. C. de Donat.* Tum quia nisi hoc observaretur, & per quodvis inutile semper vitiaretur utile, plurimi actus aliàs subsistentes, invalidi existerent non sine confusione & præjudicio humani commercii. Vivian. *hic.* Strein. *n. 1.*

4 Regula hæc latissima est, & frequentissimè in praxi observanda venit. hoc ipso, quòd ferè in omni tam Ecclesiastica & spirituali, quàm profana materia, cuncti que actibus locum habeat, si, ut persæpe fit, eis quid inutile ac superfluum, ad rem non pertinens vel ineptum admisceatur, adeò, ut teste Dyno *hic. n. 1.* hujus Regulæ invenantur innumerabilia Juris exempla, ex quibus patet, per adjectionem alicujus inutilis actûs, cæteroquin validum, non invalidari, consequenter utile per inutile non vitiari. Plurima hujusmodi exempla adducit Glossa *hic*, Dynus & alii; ex quibus nos quoque pro majori declaratione & intelligentia Regulæ aliqua hic subjungimus.

5 Sic enim *primò*: Donatio profana inter vivos 500. solidos excedens, & sine insinuatione apud Judicem facta, non vitiatur, seu invalidatur quoad summam à Jure permissam, sed quoad excessum duntaxat. textu claro *l. Sancimus. 34. C. de Donat.* ibi: *Si quid autem supra legitimam definitionem fuerit donatum, hoc, quod superfluum est, tantummodo non valere: reliquam verò quantitatem, quæ intrà legis terminos constituta est, in suo robore perdurare, quasi nullo penitus alio adjecto, sed hoc pro non scripto, vel non intellecto esse credatur.* Et infrà: *Exceptis donationibus tam imperialibus, quàm his, quæ in piissimas causas procedunt.* De hujusmodi

donatione ampliùs vide *Lib. III. Tit.* 24. §. 1. *de Donat.*

6 Secundò in Stipulationibus & contractibus, in quibus plus spondetur, quàm petitur; nam ut dicitur *l.* 1. § *si stipulanti ff. de V. O.* ibi: *Si stipulanti mihi decem, tu viginti respondeas, non esse contractam obligationem nisi in decem, constat.* & infra. § *Sed si. Si mihi Pamphilum stipulanti, tu Pamphilum & Stychum spoponderis, Stychi adjectionem pro supervacuâ habendam puto; nam si tot sunt stipulationes, quot corpora, duæ quodammodo sunt stipulationes, una utilis, alia inutilis: neque vitiatur utilis per inutilem.*

7 Tertiò, quando verba superflua, inutilia, vel inepta scripturis, contractibus, vel aliis actibus admiscentur, actum non vitiari aut annullari certum est. *l. Testamentum.* 17. *C. de Testam.* ibi: *Cùm superflua non noceant.* & *l. Verba superflua.* 37 *C. de Donat.* ubi, postquam prohibitum fuit, adhibere verba superflua, deciditur, quod si tamen quisquam *per verbositatem* superflua verba adhibuerit, actum non vitiari. junctâ *l. Non solent* 94. *ff. de Reg. Jur.* ibi: *Non solent, quæ abundant, vitiare scripturas.*

8 *Quartò*, in Electionibus: Electio enim canonicè & validè facta non invalidatur per supervenientem illius confirmationem invalidam. *c. Si Confirmationem.* 39. *de Elect. in* 6. Sic etiam, etsi inter eligentes unus excommunicatus irritum dederit votum, non irritantur vota aliorum, nec vitiatur, vel invalidatur electio per majora valida vota celebrata. *c. Cùm ex eo.* 14. ℣. *Ad hæc. de Pœnit. & Remiss.*

9 *Quintò* exemplificant aliqui in locatione bonorum immobilium Ecclesiasticorum ultra triennium; hæc enim juxta illos valida manebit quoad primum triennium, etsi invalida existat quoad tempus ulterius. Verùm juxta dicenda infra *n.* 19. contrarium sentimus.

10 *Sextò* de Testamentis Dynus *hic* ponit exemplum: si damno hæredem meum, & Regem Franciæ decem dare, tenetur hæres, licèt Regem Franciæ damnare non potuerim *l. Si duobus.* 16. *ff. de Legat.* 1. Sic etiam si Testamentum est nullum ex causa exhæredationis, vel præteritionis, in reliquis firmum manet. *Authent. fin. C. de liber. præterit.* ibi: *Ex causa exhæredationis vel præteritionis irritum est testamentum, quantùm ad institutiones: cætera namque firma permanent.* His adde exemplum de Tutoribus: quando enim ad contractum pupilli unus verus, alter falsus tutor authoritatem præbuit, contractus à pupillo initus valet, & ab inutili Tutore non vitiatur. *l.* 1. §. 3. *ff. Quod falso Tutore.*

11 Quæritur II. An, & quas Fallentias patiatur hæc Regula? Resp. Plures, & quidem *primò* ac universaliter Fallit, quando utile ab inutili separari non potest. Gloss. *hic* Dynus, Barbos. Vivianus & Doctores communiter, benè advertentes, quòd etsi Regula in sensu negativo ponatur, consequenter semper observanda sit, nisi specialis ratio, vel casus specialiter in Jure exceptus adsit, tamen in individuis ac inseparabilibus non procedat, qualia etiam sunt, quæ à natura partibus non constant, vel ad substantiam & formam actus duo aut plura, consequenter inseparabilia quoad formam, vel absentiam unius ab altero requirunt: vel ab invicem necessariò dependent: vel ex ipsa Juris dispositione, aut agentium vel contrahentium voluntate separatim valorem non habent: vel alias separari non possunt. Patebit res ad ducenda plura exempla in specie: Vivianus post Glossam ponit sequens.

12 Sic habeo servitutem ducendi ad aquam certum numerum pecorum, & majorem eorum numerum ducam, utilis concessus numerus per inutilem excessum non vitiatur, quia hic ab illo per dominum separari potest. *l.* 1. §. 18. *ff. de Aqua quotid. & æstiv.* ibi: *Si quis jus habens pecoris ad aquam appellendi plura pecora appulserit, non in omnibus pecoribus eum prohibendum, quod est verum, quia pecora separari possunt.* Si verò habeo servitutem ducendi aquam per fundum tuum, & ego aliam aquam illi immisceo, à toto potero prohiberi, quia aqua mixta inseparabilis est, textu expresso *cit. l.* 1. §. 17.

Ex priori universali Fallentia sequitur, & fallit 13 Regula *secundò* in testimonio, quod testis fert; si enim una pars illius falsa reperitur, totum hujusmodi testis testimonium corruit. Barbos. *hic. n.* 2. cum communi aliorum. *can. Pura.* 17 *cau.* 3. *q.* 9. ibi: *Totam testimonii fidem partis mendacio decolorat.* Pariter totum Instrumentum à Notario publico confectum fidem, & probandi vim amittit, si in una parte falsum deprehenditur. *arg. l.* 2. *C. de veteri Jure enucl.* & ibi Gloss. ℣. *Libri.* communiter recepta, juncto *can. Si ad scripturas.* 7. *dist.* 9. Ratio utriusque est; quia etsi partes tam testimonii, quàm instrumenti separabiles existant, tamen fides notarii & testis indivisibilis est, indéque si falsitas in una parte apparet, totius testimonii vel instrumenti labefactat fidem, illudque suspectum reddit. Concordat doctrina S. Augustini, qui ob indivisibilitatem fidei dicere non dubitavit, quòd si sacræ Scripturæ aliqua etiam officiosa duntaxat mendacia essent inserta, totius Scripturæ corrueret Authoritas. & refertur cit. *can. Si ad Scripturas. dist.* 9. Pariformiter ob indivisibilitatem S. Thomas 2. 2. *q.* 5. *art.* 3. docet, quòd uni articulo fidei non credens, in nullo retineat fidem Catholicam. Cæterùm de fide Attestationum & Instrumentorum ampliùs vide *lib.* II. *Tit.* 20 *de Testibus, & Attestat.* Item *Tit.* 22. *de fide Instrum.*

Fallit *tertiò* in Rescriptis, seu litteris Apostolicis, 14 si in eis reperitur solœcismus, seu vitium constructionis, vel phrasis à stylo curiæ aliena: quia unicus talis defectus notabilis fidem & vim probandi toti Rescripto aufert. *c. Ad audientiam.* 11. *de Rescript.* ibi: *Quibus litteris, quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere.* quia meritò præsumitur, illud à Sede Apostolica non fuisse emanatum, cùm per plures manus transeat, & omni errore carens stylo conforme semper expediatur. De quo plura habes *Lib. I. Tit.* 3. *de Rescript.* §. 9 *à n.* 212.

Fallit *quartò* in sententiis, v. g. aliqua Judicis, 15 qui debitorem certæ summæ centum florenorum, ad majorem summam, v. g. centum quinquaginta florenorum condemnat; talis enim sententia nec quoad minorem verè debitam summam valet. Barb. *hic n.* 1. Taccin *n.* 20. Pech *n.* 12. quia sententia indivisibilis est, & *non potest ex uno judicio res judicata in partem valere, & in partem non valere,* ut dicitur *l. In hoc judicio.* 27. *ff. Famil. Hercicund.*

Fallit *quintò* in Actibus legitimis, si eis conditio 16 apponitur contra *Reg.* 50. *Jur. in* 6. sic habentem: *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem,* uti magis patet per exempla, quæ pro declaranda hac Regula quinquagesima adducentur infra.

Fallit *sextò* in Electione Prælati Ecclesiastici à Cle- 17 ricis & laicis simul celebrata; etiam si major pars Clericorum unum certum pro Prælato eligat, quia de substantia Electionis Ecclesiasticæ est, ut ad eam nullus laicus concurrat. *c. Massana.* 56. *de Elect.*

Fallit *septimò* in casu duorum delegatorum, 18 quando unus ob justam suspicionis causam recusatus est; quia recusato uno, collega, qui unam cum ipso Jurisdictionem habuit, ampliùs procedere non potest. *c. Cùm super.* 23. *de Offic. delegati.* & *c. Judex.* 5. *eod. in* 6.

Fallit *octavò* in locatione rerum Ecclesiasticarum 91 ultra triennium, si locatio uno contractu irrevocabili ad longius tempus fiat: vel si repetitur quidem, ita tamen, ut vi contractûs in potestate locatoris non sit, locationem ulteriorem denegare, prout ampliùs declaratum & probatum habes *lib. III. Tit.* 18. §. 1. *de locato & conducto à n.* 23.

20 Ex quibus hactenus dictis cum Barbos. *hic.* & Glossa *hic* communiter recepta meritò subjungitur: quod sicut in separabilibus & divisibilibus Regula negativa sit, & semper procedat: *Utile per inutile non debet vitiari:* sic alia Regula affirmativa in contrarium poni valeat: *In iis, quæ inseparabilia, ac indivisibilia sunt, utile per inutile vitiatur.*

REGULA XXXVIII.

Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta.*
2 *Intelligenda est de Impugnatione in judicio.*
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
Quod quis juris in alterum statuit, eô & ipse uti debet. Ibid.
4 *Impugnans rem in judicio censetur renuntiare Juri ex illo aliàs competenti.*
5 *Qui dicit Decretales Epistolas non esse Authenticas, non potest illas pro se allegare.*
6 *Testamentum tanquàm falsum, aut inofficiosum impugnans nil percipit ex illo.*
Secus est, si illud ut minùs solemne impugnat. ib.
7 *Impugnans Instrumentum vel testem nequit illum pro se allegare.*
8 *Fallit Regula 1. quando quis ante sententiam definitivam impugnare desistit.*
Pœnitentes digni sunt veniâ. Ibid.
9 *Fallit 2. quando quis alieno nomine ex officio impugnat.*
10 *Fallit 3. quando non est eadem materia.*
11 *Et 4. respectu tertii.*

1 Desumitur Regula ex *l. Papinianus.* 8. §. 14. *ff. de Inofficioso testamento.* & *c. Cùm olim.* 19. *de Censib.*

2 Quæritur I. Qualiter hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. 1. Regulam intelligendam esse de Impugnatione in judicio, inquo sicut si quis aliquando quid approbavit, ampliùs reprobare non potest *l. Pomponius.* 6. *ff. de Negot. gest.* junctâ *Reg.* 21. *de Reg. Jur. in* 6. *Quod semel placuit, displicere ampliùs non potest.* Sic econtrario, quod semel quis reprobavit, aut impugnavit, pro suo commodo & fructu approbare, adducere, & uti ampliùs nequit. *l. Dispensatorem.* 62. *ff. de Solut.* quod juxta Taccin. *hic. n.* 1 & alios Doctores ideo statutum censetur, ut inconstantiæ in judicio evitentur, & inconstantes saltem in tantum puniantur, quatenus fructum aliquem ex ea re, quam impugnant, non percipiant, quem aliàs percepissent, si illam rem non impugnâssent.

3 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Qui Legem, Rescriptum, Instrumentum, Attestationem, Contractum, Testamentum, vel aliam quamcunque demum dispositionem in judicio semel impugnavit, eam pro se & sua utilitate allegare, sive uti, & fructum aut commodum ex illa percipere non ampliùs potest.* Rationem assignat Vivianus *hic;* quia qui in judicio aliquid impugnat, hoc ipsô illud pro injusto aut invalido, & pro tali habet, quod adversarius pro se, suaque intentione producere vel allegare, sive uti, & ex illa fructum vel commodum justè percipere non possit: quod dum impugnans facit, se ipsum in tantum jugulat, ut ex eadem re, quam impugnando pro injusta & invalida habet, ipse fructum aut commodum aliquod percipere non ampliùs valeat juxta æquissimum illud: *Quod quisque juris in alterum statuit, ipse uti debeat eo; & sapientis dicat Authoritas, patere legem quam tu ipse tuleris. c. Cùm omnes.* 6 *de Constit.* junctâ *l.* 1. *ff. quod quisque juris in alterum statuerit, &c.* ubi etiam æquitas hujus dispositionis adducitur illis verbis: *Hoc edictum summam habet æquitatem: & sine cujusquam indignatione justa. Quis enim aspernabitur idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit.*

Et procedit Regula, etiamsi aliquis ex illo, quod 4 in judicio impugnavit, fructum & commodum aliàs de Jure percipere omnino potuisset, quia, uti cum aliis bene advertit Vivianus, Juri, quod priùs in re habuit, impugnando eandem, tacitè renuntiâsse censetur, textu satis claro. *c. Olim.* 19. *de Censibus.* ibi: *Licèt enim ex forma secundæ compositionis deductiones aliquæ essent faciendæ, quia tamen compositionem idem Abbas nullatenus approbavit, sed studuit multipliciter impugnare, ex eo non debet beneficium consequi, cui renuntiâsse tacitè videbatur.* Ad id autem, cui quis semel renuntiavit, reditus de Jure non ampliùs conceditur. *l. Si quis.* 11. *C. de Reb. Credit.* ibi: *Satis enim absurdum est redire ad hoc, cui renuntiandum putavit.*

Declaratur & firmatur Regula & sensus illius va- 5 riis exemplis, & quidem imprimis de Legibus; Nam ut bene exemplificat Glossa *hic:* qui Decretales Epistolas, vel alias constitutiones, aut sanctiones Apostolicas non esse authenticas asserit, nequit eas postmodum in sui favorem allegare. *arg. can. Si Romanorum. dist.* 19. ubi ii, qui Decretalium Authoritatem temerè negare audent, à Nicolao Papa reprehenduntur illis verbis: *Cùm ipsi, ubi hæc suæ intentioni suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, & solùm tunc ad imminutionem Sedis Apostolicæ potestatis, & ad suorum augmentum privilegiorum minùs accepta esse perhibeant.* Concordat *can.* 1. *dist.* 8. & *c. quia frustra* 14. *de usur.* ibi: *Frustra legis auxilium implorat, qui committit in legem:* sive non est dignus legis auxiliô, qui facit contra legem.

Dein in Testamentis: qui enim testamentum tan- 6 quam falsum aut inofficiosum impugnat, & succumbit, ex tali sic impugnato testamento non tantùm nihil recipit, sed etiam, quod jam accepit, eidem iterum aufertur, & Fisco appropriatur. *l. Papinianus.* 8. §. 14. *ff. de Inoffic. Testam.* ibi: *Meminisse autem oportebit eum, qui testamentum inofficiosum improbè dixit, & non obtinuit, id, quod in testamento accepit, perdere, & fisco vindicari quasi indigno ablatum;* eò quòd sic impugnando testamentum, Juri, ex illo aliàs competenti tacitè renuntiâsse censeatur. *cit. c. Olim. de Censibus.* Secus foret, si quis testamentum non ut falsum vel inofficiosum, sed ut carens debitis Solemnitatibus, sicque de jure non subsistens impugnaret; talis enim legata in illo pro se facta non amitteret, prout clarè statutum habetur *cit. l. Papinianus.* §. 14 & *l. Post legatum.* 5. §. 1. *ff. de His, quæ ut indign.* junctâ *l. Si Testamentum.* 24 *ff. eod.* Rationem disparitatis affert Dyn. *hic n.* 3. & 4. quia qui Testamentum ut falsum impugnat, non solùm institutionem hæredis, sed etiam legata impugnat, consequenter hæc ex illo percipere non potest: Non sic qui illud impugnat ut minùs solemne; cum corruente testamento ob defectum solemnitatis non-

nunquam valeant adhuc legata saltem ad causas pias per dicta *Lib. III. Tit. 27. de Testam. n. 164.* item, qui testamentum tanquam inofficiosum impugnat, censetur dicere, quòd testator quasi non sanæ mentis fuerit. *l. 2 ff. de Inoffic. Testam.* ibi: *Hoc colore inofficioso testamento agitur; quasi non sanæ mentis fuerunt, qui testamenta ordinarent.* consequenter sicut ad instituendum hæredem, sic etiam ad condenda legata inhabiles fuerint. Dynus *loc. cit.*

7 Procedit ulteriùs in Instrumentis, ut qui aliquod impugnat, illud in favorem allegare non ampliùs possit *cit. c. Cùm olim. de Censib.* Idem est de impugnante testem: item de impugnante contractum tanquam invalidum.

8 Quæritur II. An & in quibus Regula XXXVIII. fallat? Resp. Eam fallere in sequentibus, & quidem *primò*, quando quis impugnationem rei usque ad sententiam definitivam non continuat, sed ante hanc ab illa voluntariè desistit. Glossa hic communiter recepta textu expresso *l. Papinianus.* §. 14. ibi: *Ei demum aufertur, quod testamento datum est, qui usque ad sententiam Judicum lite improba perseveraverit. Cæterùm si ante sententiam destitit, vel decessit, non ei aufertur, quod datum est.* juncta *l. Alia* 8. C. *de his quibus ut indig.* cùm pœnitenti, & errorem agnoscenti venia non sit neganda. *can. Quanto.* 8. *cau.* 2. *q.* 4. ibi: *quia sicut in pertinacia persistentibus severos nos esse convenit, sic iterùm humilitatis & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus.*

9 Fallit *secundò*, si quis non suo, sed alieno nomine & ex officio, sicque non plenè liberè, sed quasi necessariò impugnat, uti tutor & curator nomine pupilli vel minoris; talis enim etiam ex illo, quod impugnat, fructum pro se consequi, consequenter ex testamento v. g. sic impugnato, legata in illo sibi facta percipere valet. Gloss. *cit.* cum communi aliorum, textu claro *l. Adversus.* 38. ff. *de Inoffic. Testam.* ibi; *Tutoribus, pupilli nomine, sine periculo ejus, quod Testamento datum est, agere posse de inofficioso testamento, Divi Severus & Antoninus rescripserunt.* Concordat *l. Cùm quædam.* 26. *C. de administr. Tut. Cùm non deceat alicui officium suum esse damnosum c. Cùm non deceat.* 30. *pr. de Elect. in* 6. & *ne dispendium patiatur, qui videtur præmium meruisse. c. Pervenit.* 2. *de Fidejuss.*

Fallit *tertiò*, ubi non est eadem materia, vel Capitulum (ut Glossa ait *hic.*) quod quis impugnat cum illo, ex quo etiam post impugnationem fructum consequi nititur. Nam licèt quis sententiam ex uno capite impugnet, adhuc ex alio capite fructum percipere valet. *arg. c. Utile non debet per inutile vitiari.* 37. *de R. J. in* 6. junctô *c. Raynutius.* 16. & *c. Raynaldus.* 18. *de Testam.* ubi sententia Judicis inferioris, à qua partes ambæ, quatenus contra se fuerat, appellaverant ad Papam, ex una parte confirmatur à Papa, sicque profuit impugnanti. 10

Fallit denique *quartò*, respectu tertii, ita ut licèt quis ex eo, quod contra certum aliquem impugnavit, contra eundem fructum percipere, vel eadem re impugnata fructuosè uti non valeat; tamen eadem re impugnata, & jure exinde sibi competente contra tertium frui omnino possit. Pech. *hic n.* 5. eò quòd regulariter aliis non noceat res inter alios judicata *c. Quamvis.* 25. *de Sentent. & re judic.* cum Concordant. 11

REGULA XXXIX.

Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.

SUMMARIUM.

1 *Ponuntur Concordantiæ cum Regula.*
2 *Subsequentia ex prohibito, non item media ad illud, censentur prohibita.*
3 *Alia simpliciter tantùm: alia etiam sub nullitate prohibentur.*
Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem. Ibid.
4 *Regula implicitè duas habet partes: Ponitur verus utriusque sensus.*
Connexorum eadem est ratio. Ibid.
5 *Declaratur Regula exemplis, & seqq.*
6 *De Jure non licet in quadragesima comedere Lacticinia.*
Prohibitione concupiscentiæ prohibentur omnia mala. Ibid.
7 *Prohibita alienatione prohibetur omnis species & subsequentia.*
8 *Existente nullo matrimonio nulla etiam Jura ex eo sequentia.*
9 *Omnes contractus civiles prohibiti etiam ipso jure sunt nulli.*
10 *Fundus dotalis vendi non potest.*
11 *Ex contractu prohibito nulla est etiam translatio dominii.*
12 *Quando aliquid conceditur, conceduntur omnia, quæ spectant ad illud.*

1 CUm hac Regula concordare videntur Reg. 42. *de Reg. Jur. in* 6. ibi: *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* sicut & illud commune: connexorum eadem est ratio: sive: quod de uno connexorum statuitur, ad alia quoque connexa extendi debet. *c. Translato.* 3. *de Constitut.* junctâ Glossâ ibidem.

2 Addit Vivianus *hic* cum Regula concordare etiam illud, quod pro quasi Regula habetur *l. Oratio.* 16. ff *de Sponf. l.* junctô Summariô ibidem. *Cùm aliquid prohibetur, videtur etiam esse omne illud prohibitum, per quod pervenitur ad illud.* Verùm displicet hæc concordantia Dyno *hic n.* 1. Strein *n.* 1. ac aliis. Et meritò? quia per nostram Regulam prohibentur consequentia ex principali prohibito; per textum *l. Oratio.* aut ut prohibentur solùm media ad consequendum prohibitum, uti consideranti patet.

3 Quæritur I. Quomodo Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem Notandum, in Jure subinde aliqua tanquam minùs honesta, minùsque licita simpliciter tantùm prohiberi, non autem simul annullari, seu non prohiberi sub nullitate; de quibus verificatur illud. *c. Ad Apostolicam.* 16. *de Regular. Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem.* prout res se habet in Matrimonio v. g. utpote quod sine denuntiationibus prævis, aut certis temporibus fieri prohibetur quidem, & tamen si absque illis, & tempore prohibito celebratur, validum existit juxta dicta *lib. IV. Tit.* 3. *de Clandestin. desponf. n.* 15. Aliqua verò non tantùm simpliciter prohiberi sed etiam simul annullari, seu sub nullitate inhiberi: cujusmodi sunt Matrimonia cum impedimento dirimente contracta, quia non tantùm simpliciter, sed etiam sub nullitate prohibentur, indeque non solùm illicita, sed etiam invalida sunt, juxta dicta *Lib. IV. Tit.* 1. *de Sponf. & Matrim.* §. 9. Hôc notatô,

4 Resp. Hæc Regula non tantùm de iis, quæ simpliciter,

ter, sed etiam de illis, quæ sub nullitate prohibentur, intelligenda est: ut proin duas implicitè contineat partes, & quævis in suo, sicque ambæ sub diverso sensu intelligendæ veniant. Et quidem genuinus ac verus Regulæ sensus quoad primam partem de simpliciter tantùm prohibitis sequens est: *Quando aliquid simpliciter duntaxat tanquam minùs honestum, minùsve licitum absque nullitate prohibetur, simpliciter prohibita quoque, si quæ illicita, non item invalida censentur omnia ea, quæ ex principali prohibito propter necessariam connexionem & dependentiam ordinariè sequuntur, saltem si eadem de his, uti de illo militat ratio.* Quoad secundam verò partem verus Regulæ sensus hic est: *Quando aliquid non tantùm simpliciter ut illicitum, sed etiam sub nullitate, seu per legem annullantem prohibetur, similiter prohibita, si quæ illicita simul & invalida censentur, quæ ob necessariam connexionem & dependentiam ex principali prohibito sequuntur.* Tacein. *hic n.* 2. Ratio utriusque partis ex mutua connexione & dependentia desumitur; connexorum enim eadem est ratio: sive quod de uno connexorum statuitur, ad alia quoque connexa extenditur juxta dicta *num.* 1. *arg. c. Translato* 3. *de Constitut.* Et quia ex aliquo sequuntur, accessoria illius sunt: *Accessorium autem naturam sequi congruit principalis* juxta pariter jam citatam *Regulam* 42. *Jur. in* 6.

5 Declaratur prima Regulæ pars ampliùs, & firmatur exemplis per Glossam adductis: sic enim ex eo, quòd prohibitum sit in Quadragesima comedere carnes, prohibita etiam censentur omnia, quæ ex sementina trahunt originem carnis, lac videlicet, ova, caseus, &c. *can. Denique* 6. *dist.* 4. ibi: *Par autem est, ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementivam carnis trahunt originem, jejunemus, à lacte videlicet, caseo & ovis;* intellige, nisi alicubi legitimè præscripta habeatur consuetudo, uti in Germania, ubi vi consuetudinis lacticinia licitè comeduntur, licèt in plurimis aliis Catholicis Regnis ac Provinciis dicta prohibitio strictè observetur, indeque Regula in illis locum habeat.

6 Sic pariter, dum concupiscentia prohibetur, prohibentur omnia mala inde orionda *c. Nam.* 4. *de Constit.* ibi: *Hoc enim elegit Apostolus generale, unde omnia mala oriuntur; bona est ergo lex, quæ dum hoc prohibet, omnia prohibet.* Sic etiam dum prohibetur Mœchia, prohibitus censetur omnis illicitus concubitus *can. Meretrices.* 11. *cau.* 32. *q.* 4. ibi: *Profectò nomine Mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.*

7 Secunda pars Regulæ, quæ præter rationem & Jura allegata specialiter etiam in illo claro Juris textu n. 9. adducendo firmatur *l. Non dubium.* 5. *C. de Legibus.* declaratur etiam exemplis: sic enim quia alienatio rerum Ecclesiasticarum sine debita solemnitate non tantùm simpliciter, sed etiam sub nullitate est prohibita per dicta *Lib. III. Tit.* 13. *de Rebus Eccles. alien.* quævis etiam donatio, venditio, & similia sub nullitate censentur prohibita unà cum connexis & subsequentibus ex illis, qualia sunt traditio, dominium, Dynus *hic n.* 4. addens, Prælatum vel œconomum propterea admitti ad vindicationem rei alienatæ. *l. Jubemus.* 14. *C. de Sacros. Eccles.*

8 Sic ulteriùs, quia Matrimonium cum dirimente impedimento contrahere, lege annullante & irritante, prohibetur, ut nulla etiam censentur prohibita alias consequentia ex matrimonio, v. g. jus petendi debitum conjugale, jus percipiendi fructus dotis, jus agendi uxorio nomine &c. sicut insuper, quia sub nullitate etiam in matrimonio legitimo prohibita est venditio fundi dotalis. *l. Rem in præsenti.* §. *Et cùm Lex.* 15. *C. de Rei uxor. act.* etiam traditio & dominium, quæ aliàs ex venditione sequuntur, nulla sunt. *Dyn. hic n.* 4. *Instit. quibus modis alien. licet.*

Sic universaliter omnia ex contractibus sub nullitate prohibitis subsequentia, nulla quoque & irrita sunt. Ubi specialissimè notandum, omnes & singulos contractus civiles, qui Jure Civili simpliciter tantùm prohibentur, censeri etiam sub nullitate prohibita, etsi annullatio & irritatio contractûs expressè non addatur, textu claro, & per extensum relatu certè digno. *l. Non dubium.* 5. *C. de Legibus.* ibi: *Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus secutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente: quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quàm novellas trahi generaliter imperamus; ut legislatori, quod fieri non vult, tantùm prohibuisse sufficiat, cæteraque quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere, hoc est, ut ea, quæ lege fieri prohibentur, si facta fuerint, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licèt legislator fieri prohibuerit tantùm, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est: sed & si quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege, factum est, illud quoque cassum, atque inutile esse præcipimus.* Ex quo infertur, in contractibus civilibus nunquam verificari illud Juri canonico insertum, *c. Ad Apostolicam.* 16. *de Regular. Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem.* Quod benè notandum. 9

Nec valet objicere *l. Penult. ff. de Fund. dotal.* ubi licèt aliàs prohibita habeatur & nulla sit venditio fundi dotalis: facta tamen traditione, dominium transfertur; quod idem dicitur *l. Cùm vir prædium.* 42. *ff. de Usucap.* ergo subsecuta ex prohibito & nullo valent. Resp. enim, præsentes leges, uti legenti patet, loqui de valore dominii solutô matrimoniô, ubi fundus dotalis non ampliùs habet rationem dotis, sed ex hæreditate vel alio titulo evadit propria mariti: prout etiam res se habet in venditione rei furtivæ, si fur sit hæres domini. *cit. l. Cùm vir prædium.* ibi, *Cùm vir prædium vendidit scienti, vel ignoranti, rem dotis esse, venditio non valet: quam defuncta postea muliere confirmari convenit, si tota dos lucro mariti cessit; Idem Juris est, cùm is, qui rem furtivam vendidit, postea Domino hæres extitit.* 10

Neque obstat *l. Et eleganter.* 7. *ff. de Dolo malo.* ubi habetur, quòd ex contractu prohibito fieri possit translatio dominii. Resp. enim cum Baldo apud Peck. *hic*, translationem dominii non fieri ex vi contractûs prohibiti, tanquam ex causa immediata ac principali, sed ex voluntate domini tradentis, qui etiam ex contractu in sui favorem invalido ultrò potest transferre dominium rei suæ in alterum. 11

Cæterùm benè ad propositum Regulæ nostræ: *Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo:* Subjungit Barb. aliam Regulam econtra veram: *Quando aliquid conceditur, conceduntur omnia, quæ spectant ad illud. l.* 2. *ff. de Jurisdict.* ibi: *Cui Jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus Jurisdictio explicari non potest.* & *c. Præterea.* 5. *de Offic. deleg.* ubi dicitur, quòd factâ alicui delegatione causæ, censeatur eidem etiam concessa potestas citandi & condemnandi contumacem; Ratio apponitur ibi: *Quia ex eo, quod causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem.* 12

nunquam valeant adhuc legata saltem ad causas pias per dicta *Lib. III. Tit. 27. de Testam. n. 164.* item, qui testamentum tanquam inofficiosum impugnat, censetur dicere, quòd testator quasi non sanæ mentis fuerit. *l. 2 ff. de Inoffic. Testam.* ibi *Hoc colore inofficioso testamento agitur; quasi non sanæ mentis fuerunt, qui testamenta ordinarent.* consequenter sicut ad instituendum hæredem, sic etiam ad condenda legata inhabiles fuerint. Dynus *loc. cit.*

7 Procedit ulteriùs in Instrumentis, ut qui aliquod impugnat, illud in favorem allegare non ampliùs possit *cit. c. Cùm olim. de Censib.* Idem est de impugnante testem: item de impugnante contractum tanquam invalidum.

8 Quæritur II. An & in quibus Regula XXXVIII. fallat? Resp. Eam fallere in sequentibus, & quidem *primò*, quando quis impugnationem rei usque ad sententiam definitivam non continuat, sed ante hanc ab illa voluntariè desistit. Glossa hic communiter recepta textu expresso *l. Papinianus. §. 14.* ibi: *Ei demum aufertur, quod testamento datum est, qui usque ad sententiam Judicum lite improba perseveraverit. Cæterùm si ante sententiam destitit, vel decessit, non ei aufertur, quod datum est.* juncta *l. Alia 8. C. de his quibus ut indig.* cùm pœnitenti, & errorem agnoscenti venia non sit neganda. *can. Quanto. 8. cau. 2. q. 4.* ibi: *quia sicut in pertinacia persistentibus severos nos esse convenit, sic iterùm humilitatis & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus.*

9 Fallit *secundò*, si quis non suo, sed alieno nomine & ex officio, sicque non plenè liberè, sed quasi necessariò impugnat, uti tutor & curator nomine pupilli vel minoris; talis enim etiam ex illo, quod impugnat, fructum pro se consequi, consequenter ex testamento v. g. sic impugnato, legata in illo sibi facta percipere valet. Gloss. *cit.* cum communi aliorum, textu claro *l. Adversus. 38. ff. de Inoffic. Testam.* ibi; *Tutoribus, pupilli nomine, sine periculo ejus, quod Testamento datum est, agere posse de inofficioso testamento, Divi Severus & Antoninus rescripserunt.* Concordat *l. Cùm quædam. 26. C. de administr. Tut. Cùm non deceat alicui officium suum esse damnosum c. Cùm non deceat. 30. pr. de Elect. in 6.* & *ne dispendium patiatur, qui videtur præmium meruisse. c. Pervenit. 2. de Fidejuss.*

Fallit *tertiò*, ubi non est eadem materia, vel Ca- 10
pitulum (ut Glossa ait *hic.*) quod quis impugnat cum illo, ex quo etiam post impugnationem fructum consequi nititur. Nam licèt quis sententiam ex uno capite impugnet adhuc ex alio capite fructum percipere valet. *arg. c. Ut lex non debet per inutile vitiari. 37. de R. J. in 6.* junctô *c. Raynutius. 16. & c. Raynaldus. 18. de Testam.* ubi sententia Judicis inferioris, à qua partes ambæ, quatenus contra se fuerat, appellaverant ad Papam, ex una parte confirmatur à Papa, sicque profuit impugnanti.

Fallit denique *quartò*, respectu tertii, ita ut li- 11
cèt quis ex eo, quod contra certum aliquem impugnavit, contra eundem fructum percipere, vel eadem re impugnata fructuosè uti non valeat; tamen eadem re impugnata, & jure exinde sibi competente contra tertium frui omnino possit. Pech. *hic n. 5.* eò quòd regulariter aliis non noceat res inter alios judicata *c. Quamvis. 25. de Sentent. & re judic.* cum Concordant.

REGULA XXXIX.

Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.

SUMMARIUM.

1 *Ponuntur Concordantiæ cum Regula.*
2 *Subsequentia ex prohibito, non item media ad illud, censentur prohibita.*
3 *Alia simpliciter tantùm: alia etiam sub nullitate prohibentur.*
Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem. Ibid.
4 *Regula implicitè duas habet partes: Ponitur verus utriusque sensus.*
Connexorum eadem est ratio. Ibid.
5 *Declaratur Regula exemplis. & seqq.*
6 *De Jure non licet in quadragesima comedere Lacticinia.*
Prohibitione concupiscentiæ prohibentur omnia mala. Ibid.
7 *Prohibita alienatione prohibetur omnis species & subsequentia.*
8 *Existente nullo matrimonio nulla etiam Jura ex eo sequentia.*
9 *Omnes contractus civiles prohibiti etiam ipso jure sunt nulli.*
10 *Fundus dotalis vendi non potest.*
11 *Ex contractu prohibito nulla est etiam translatio dominii.*
12 *Quando aliquid conceditur, conceduntur omnia, quæ spectant ad illud.*

1 Cùm hac Regula concordare videntur Reg. 42. *de Reg. Jur. in 6.* ibi: *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* sicut & illud commune: connexorum eadem est ratio: sive: quod de uno connexorum statuitur, ad alia quoque connexa extendi debet. *c. Translato. 3. de Constitut.* junctâ Glossâ ibidem.

Addit Vivianus *hic* cum Regula concordare etiam 2
illud, quod pro quasi Regula habetur *l. Oratio. 16. ff. de Sponsal.* junctô Summariô ibidem. *Cùm aliquid prohibetur, videtur etiam esse omne illud prohibitum, per quod pervenitur ad illud.* Verùm displicet hæc concordantia Dyno *hic n. 1.* Strein *n. 1.* ac aliis. Et meritò? quia per nostram Regulam prohibentur consequentia ex principali prohibito; per textum *l. Oratio.* autem prohibentur solùm media ad consequendum prohibitum, uti consideranti patet.

Quæritur I. Quomodo Regula intelligenda? & 3
quis verus illius sensus sit? Ante responsionem Notandum, in Jure subinde aliqua tanquam minùs honesta, minùsque licita simpliciter tantùm prohiberi, non autem simul annullari, seu non prohiberi sub nullitate; de quibus verificatur illud. *c. Ad Apostolicam. 16. de Regular. Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem.* prout res se habet in Matrimonio v. g. utpote quod sine denuntiationibus prævis, aut certis temporibus fieri prohibetur quidem, & tamen si absque illis, & tempore prohibito celebratur, validum existit juxta dicta *lib. IV. Tit. 3. de Clandestin. desponsat. n. 15.* Aliqua verò non tantùm simpliciter prohiberi sed etiam simul annullari, seu sub nullitate inhiberi: cujusmodi sunt Matrimonia cum impedimento dirimente contracta, quia non tantùm simpliciter, sed etiam sub nullitate prohibentur, indeque non solùm illicita, sed etiam invalida sunt, juxta dicta *Lib. IV. Tit. 1. de Sponsal. & Matrim. §. 9.* Hôc notatô,

Resp. Hæc Regula non tantùm de iis, quæ simplici- 4

ter,

ter, sed etiam de illis, quæ sub nullitate prohibentur, intelligenda est: ut proin duas implicitè contineat partes, & quævis in suo, sicque ambæ sub diverso sensu intelligendæ veniant. Et quidem genuinus ac verus Regulæ sensus quoad primam partem de simpliciter tantùm prohibitis sequens est: *Quando aliquid simpliciter duntaxat tanquam minùs honestum, minùsve licitum absque nullitate prohibetur, simpliciter prohibita quoque, si quæ illicita, non item invalida censentur omnia ea, quæ ex principali prohibito propter necessariam connexionem & dependentiam ordinariè sequuntur, saltem si eadem de his, uti de illo militat ratio.* Quoad secundam verò partem verus Regulæ sensus hic est: *Quando aliquid non tantùm simpliciter ut illicitum, sed etiam sub nullitate, seu per legem annullantem prohibetur, similiter prohibita, si quæ illicita simul & invalida censentur, quæ ob necessariam connexionem & dependentiam ex principali prohibito sequuntur.* Tacçin. *hic n. 2.* Ratio utriusque partis ex mutua connexione & dependentia desumitur; connexorum enim eadem est ratio: sive quod de uno connexorum statuitur, ad alia quoque connexa extenditur juxta dicta *num. 1. arg. c. Translato 3. de Constitut.* Et qua ex aliquo sequuntur, accessoria illius sunt: *Accessorium autem naturam sequi congruit principalis* juxta pariter jam citatam *Regulam 42. Jur. in 6.*

5 Declaratur prima Regulæ pars ampliùs, & firmatur exemplis per Glossam adductis: sic enim ex eo, quòd prohibitum sit in Quadragesima comedere carnes, prohibita etiam censentur omnia, quæ ex sementina trahunt originem carnis, lac videlicet, ova, caseus, &c. *can. Denique 6. dist. 4.* ibi: *Par autem est, ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementivam carnis trahunt originem, jejunemus. à lacte videlicet, caseo & ovis;* intellige, nisi alicubi legitimè præscripta habeatur consuetudo, uti in Germania, ubi vi consuetudinis lacticinia licitè comeduntur, licèt in plurimis aliis Catholicis Regnis ac Provinciis dicta prohibitio strictè observetur, indeque Regula in illis locum habeat.

6 Sic pariter, dum concupiscentia prohibetur, prohibentur omnia mala inde oriunda *c. Nam. 4. de Constit.* ibi: *Hoc enim elegit Apostolus generale, unde omnia mala oriuntur; bona est ergo lex, quæ dum hoc prohibet, omnia prohibet.* Sic etiam dum prohibetur Mœchia, prohibitus censetur omnis illicitus concubitus *can. Meretrices. 11. cau. 32. q. 4.* ibi: *Profectò nomine Mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.*

7 Secunda pars Regulæ, quæ præter rationem & Jura allegata specialiter etiam in illo claro Juris textu n. 9. adducendo firmatur *l. Non dubium. 5. C. de Legibus.* declaratur etiam exemplis: sic enim quia alienatio rerum Ecclesiasticarum sine debita solemnitate non tantùm simpliciter, sed etiam sub nullitate est prohibita per dicta *Lib. III. Tit. 13. de Rebus Eccles. alien.* quævis etiam donatio, venditio, & similia sub nullitate censentur prohibita unà cum connexis & subsequentibus ex illis, qualia sunt traditio, dominium, Dynus *hic n. 4.* addens, Prælatum vel œconomum propterea admitti ad vindicationem rei alienatæ. *l. Jubemus. 14. C. de Sacros. Eccles.*

8 Sic ulteriùs, quia Matrimonium cum dirimente impedimento contrahere, lege annullante & irritante, prohibetur, ut nulla etiam censentur prohibita alias consequentia ex matrimonio, v. g. jus petendi debitum conjugale, jus percipiendi fructus dotis, jus agendi uxorio nomine &c. sicut insuper, quia sub nullitate etiam in matrimonio legitimo prohibita est venditio fundi dotalis. *l. Rem in præsenti. §. Et cùm Lex. 15. C. de Rei uxor. act.* etiam traditio & dominium, quæ aliàs ex venditione sequuntur, nulla sunt. *Dyn. hic n. 4. Instit. quibus modis alien. licet.*

Sic universaliter omnia ex contractibus sub nul- 9
litate prohibitis subsequentia, nulla quoque & irrita sunt. Ubi specialissimè notandum, omnes & singulos contractus civiles, qui Jure Civili simpliciter tantùm prohibentur, censeri etiam sub nullitate prohibita, etsi annullatio & irritatio contractûs expressè non addatur, textu claro, & per extensum relatu certè digno. *l. Non dubium. 5. C. de Legibus.* ibi: *Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus secutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente: quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quàm novellas trahi generaliter imperamus; ut legislatori, quod fieri non vult, tantùm prohibuisse sufficiat, cæteraque quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere, hoc est, ut ea, quæ lege fieri prohibentur, si facta fuerint, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licèt legislator fieri prohibuerit tantùm, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est: sed & si quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege, factum est, illud quoque cassum, atque inutile esse præcipimus.* Ex quo infertur, in contractibus civilibus nunquam verificari illud Juri canonico insertum, *c. Ad Apostolicam. 16. de Regular. Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem.* Quod benè notandum.

Nec valet objicere *l. Penult. ff. de Fund. dotal.* 10
ubi licèt aliàs prohibita habeatur & nulla sit venditio fundi dotalis: facta tamen traditione, dominium transfertur; quod idem dicitur *l. Cùm vir prædium. 42. ff. de Usucap.* ergo subsecuta ex prohibito & nullo valent. Resp. enim, præsentes leges, uti legenti patet, loqui de valore dominii solutô matrimoniô, ubi fundus dotalis non ampliùs habet rationem dotis, sed ex hæreditate vel alio titulo evadit propria mariti: prout etiam res se habet in venditione rei furtivæ, si fur sit hæres domini. *cit. l. Cùm vir prædium.* ibi, *Cùm vir prædium vendidit scienti, vel ignoranti, rem dotis esse, venditio non valet: quam defuncta postea muliere confirmari convenit, si tota dos lucro mariti cessit; Idem Juris est, cùm is, qui rem furtivam vendidit, postea Domino hæres extitit.*

Neque obstat *l. Et eleganter. 7. ff. de Dolo* 11
malo. ubi habetur, quòd ex contractu prohibito fieri possit translatio dominii. Resp. enim cum Baldo apud Peck *hic*, translationem dominii non fieri ex vi contractûs prohibiti, tanquam ex causa immediata ac principali, sed ex voluntate domini tradentis, qui etiam ex contractu in sui favorem invalido ultrò potest transferre dominium rei suæ in alterum.

Cæterùm benè ad propositum Regulæ nostræ: 12
Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo: Subjungit Barb. aliam Regulam econtra veram: *Quando aliquid conceditur, conceduntur omnia, quæ spectant ad illud. l. 2. ff. de Jurisdict.* ibi: *Cui Jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus Jurisdictio explicari non potest.* & *c. Præterea. 5. de Offic. deleg.* ubi dicitur, quòd facta alicui delegatione causæ, censeatur eidem etiam concessa potestas citandi & condemnandi contumacem; Ratio apponitur ibi: *Quia ex eo, quòd causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem.*

REGULA XL.

Pluralis locutio, duorum numero est contenta.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Duo faciunt numerum pluralem.*
3 *Verus Regulæ sensus.*
4 *Ordinariè ferè in cunctis duo testes sufficiunt.*
5 *Dispensatus ad plura beneficia non nisi duo obtinere potest.*
6 *Verba in diebus vel annis verificantur in duobus.*
7 *Jus Patronatûs duabus præsentationibus probatur.*
8 *Legatum pauperibus factum in duobus salvatur.*
9 *Numerus pluralis unô duntaxat non salvatur. Olim non nisi coram duobus saltem præsentibus Missa celebrari poterat.*
10 *Verbum liberi etiam in una prole verificatur.*
11 *Cur Principes & Prælati utantur verbo Nos?*
12 *Fallit Regula, quando Jura, ad verificandum numerum, plura quàm duo expressè requirunt, & seqq.*

1 DEsumitur hæc ex *l. Ubi numerus. 12. ff. de Testib.* ibi: *Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt, pluralis enim locutio duorum numero est contenta,* & *can. Si testes. 3. cau. 4. q. 3.* ubi eadem referuntur verba.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Per hanc Regulam à plurali numero non excludi majorem duobus numerum, sed illud duntaxat indicari, quòd si absque determinatione numeri *plura* ad contractum aliquem, vel quid aliud requiruntur, aut *plura* indistinctè conceduntur, donantur, permittuntur, aut in dispositione aliqua *pluries* dicatur, numerus duorum sufficiat, nisi Jura majorem numerum ad rem, de qua agitur, expressè requirant. Hinc

3 Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Quandocunque in Lege, Statuto, Rescripto, Instrumento, vel quâcunque alia dispositione terminus pluralis, plures, plura, pluries &c. indistinctè ponitur, requiritur, & sufficit numerus dualis, seu duorum, nisi majorem numerum Jura expressè requirant.* Rationem benè assignat Vivianus *hic*, quia exclusio unius est inclusio alterius. *arg. l. Cùm Prætor. 12. ff. de Judiciis.* Hinc quoniam numerus singularis non salvatur, nisi in *uno*, Glossa *hic:* & in *can. Sufficit de Consecrat. dist. 1.* ideò si plures unô, uti sunt duo, adsint, hi numerum pluralem efficiunt, qui tamen saltem duo ad talem numerum pluralem requiruntur *c. un. Hoc quoque. 61. dist. 1. de Consecrat.*

4 Declaratur Regula exemplis; sic imprimis universaliter, ubi ad valorem actûs cujuscunque plures testes indistinctè requiruntur, sufficiunt duo, textu claro cit. *l. Ubi numerus. 12. ff. de Testib.* & *can. Si testes. 3. cau. 4. q. 3.* prout etiam Glossa *hic* observat, ad causas & instrumenta regulariter sufficere duos testes, semper subaudi, nisi aliter in Jure expressè disponatur.

5 Sic in specie, si Papa cum aliquo dispensat, quòd possit habere *plura beneficia*, & aliud non exprimit, ista pluralitas non nisi de duobus beneficiis, & quidem non curatis intelligi debet. *c. Is, cui 19. de Præbend. in 6.* Tum quia ista pluralitas in duobus verificatur: tum quia hæc dispensatio tanquam Juri contraria est odiosa, consequenter restringenda per *Reg. Odiosa restringi &c. 15. de Reg. Jur. in 6.* præsertim cùm aliàs *In obscuris minimum sit sequendum. c. In obscuris, 30. de R. J.*

Sic ulteriùs si Testator in suo testamento disponat, ut *in diebus* aliquid certum fiat, intra biduum impleri debet, textu expresso *l. Inter illam. 217. ff. de Verb. Sign.* ibi: *Item ita data conditione: illud facito in diebus: si nil præterea fuisset adjectum, in biduo conditionem impleri oportet.* Sicut etiam, si servo legatur libertas post annos, de duobus intelligi debet. *l. Libertas. 17. §. 3. ff. de Manumiss. Testam.* Ratio utriusque est, quia tam dierum, quàm annorum pluralis indistincta expressio duorum numero verificatur per Jura citata. 6

Sic rursus Ordinationi Concilii Tridentini *Sess. 25. de Reform. cap. 9.* quòd probatio Juris patronatûs ex *multiplicatis præsentationibus* fieri debeat, satisfit allegando, & probando duas. Barb. *de Offic. & Potest. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 4.* 7

Item si legatur certa pecuniæ quantitas pauperibus distribuenda, satisfacere executorem, si eam quantitatem totam duobus tantùm pauperibus distribuat, ex Regula nostra docet Taccin. *hic, n.* 8. Diana *p. 10. tract. 11. Resolut. 19.* 8

Dicitur notanter in Regula: *duorum numerus requiritur & sufficit:* quia ad verificationem termini numerum pluralem significantis, sicut duo sufficiunt, sic etiam saltem duo necessariò exiguntur, ita, ut in *uno* solo numerus pluralis non salvetur juxta communem DD. *can. Hoc quoque. 61. dist. 1. de Consecrat.* ubi propterea ab antiquo prohibitum perhibet, coram uno solo Missam celebrare; cùm in tali verificari non videantur verba Missæ pluralem numerum indicantia: *Dominus vobiscum*, & *Orate fratres.* Verba præfati can. sic sonant: *Hoc quoque statutum est, ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur; quia, cùm pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, & illud in secreto, orate pro me, aptissimè convenit, ut ipsius respondeatur salutationi.* Quod tamen statutum hodie non ampliùs servatur; quia pluralis locutio Sacerdotis ad totam Ecclesiam, omnes Christi fideles complectentem, dirigi censetur, cujus nomine unus Ministrans sufficienter respondere videtur. 9

Cæterùm præfatæ doctrinæ non obest communiter objici solita. *l. Non est 148. ff. de Verb. Signif.* vi cujus terminus pluralis, *liberi*, unica prole verificatur, ibi: *Non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est:* Non obstat, inquam, quia terminus *Liberi* caret singulari, & ideo semper in plurali profertur, prout lex ipsa afferendo rationem satis declarat statim subjungens: *Hæc enim enuntiatio, habet liberos, non habet liberos, semper plurativo numero profertur.* 10

Pariter non obstat loquendi modus Principibus, & Prælatis consuetus, quò una persona plurali numerô exprimitur, *Nos, Noster, Nostra, Vos, Vester &c.* quia per verba hæc Majestatem, Authoritatem & dignitatem, qua pluribus æquivalere, ac proptereà majori respectu, reverentiâ ac honore digni esse censentur, aliis indicare, indeque juxta antiquam consuetudinem quivis suam personam ipsemet in plurali exprimere, & ab aliis pari modo appellari volunt. 11

Quæritur II. An etiam, & in quibus fallat Regula? Resp. Eam universaliter fallere in iis, in quibus ex speciali dispositione legis ad verificandam pluralitatem, indistinctè positam, major, quàm 12 dualis, numerus requiritur: prout fit per *l. 1. ff. de optione & electione leg.* ubi *Divus Pius Cæcilio Proculo rescripsit, eum, cui indistinctè servorum legata est electio, tres posse eligere:* consequenter locutionem pluralem numerô duorum non esse contentam.

13 Fallit universaliter 2. quando leges ad valorem actûs certum numerum duobus majorem requirunt, uti ad codicillum 5. ad Testamentum 7. requiruntur testes per dicta *lib. III. Tit. 26. de Testamentis.*

14 Fallit econtra 3. & ad verificandam pluralitatem positam sufficit etiam *unum*, quando leges ita volunt & declarant, uti fit in termino *liberi* juxta dicta *n.* 9. & in casu, quò plures servi legantur, ac interea usque ad unum distrahuntur, salvatur adhuc legatum pluraliter factum in unico superstite. *l. Falsa. 33. ff. de Condition. & Demonstrat.* ibi: *Si quis ita scripserit, Stychum & Pamphilum Titio do, lego, si mei erunt, cùm moriar, & unum ex his alienaverit, an vel alter à legatario possit vindicari? Placet vindicari: nam hunc sermonem, licèt pluralis sit, pro eo oportet accipi, atque si separatim dixisset; Stychum, si meus erit, si moriar.*

REGULA XLI.

Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Ponitur verus sensus Regulæ. Nemo puniri, aut jure suo privari debet sine culpa. Ibid.*
3 *Impedimentum debet probari.*
4 *Impeditus intra annum suscipere Sacerdotium, non perdit Parochiam.*
5 *Stante impedimento non censetur appellatio deserta.*
6 *Canonici intrà tres menses eligere impediti non privantur Jure eligendi.*
7 *Clerici ægroti non præstantes officium tamen percipiunt fructus.*
8 *Sicut etiam integrum Salarium annuum, laborare impediti Consiliarii, Officiales, Advocati &c.*
9 *Nisi aliter tacitè vel expressè sit conventum.*
10. *Legitimè impeditus cessante impedimento illico præstare tenetur debitum.*
11 *Fallit Regula universaliter, quando impedimentum ex propria culpa contrahitur:*
12 *Intellige, si hæc studiô fuit ordinata ad contrahendum impedimentum.*
13 *Secùs si ad illud ordinata non fuit.*
14 *Fallit in Patrono Ecclesiæ intrà tempus debitum præsentare impedito.*

1 REgula desumitur ex *c. Quia diversitatem. 5. de Concess. Præbend.* & concordant *Reg. 6. de R. J. in 6. Nemo potest ad impossibile obligari:* & *Reg. 66. eod. Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quò minùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? quis finis illius, & verus ejusdem sensus sit? Resp. finem hujus Regulæ esse, quemvis salvare à pœnis, & damno in casu, quò legitimè impeditus non facit, quod alias facere debuisset; ut proin verus illius sensus sit sequens: *Qui legitimè impeditus non facit, quod aliàs facere deberet, propterea nec pœnam, nec damnum sentire debet.* Ratio est, tum quia juxta jam dicta, *Nemo potest ad impossibile obligari: cit. Reg. 6. Nemo.* Tum quia sine culpa nemo debet puniri, nec jure suo privari, vel damnô affici *arg. c. Sine culpa. 22. h. t. in 6.*

3 Quoniam verò impedimentum in facto consistit, facere debitum omittens, probare debet faciendi impedimentum, simulque docere, à se sufficientem adhibitam fuisse diligentiam, quâ tolleretur impedimentum: nisi aliunde satis constet Menoch. *de Arbit. lib. 2. cent. 2. casu 118.* Strein. *hic. n.* 2. ubi inter alia etiam sequentia adducit impedimenta, veluti gravem morbum, captivitatem, aëris infectionem, inundationes, aut alia gravia pericula viarum, mortem parentum, defectus rerum necessariarum ad iter, bellum, causam reipublicæ, violentam detentionem &c.

Declaratur Regula exemplis Juris per Gloss. adductis *hic*; sic enim licèt non Sacerdos ad Ecclesiam Parochialem promotus intrà annum sub pœna amissionis Parochiæ adeptæ suscipere teneatur Ordinem Sacerdotalem; *c. 35. de Elect. in 6.* tamen ab hac pœna immunis est, si sufficienter probat, se legitimè fuisse impeditum *v. g.* propter absentiam, suspensionem, aut gravem morbum Episcopi Ordinem præfatô annô conferre non valentis *cit. c. Commissa 35. de Elect. in 6.* ibi: *Annus autem hujusmodi tibi non currit, si promoveri justô impedimentô detentus intrà tempus hujusmodi nequivisti.* 4

Sic etiam licèt, si quis à sententia appellat, appellationem intrà annum prosequi teneatur *c. Cùm sit 5. de Appellat.* tamen in præjudicium illius non censetur appellatio deserta, si impedimentum intrà annum id faciendi per se pateat, aut probetur. *c. Ex ratione. 8. de Appellat.* ibi: *dummodo prosecutionem ipsius per impedimentum [illegible] constiterit omisisse.* 5

Sic pariter quamvis sub pœna devolutionis electio fieri debeat intra tres menses *c. Ne pro defectu. 41. de Elect.* tamen etiam post tres eligere adhuc possunt Canonici, si impedimentum intrà tres menses eligendi sufficienter probant. *cit. c. Ne pro defectu,* ibi: *Infra quos, scilicet tres menses (justô impedimentô cessante) si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice.* 6

Sic rursus licèt beneficium detur propter officium seu sacrum ministerium, & hoc Beneficiatus præstare teneatur *c. fin. de Rescript. in 6.* tamen beneficium & fructus illius non perdit, si infirmitate impeditus incumbens aliàs debitum sacrum ministerium non peragit *c. 1. de Clerico ægrot.* 7

Sic ulteriùs de annuis Salariis nil detrahi potest, sed integra debentur Consiliariis, Officialibus, Advocatis; & si illa in antecessum jam acceperunt, nil ampliùs restituere tenentur dicti Consiliarii, Advocati &c. quamvis nil operentur & laborent, si per eos non stat, quò minùs operas & labores aliàs incumbentes peragant v. g. si Professor publicus tempore belli vel pestis non docet, Consiliarii consilia non frequentant, officiales nil laborant: vel si Advocati ex defectu litigiosæ causæ nullum officium exhibent. Gail. *lib. I. Observ. 44. n. 12.* Strein. *hic. n. 1. arg. l. fin. C. de cond. causâ datâ.* & textu satis claro *l. Qui operas. 38. ff. locati.* ibi: *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quò minùs operas præstet. Advocati quoque, si per eos non steterit, quò minùs causam agant, honoraria reddere non debent.* junct. *l. 1. §. Divus Servus. 13. ff. de Extraord. Cognit.* ibi: Di- 8

Divus Severus ab hæredibus Advocati, mortuò eo, prohibuit, mercedem repeti; quia per eum non steterat quò minùs causam ageret.

9 Quam tamen doctrinam præcedentis numeri meritò cum aliis limitat Gail. si expressa vel tacita adsit conventio de dando salario aut mercede, quando & quamdiu operas vel labores conductus quis præstat. Adesse autem censetur tacita hujusmodi conventio ibi, ubi ita habetur Patriæ consuetudo, qualis saltem in his partibus vigere videtur respectu operariorum diurnorum, fabrorum lignariorum, aliorumque artificum, utpote quibus non laborantibus nil datur, vel non nisi tantum, quantum laborant, etiamsi absque omni sua culpa legitimè impediti existant, sicque per eos non stet, quò minùs operas & labores præstent; Quod idem de famulis & famulabus domesticis diu ægrotantibus passim observari videmus, docétque de his ultimis Covarr. *lib. 2 Var. Resolut. cap. 13. n. 8.* Dian. *p. 1. tr. 8. Resolut.* 86. & alii apud eundem. Dum econtra circa Consiliarios, Officiales, & alios annua salaria habentes contraria, ea videlicet cernitur consuetudo, quòd morbò etiam diuturniori, vel aliàs subinde legitimè impeditis, quò minùs debitos ex officio labores peragant, integra annua præbeantur salaria.

10 Illud tamen universaliter hìc observandum cum Vivian. *hic*, quod, etsi legitimè impeditus, quò minùs faciat, quod ad certum tempus facere deberet, non imputetur ad pœnam vel damnum, tamen cessante impedimento postea debeat id facere, quàm citiùs poterit. *arg. c. Cùm dilecti. 7. de Dolo & contum.* ubi Summarium sic habet; *Citatus ad totam causam certo tempore ad comparendum assignato, tenetur comparere in termino: & dato impedimento in termino, debet comparere quàm citiùs poterit, post terminum; aliàs condemnabitur in expensis à tempore citationis emissæ.* Hinc non Sacerdos adeptus Parochiam, etsi legitimè impeditus, quò minùs juxta præscriptum Canonum intrà annum recipiat Ordinem Sacerdotalem, non perdat Parochiam secundum dicta *n.* 4. Tamen cessante impedimento eum recipere debet, quàm citiùs poterit.

11 Quæritur II. An, & in quibus Regula XLI. fallat? Resp. Eam juxta Gloss. *hic* universaliter fallere, quando quis suâ culpâ contrahit impedimentum, vel incidit in casum, propter quem facere non potuit, quod facere tenetur; tunc enim ei imputatur; cùm regulariter loquendo quivis teneatur de casu, qui sequitur culpam. *can. Sæpe. 50. dist. 50. & can. Studeat. ibid.* cum concord. à Glossa citatis.

12 Verùm hanc Fallentiam Vivianus *hic* cum Franc. & aliis meritò limitat ad illas duntaxat culpas, quæ verisimiliter studiò aut dolò ordinatæ sunt ad casum sinistrum, vel impedimentum incurrendum, prout casus similis habetur in *Clement. Multorum. 2. §. Illis. de Pœnis.* ubi Reus studiò & dolosè procuravit, ut detineretur in carcere, ne deberet in judicio comparere, cui impedimentum affectum, & dolosè procuratum non profuit, quin pœnas legis incurreret, & pro contumaci haberetur: cùm fraus & dolus nulli patrocinari debeat. *c. Ex parte. 16. de Rescriptis.*

13 Secùs de illis culpis, quæ ad impedimentum obtinendum nullatenus ordinatæ apparent; quia securum ex his, utpote nec affectatum, nec dolosè procuratum, impeditum à pœna & damno immunem reddit: ut proin, etsi Clericus v. g. suâ culpabili intemperantiâ contrahat infirmitatem, quâ impeditur à præstando officio, tamen fructus beneficii percipiat. Idem dic de Consiliariis & Officialibus ex propria simili culpa, ad impedimentum obtinendum non ordinata, & tamen illud contrahentibus. *arg. c. quia diversitatem. 5 de Concess. præb.* ubi ob suspensionem pro legitimè impedito habetur, *etsi fuerit suâ culpâ suspensus*, junctâ *l. Verum. 39. ff. de Furtis.* ubi habetur, *eum, qui libidinis causâ fores meretricis effregit*, indeque causa fuit, *quòd fures ab eo non inducti, sed aliàs ingressi, meretricis res egesserunt, furti non teneri*; quia effractio ostii ad furtum non erat ordinata. cum Concord. à Gloss. cit. *hic.*

14 Fallit autem specialiter secundò in Patrono, qui ob litem super Jure Patronatûs actu durantem legitimè impeditus intra quadrimestre non præsentat; cùm non obstante hujusmodi legitimo impedimento, pro ea vice privetur jure præsentandi, illudque devolvatur ad Ordinarium: textu expresso *c. Quoniam. 3. in fine.* & *c. Cùm propter. 27. de Jur. Patron.* quod contra communem Juris Regulam meritò statuit Ecclesia favore Ecclesiarum, quibus longior beneficii vacatio damnosa, & animabus periculosa censetur. *c. Ne pro defectu. 41. de Elect.*

REGULA XLII.

Accessorium naturam sequi congruit principalis.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Quid dicatur* Principale, *quid* Accessorium?
3 Accessorium *quadrupliciter quid esse potest.*
4 *Regula procedit, sive de inducendo, tollendo, vel confirmando principali agatur.*
5 *Ponitur verus sensus Regulæ Accessorium sequitur naturam Principalis, & quare? Ibid.*
6 *Commissâ causâ, commissa censentur requisita ad eam.*
7 *Qui cognoscit de Matrimonio, etiam de dote tanquam accessorio cognoscit.*
8 *Etiam in privilegiis corruente principali, corruunt accessoria.*
9 *Venditô prædiô venditur etiam aquæ ductus eidem inexistens.*
10 *Testamentum minùs solemne inter liberos vel ad pias causas validum, facit ut valeant etiam legata profana.*
Invalido existente Testamento paterno, invalida etiam est substitutio pupillaris. Ibid.
Legata domo censetur etiam legatus hortus cohærens. ibid.
11 *Fallit Regula, quando in principali, & accessorio diversa reperitur ratio.*
Usuræ juratæ solvi, sed iterùm restitui debent. ibid.
12 *Testamento invalido inserta legata pia valent.*
13 *Sublato principali non tollitur accessorium, quod se solô potest subsistere.*
14 *Solutô quoad thorum matrimonio manet dos apud partem innocentem.*
15 *Testamentô ob præteritionem existente nullô, valent legata.*
16 *Fidejussor pupilli obligatur, etsi pupillus non sit obligatus.*
17 *Accessorium sequitur naturam principalis, etsi illud pretiosius sit istô:*
18 *Nisi sit summè arduum, de quo non cogitâsse disponentem præsumitur.*

Famo-

1 FAmosa, & in praxi sæpe occurrens hæc Regula desumpta habetur ex *l. Nihil dolo. 129 ff. de Reg. Jur.* ibi: *Cùm principalis causa non consistit, ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent. & l. Cùm principalis. 178. ff. eod.* ibi: *Cùm principalis causa non consistat, plerumque ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.* cui concordat *l. 2 ff. de Pecul. legato.* ibi: *Nam quæ accessionum locum habent, extinguuntur, cùm principales res peremptæ fuerint.*

2 Quæritur I. Quomodo Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem Prænotandum, quid per *Principale*, & quid per *Accessorium* intelligatur. Principale ad propositum illud vocatur, quod est præcipuum in re, & quasi causa, seu fundamentum illius, quod accedit Strein. *hic n. 1.* vel ut Barb. *hic n. 11.* vult: *Principale* est, quod per se stat, seu propriâ suâ virtute subsistit; *Accessorium* verò, quod per se non subsistit, sed vel ex natura rei, vel ex dispositione legis, vel ex partium conventione dependet ab alio, cui tanquam principali inest, vel accedit, aut comitatur illud Taccin. *hic n. 1.*

3 Observat autem *hic* Barb. *n. 12* quadrupliciter posse aliquid esse accessorium alterius: Primò, ut sine illo res principalis nulla, vel inutilis reddatur. 2. Si ita rei inest, ut portio & pars illius reddatur. 3. Quia ex natura rei, vel dispositione legis, vel partium conventione semper sequitur, & comitatur aliud. 4. Quia ab alio dependet tanquam effectus à causa. His prænotatis,

4 Resp. I. Regula intelligenda est, & subsistit sive agatur de Principali inducendo, sive tollendo, sive confirmando; semper enim verum manet, quòd Accessorium sequatur naturam Principalis, ita, ut cum hoc etiam illud inducatur, tollatur, & confirmetur: Et quidem de *inducendo* probatur ex *c. Si super gratia. 9. de Offic. deleg. in 6. De tollendo* patet ex *cit. l. 2 ff. de Pecul. legat.* ibi: *Nam quæ accessionum locum obtinent, extinguuntur, cùm principales res peremptæ fuerint.* cum Concord. à Dyno citatis. *De confirmando* constat ex jam *cit. c. Si super gratia. 9. de Officio delegat. in 6.* Hinc

5 Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Tanta est dependentia Accessorii à Principali, ut, regulariter loquendo, inductô, concessô, prohibitô, annullatô, sublatô, vel confirmatô principali, inductum, concessum, prohibitum, annullatum, sublatum, vel confirmatum etiam censeatur accessorium.* Dicitur: *Regulariter*: conformiter citatæ *Regulæ 178. ff. de Reg. Jur.* ubi adhibetur terminus *plerumque*; quia, ut infrà patebit, Regula patitur suas fallentias. Ratio Regulæ est; tum, quia Accessorium est connexum & adhærens principali: connexorum autem eadem est ratio, idemque judicium. *c. Translato. 3. de Constit.* Tum, quia magis dignum trahit ad se minùs dignum *arg. c. quod in dubiis. 3. de Consecrat. Eccles.* Principale autem regulariter loquendo est præcipuum, & magis dignum. *arg. § Si quis in aliena. 34. Instit. de Rerum divis.* Porrò hæc Regula valdè latè patet, ita ut ferè ubique procedat, præsertim in Legibus & Rescriptis, in Contractibus, in ultimis voluntatibus, in Privilegiis, in matrimonio &c.

6 Declaratur Regula exemplis Juris, & quidem imprimis de Legibus, Rescriptis ac Judiciis; quando enim alicui delegatur causa, delegata quoque censentur accessoria necessariò requisita ad eam, v. g. citatio, contumaciæ declaratio, testium examinatio &c. *c. Præterea 5. de Offic. deleg.* ibi: *Quia ex eo, quòd causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem.* junctô *c. Prudentiam 21. ibid. §. Sexta nobis. ad fin.* ibi: *Explorati siquidem juris existit, ut delegatis Judicibus, quibus principale committitur, & accessorium committatur.*

7 Sic in specie, quando causa matrimonii delegatur, delegatus de dote quoque, tanquam aliquo accessorio, restituenda cognoscere, & sententiare valet. *c. de Prudentia. 3. de Donat. inter virum & uxorem.* ibi: *Quia igitur vos, qui de Matrimonio principaliter cognovistis, & de dote (quæ est causa incidens) accessoriè cognoscere valuistis, & sententialiter definire.* Et universaliter quando aliquid per legem præcipitur vel prohibetur, præcepta quoque, vel prohibita censentur accessoria, id est, ei necessariò connexa & adhærentia.

8 Sic in Privilegiis, quando principale non subsistit, nec accessoria subsistunt. *c. Inter dilectos. 6. §. fin. cùm ergo. de fide Instrum.* ibi: *Cùm ergo Privilegium Henrici confirmatorium tantùm extiterit saltem quoad illa, quæ deducta sunt in judicium, si principale non tenuit, nec accessorium, quod ex eo, vel ob id dignoscitur esse secutum.*

9 Sic in contractibus, quando venditur prædium, cui inest aquæductus, jus aquæ etiam, & fistulæ, per quas aqua transit, tanquam accessoria vendita, & emptoris esse censentur. *l. Si aquæductus. 47. ff. de contrah. empt.* ibi: *Si aquæductus debeatur prædio, jus aquæ transit ad emptorem, etiamsi nil dictum sit: sicut & ipsæ fistulæ, per quas aqua ducitur.* Sic econtra universaliter in omni contractu si principalis obligatio non subsistit, nec fidejussoria tanquam accessoria ligat. *l. Si quis. 37. ff. de Fidejuss. & Mandat.* ibi: *Si quis postquam tempore transactô liberatus est, fidejussorem dederit, fidejussor non tenetur, quoniam erroris fidejussio nulla est.*

10 Sic in Testamentis; nam testamentum inter liberos minùs solemne validum, valet etiam quoad legata extranea inserta, juxta dicta & probata *Lib. III. Tit. 26. de Testam. § 7. à n. 204.* sicut etiam Testamentum minùs solemne, validum tamen ad pias causas, valet quoad legata profana, prout dictum & probatum habetur *cit. Lib. III Tit. 26. § 6. à num. 16.* & quidem utrumque ob hanc Regulam, videlicet quia Accessorium naturam sequi congruit principalis: cujusmodi principale ad propositum est Testamentum, & legata sunt accessorium. Ob quam rationem etiam non valet substitutio pupillaris, si invalidum est testamentum paternum. *§ Liberis autem. 5. Instit. de Pupill. substit.* ibi: *Nam pupillare Testamentum pars & sequela est paterni testamenti, adeò, ut si patris testamentum non valeat, nec filii quidem valebit.* Dum econtra, quando quis domum legat, cui pro majori commoditate hortus vicinus coemptus existit, legatâ domô etiam hortus, tanquam quid accessorium, legatus censetur. *l. Prædiis 91. §. 5. ff. de Legat. III.* ibi: *Qui domum possidebat, hortum vicinum ædibus comparavit, ac postea domum legavit: si hortum domûs causâ comparavit, ut amœniorem domum, & salubriorem possideret, aditumque in eum per domum habuit, & ædium hortus additamentum fuit, domûs legatô continebitur.* Plura exempla Juris vide apud Gloss. *hic.*

11 Quæritur II. An, & quas fallentias patiatur Regula nostra? Resp. Eam in pluribus fallere; & quidem *primò*, quando in principali & accessorio non eadem, sed diversa reperitur ratio. Abbas in *c. Debitores de Jurejur. n. 2.* Sanch. *lib. 7. de Matrim. disp. 29. n. 11.* Hinc etsi principalis obligatio solvendi usuras sit nulla, tamen si juramento firmata est, accessorium juramentum servandum erit, textu expresso *c. Debitores 6 de Jurejur.* ibi: *Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent; si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt domino reddere juramentum.* Ubi tamen subjungitur odiosis usurariis clausula illis verbis: *Et cùm usuræ solutæ fuerint, creditores ad restituendas sunt severitate Ecclesiastica compellendi.* Cer-

tem accessoria juramenti obligatio observanda sit, est specialis ratio divinæ reverentiæ, quæ servare juramentum compellit, qualis ratio in simplici promissione non reperitur. Sanchez *loc. cit.*

12 Fallit *secundò* quoad pia legata inserta Testamento ad causas profanas nulliter facto; quia illa, etsi accessoria, valent, licèt Principale, Testamentum videlicet, sit nullum, juxta dicta & probata *Lib. III. Tit. 26. de Testam. §. 6. n. 161.* Idque ob fundamentum *n. præced.* allegatum; quia nempe in accessoriis legatis piis invenitur specialis ratio, Religionis videlicet.

13 Fallit *tertiò* in Accessorio quod se solo, & independenter à Principali potest subsistere: sicque ab eo divisibile est; quamvis enim concessò principali etiam hoc accessorium concessum videatur, tamen sublatò principali illud sublatum non censetur. Vivianus *hic*, cum Franch. & aliis, patetque ex ipsa rei natura: hoc ipso enim, quòd hoc sine illo valeat subsistere, sublatò principali accessorium hujusmodi necessariò non tollitur.

14 Fallit *quartò* in casibus, in quibus Jura aliter specialiter disponunt: prout fit in casu quò ob adulterium uxoris, matrimoniò tanquam principali quoad thorum sublato, non tollitur dos, sed penes solum virum manet, etsi dos accessorium matrimonii sit. *l. Cùm Mulier. 47. ff. Soluto Matrim.* & c. *Plerumque 4. de Donat. inter vir. & uxor.* ibi: *Plerumque si mulier ob causam fornicationis judicio Ecclesiæ, vel propria voluntate à viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, dotem, vel dotalitium repetere non valebit.* Quod tam à Canonico, quàm Civili Jure meritò specialiter sic statutum habetur in odium adulterii, & favorem conjugis innocentis.

15 Sic etiam specialiter sanctum habetur in Jure, ut testamento tanquam principali propter exhæredationem, vel præteritionem filii nullò declarato, accessoria tamen in illo subsistant legata, & alia. *Auth. Ex causa. C. de liber. præterit.* ibi: *Ex causa exhæredationis, vel præteritionis irritum est testamentum quantùm ad institutiones: cætera namque firma manent.*

Sic pariter licèt aliàs obligatio fidejussoria sit accessoria, & sublata principali obligatione tollatur per dicta *nu. 9.* tamen ex speciali Juris dispositione habetur, quòd, etsi pupillus sine authoritate tutoris contrahens, nec civilem, nec naturalem obligationem servandi contractum habeat, *l. Pupillus. 59. ff. de Oblig. & Act.* tamen si in tali casu tertius pro pupillo fidejubeat, fidejussio teneat, & obligatoria existat. *l. Si Pupillus. 35. ff. de Arbitr.* cum Concord. Quod etiam ideo rectè sancitum videtur, quia in tali casu fidejussio censetur inducere obligationem principalem, hôc ipsò, quòd alia principalis desit; cùm pupillus aliquam obligationem, quæ alias principalis foret, neutiquam contrahat. 16

Cæterum quamvis Vivianus *hic* teneat. Regulam 17 fallere etiam in casu, quò accessorium nobilius quid & pretiosius est ipso principali: tamen quia hæc doctrina non tantùm communi DD. sed etiam claræ Juris dispositioni contraria apparet, ei minimè adhærendum, sed dicendum est, Regulam procedere etiam tunc, quando accessorium melius quid, nobilius, ac pretiosus est principali *l. Cùm aurum 19. §. 13. ff. de auro & argent. legat.* ibi: *Perveniamus & ad gemmas inclusas auro, argentoque. Et ait Sabinus, auro, argentoque cedere; ei enim cedit, cujus major est species: quòd rectè expressum: semper enim cùm quærimus, quid cui cedat, illud spectamus, quid cujus rei ornandæ causâ adhibetur, ut accessio cedat principali. Cedent igitur gemmæ phialis & lanceibus inclusæ auro argentove.* Ex quo resolves, quòd annulus habens inclusam gemmam longè majoris pretii, quàm sit ipse annulus, vel vestis habens ornamenta aurea vel argentea pretium vestis longè superantia, si venditur, donetur, legetur etiam gemma, & ornamenta, quantumvis majoris pretii, vendita, donata vel legata censeantur.

Limitat tamen non immeritò hanc doctrinam 18 & fallere Regulam ait Barb. *hic num.* 10. si accessorium est summè arduum quid, ut de tali verisimiliter non cogitaverit concedens, donans, legans, disponens &c.

REGULA XLIII.

Qui tacet, consentire videtur.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Ratio difficultatis in Regula.*
3 *Opinio, quòd tacens in favorabilibus, non item in odiosis consentire censeatur, non approbatur.*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
5 *Tacens etiam in odiosis consentire videtur, si contradicendo impedire potest.*
6 *Declaratur exemplis & seqq.*
Servus sciente & tacente Domino ordinatus liber evadit. ibid.
7 *Sponsalia nomine filiæ scientis & tacentis contracta valent.*
9 *Alienatio Rei Ecclesiasticæ sciente & tacente Capitulo valet.*
10 *Superiores scientes & tacentes ad defectus subditorum consentire videntur.*
Episcopi non corrigentes dicta, reprehenduntur à jure. ibid.
11 *Tacentes in consilio, vel collegio consentire censentur.*
12 *Fallit Regula 1. quando tacens rem non intelligit.*
Errantis nullus est consensus. ibid.
13 *Fallit 2. quando ad substantiam actûs requiruntur verba, vel signa externa, uti in baptismo adultorum.*
14 *In Sponsalibus & Matrimonio:*
15 *Ac in stipulationibus.*
16 *Fallit 3. quando contradictio sine turbatione vel majori malo fieri nequit.*
17 *Fallit 4. quando fur sciente, & tacente domino rem aufert.*
18 *Fallit 5. quando de consensu vel dissensu non dubitatur.*

HÆc Regula desumitur ex *l. 2. §. Voluntatem.* 1 *ff. Soluto Matrimonio.* & aliis LL. à Glossa citatis *hic.*

Quæritur I. Quomodo intelligenda hæc Regula? 2 & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis secundùm sensum grammaticalem facilis appareat hæc Regula, in sensu tamen Juridico eam explicatu esse difficillimam, ferè omnes fatentur; eò quòd in Jure plurima extent exempla, ex quibus clarè patet, eos etiam, qui scienter tacent, non censeri consentire. Hinc in ea declaranda mirè desudant Doctores.

Barbosa *hic n. 9.* allegat ingentem Doctorum 3 Classico-

Classicorum numerum dicentium: Regulam cum subsequenti distinctione esse intelligendam; *qui tacet, in favorabilibus consentire videtur: qui verò in præjudicialibus vel odiosis tacet, consentire non videtur.* quam doctrinam licèt magis communem, immo vulgarem esse verè asseras, & pro illa etiam Glossam variis in locis citet: tamen eam non approbat, sed improbat ex illo vero fundamento; quia in Jure valdè multa reperire est exempla, vi quorum tacens etiam in præjudicialibus pro vere consentiente habetur. Nos sedulò perlectis, & benè consideratis tam Doctorum rationibus, quàm Juris exemplis, arbitramur, seriorem & faciliorem Regulæ explicationem, seu declarationem esse sequentem.

4 Resp. II Verus & genuinus Regulæ sensus videtur iste: *Qui tacet in favorabilibus consentire videtur: qui verò in præjudicialibus tacet, tunc consentire videtur, quando contradicendo, vel expressè dissentiendo facilè potest impedire id, de quo agitur, & in contrarium nulla conjectura apparet.* Prima pars hujus sensûs, videlicet quòd tacens in favorabilibus consentire videatur, penè omni controversia caret; cùm ferè omnes Doctores consentiant; quia in dubio ordinatè meritò præsumuntur ea, ad quæ nos naturalis ducit affectio & propensio, *arg. c. 2. de Præscript. & l. Isti 8. §. fin. ff. quod me 2. cons. gest.* Hinc benè observat hic Strem. *n. 3.* nullum tam hebetem censeri debere, ut commoda, grata, amica, utilia &c. respuat, si offeruntur, donantur, legantur, cùm hæc à natura quisque appetat, quærat, & accepter; *Omnes enim expetimus utilitatem, & ad eam rapimur.* Cicero *lib. 3. de Offic.* consequenter si nobis offeruntur, tacendo acceptare meritò censemur.

5 Altera pars, quòd etiam in præjudicialibus, & odiosis tacens consentire videatur, si contradicendo, vel dissentiendo illa impedire posset juxta Dynum *hic. n. 1.* infallibilis, consequenter utraque pars vera est. *arg. l. 2. §. Voluntatem. ff. Soluto Matrim.* ibi: *Nisi evidenter contradicat, videtur consentire. & c. 2. de His, quæ fiunt à Prælat.* ubi ex eo solo Capitulum pro consentiente habetur, quia non contradixit: *Si sciente, & non contradicente Conventu factum est, robur firmum debet habere.* cum concord. & Ratio est; quia, ut benè argumentatur Barb. *hic. n. 5.* quando quis præsens scit rem fieri, vel peti, & tacet, dum facilè contradicere potest, sua taciturnitate facit, quòd de Jure meritò præsumatur idem sentire: ut proin tacitus illius consensus non in fictione, sed præsumptione Juris fundetur, nisi assit contraria conjectura, ex verbis, vel saltem ex nutu, aut aliis signis apparens; quia etiam nutu, vel gestu contraria voluntas oftenditur. *l. Si tamen 48. §. Si qui. ff. de Ædilit. Edict. l. Non tantùm verbis. 5. pr. ff. Ratam rem haberi.* cum Concord.

6 Declaratur & firmatur amplùs exemplis Juris. Sic enim inprimis licèt servum amittere res Domino sit præjudiciosa: si tamen eo sciente, & non contradicente ordinatur, ordinatio valet, servus liber evadit, & Dominus illum amittit. *can. Si servus sciente. 20. dist. 54.* ibi: *Si servus sciente, & non contradicente domino, in Clero fuerit ordinatus ex hoc ipso, quòd constitutus est, liber & ingenuus erit.*

7 *Secundò*, si filia sciens, patrem sibi certam dotem constituere, tacet, & non contradicit, consentire præsumitur, etsi dos forsan incompetens, sicque ei præjudiciosa sit. *cit. l. 2. §. Voluntatem. ff. Soluto Matrim.* ibi: *nisi evidenter contradicat.* Sic pariter *Tertio*: si parentes pro filiis, vel filiabus præsentibus & non contradicentibus sponsalia vel matrimonium contrahunt, valent sponsalia & matrimonium, etsi forsan prolibus odiota; quia non contradixerunt, cùm facilè potuissent, dicendo v.g. nolo nubere, nolo hunc, vel hanc *c. un. §. fin. de Despons. Impub. in* 8

6. ibi: *Parvò ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel tacitè, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur.*

Quartò, qui criminaliter inquisitus crimina sua 8 confessus est, non potest excipere, quòd infamia non præcesserit; quia prius non contradicendo tacitè consensit *c. 2. de Accusat. in 6. Quintò* si tutor aliquem pro fidejussore nominat, isque præsens non contradicit, sed nomen suum actis inseri permittit, consensisse præsumitur, etsi illi præjudiciosum sit *l. 4. §. fin. ff. de Fidej. ff. & nominat.* ibi: *Fidejussores à Tutoribus nominati, si præsentes fuerint, & non contradixerint, & nomina sua referri in acta publica passi sunt, æquum est, teneri teneri, atque si jure legitimo stipulatio inter pupillum & sua fuisset.*

Sextò, Rei Ecclesiæ locatio, vel alienatio, ad 9 quam de Jure requiritur consensus Capituli, si hôc sciente, & non contradicente facta est, valet; quia ex tacitarnitate Capituli, quod contradicere posset, consensus illius præsumitur, per textum *c. 2. de His, quæ fiunt à Prælat.*

Septimò, Superiores qui graves subditorum de- 10 fectus sciunt, & cùm possent, non contradicunt, non corrigunt, non pununt &c. consentire videntur in grave communitatis præjudicium. *can. Error. 3. dist 83.* ibi: *Error, cui non resistitur, approbatur, & veritas, quæ minimè defenditur, opprimitur. Negligere quippe, cùm possis deturbare perversos, nil aliud est, quàm favere. Nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifestis facinori desinit obviare.* junctò can. *Consentire 5. dist 83. Consentire videtur erranti, qui ad rejecanda, quæ corrigi debent, non occurrit & can.* immediatè sequenti ibi: *Nil illo Pastore est miserius, qui luporum laudibus gloriatur: quibus si placere voluerit, atque ab his amari delegerit, erit hinc ovibus magna pernicies.* Hinc ipsi quoque Episcopi, qui etiam majores delinquentes non corrigunt, sed tacent, graviter reprehenduntur à SS. Canonibus, præsertim *can. 2. cit. dist. 83* illis verbis: *Episcopus itaque, qui talium crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus, quàm Episcopus.*

Hinc etiam universaliter referuntur illi, qui in Col- 11 legio, aut Consilio communi tacent, dum aliquid injustè, iniquè, aut præjudicialiter agitur, vel decernitur; habentur enim pro consentientibus, & fiunt cum aliis rei omnium aliorum inde secutorum, si, dum possunt, non contradicunt, uti post Abb. in *c. 1. de His, quæ fiunt à major. part. cap.* benè observat Strem. *hic n. 9.* per Jura hactenus allegata. Sic plurima in Jure reperiuntur exempla, ex quibus manifestè patet, quòd etiam in præjudicialibus odiosis, & onerosis causis ac rebus tacens consentire præsumatur, si non contradicit, dum facilè potest.

Quæritur II. An, & quæ Fallentias Regulæ 12 XLIII patiatur? Resp. potissimùm sequentes: & quidem *Primò* juxta unanimem fallit, quando tacens id, de quo agitur, non intelligit, vel penitus ignorat. *arg. l. Qui vas. 48. §. 3. ff. de Furtis.* Ratio manifesta est; quia ignorantis vel erranis nullus est consensus. *l. Si per errorem. 15. ff. de Jurisdict.* ibi: *Cùm, ut Julianus scribit, non consentiant, qui errant: quid enim tam contrarium est, quàm error, qui imperitiam detegit?* cum concordant.

Fallit *Secundò*, quando ad formam & substantiam 13 actûs consensus verbis vel signis externis expressus de Jure requiritur, vel aliàs præscribitur: prout expressè sanctum habetur de Baptizato adultorum loqui valentium, utpote quorum taciturnitas ad valorem Sacramenti non sufficit, etsi alii locò illorum respondeant, *arg. can. Cùm pro parvulis. 77. dist 4. de Consecrat.* ibi: *Cùm pro parvulis alii respondeant, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti,*

valet utique ad eorum confecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua Regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter movet: ætatem habet, ipse pro se loquatur.

14 Sic pariter ad valorem Matrimonii, vel Sponsalium de Jure non sufficit, si una pars ad promissionem, vel interrogationem alterius taceat, & non contradicat, licèt locò illius alii, etiam propinqui (excepto Patre) v. g. frater, patruus &c. respondeant, & consentiant, ipsâ tacente, & non contradicente; cùm requiratur de Jure utriusque partis contrahentis vel mandatum, vel consensus verbis aut aliis signis externis sufficienter expressus, prout jam dictum habetur *Lib. IV. Tit. I. de Sponsal. & Matrim. n. 14. & seqq.* Nec obstat, quod in contrarium objicitur. *c. 1. de Matrim. contra inveterat. Eccles.* ubi fit mentio de Matrimonio per fratem pro sorore præsente & tacente, contracto; quia, ut legenti textum patet, non tantùm tacuit, sed expressè consensit soror. Minùs obstat objici solitum c. *Ex parte 14. de Restit. spoliat.* ubi habetur sermo de sponsalibus à patruo nomine neptis contractis; quia ex textu satis patet, sponsalia à patruo acta vel non contracta, vel nulla fuisse; & bene ibidem observat Glossa v. *Præsente.* Accedit, quòd *c. un. §. fin. de Desponsat. impub. in 6.* per textum suprà *n. 7.* jam allegatum de solis parentibus dispositum habeatur, quòd, si nomine prolium præsentium, & non contradicentium, vel absentium, & postea ratihabentium, sponsalia contrahant, ea valida existant, consequenter ad alios, etsi propinquos, extendi non debeat; præsertim cùm agatur de perpetua obligatione statum hominis concernente, circa quem pro suis liberis parentes etiam ex naturali affectu magis solliciti meritò de Jure censentur, quàm alii, quantumvis propinqui.

15 Sic ulteriùs, quia in Jure ad formam & valorem stipulationis regulariter requiruntur verba utriusque stipulantis. *l. 1. pr. ff. de Verb. Oblig.* ibi: *Stipulatio non potest consici, nisi utroque loquente &c.* Ideo Regula fallentiam secundam regulariter patitur in stipulationibus, utpote in quibus tacens & non contradicens pro tacitè consentiente minimè haberi potest.

Fallit *tertiò* in Superioribus; qui tacent, & non 16
contradicunt in casu, quo sine magna turbatione, strepitu externo, aut proprio gravi damno contradictio fieri nequit, aut aliàs rem jam desperata apparet: tunc enim tacentes, & non contradicentes consentire neutiquam præsumendi sunt. *arg. Reg 70. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Culpâ caret, qui scit, sed prohibere non potest.* Strein *hic n. 2. & fin.* cum aliis à se allegatis *arg. c. Nihil 2. de Præscript.* ubi Papa Italiæ Patriarchæ retorquet: *Nihil cum scandalo, nihil cum forali strepitu vobis fecisse meminimus; sed illud vos scire credimus, taciturnitatem, atque patientiam nostram futuris posse nocere Pontificibus in rebus pauperum præjudicium non faturum.* Quæ fallentia etiam ad alios non superiores à Doctoribus ob paritatem rationis meritò extenditur, & inducitur, minùs è bland ri sibi posse Principes de tacentium & non contradicentium subditorum consensu, quando illos collectis steuris & tributis excessivè ac injustè gravant: quod idem dic de inferioribus dominis directis subditos nimium gravantibus; quia miselli subditi in hujusmodi casibus tacentes non tam voluntariè consentire, quàm metu majoris mali coactè dare censendi sunt.

Fallit *quartò* in casu, quò fur sciente, & non con- 17
tradicente domino rem illius furripit; quia in tali casu dominus consentire non præsumitur, sed actionem contra furem instituere potest: cùm sic in odium furti Jura specialiter flatuant. *l. Si quis 91. ff. de Furtis.* ibi: *Si quis scit, sibi rapi, & quia non potest prohibere, quievit, furti agere potest: at si potuit prohibere, & non prohibuit, nihilo minùs furti eget.*

Fallit *quintò*, & quidem universaliter, quotiescunque de consensu vel dissensu tacentis, & non 18
contradicentis verum non extat dubium, sed ex circumstantiis & conjecturis verisimilibus apparet, eum tacendo consentire noluisse. Barbos. *hic*, cum aliis, ad longum deducens, Regulam, *Tacens consentire videtur*, tantùm locum habere in dubio, in quo de Jure præsumitur consentire, qui tacet, & non contradicit, cùm facilè posset, prout desumitur ex verbo *videtur*; hinc si circumstantiæ, & conjecturæ tollunt dubium, & verisimilibus pro dissensu militant, præsumi consensus prudenter non amplius potest: ideò in sensu Regulæ n. 4. posito notanter additum est: *& contrarium ex conjecturis non apparet.*

REGULA XLIV.

Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Differt à priori; quia præsens de confessione, vel negatione: prior de consensu agit.*
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
4 *Tacens interrogatus à non Judice nec fatetur, nec negat.*
5 *Quare tacens censeatur consentire, & non fateri?*
6 *Legitimè interrogatus à Judice tacens habetur pro confesso.*
7 *Sicus & ille, qui ad articulos non respondet.*
8 *Qui duobus sibi propositis ad unum respondet, & ad alterum tacet, hoc fateri censetur.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. qui tacet. 142. ff. de R. J.* ibi: *Qui tacet, non utique fatetur: sed tamen verum est, eum non negare.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Hanc Regulam minimè convenire cum præcedenti, ut perperam putabant nonnulli, sed multùm differre ab ea; cùm in priori agatur de consensu, an, & quando ex taciturnitate præsumi possit: præsens verò Regula de confessione, & negatione, & non nisi in casu interrogationis procedit, utrùm videlicet confiteri, vel negare censeatur, qui ab alio interrogatus nihil respondet, sed tacet.

Resp. II. Verus sensus Regulæ sequens est: *Qui* 3
ad interrogationem alterius tacet, regulariter nec confiteri, nec negare præsumitur. Ratio est; quia inter negare & confiteri tanquam duo membra datur medium, silere nempe & tacere, uti cum Glossa observant Dynus & Vivianus *hic*: & meritò, eò quòd, licèt in immediatè sibi contrariis exclusio unius sit inclusio alterius, & econtra, ac unum necessariò inesse debeat, uti sit in sanitate, & infirmitate, numerò pari, & impari, cùm unum alterum necessariò excludat, corpus siquidem aut sanum, aut infirmum esse debet, & tempore, quo sanum est, infirmum esse nequit, ac econtra: numerus par, aut impar esse debet: si par est, impar esse non potest, & è converso:

sanus: aliter tamen res se habeat in extremis habentibus medium; cùm nullum necessario insit, sed tertium medium, ac subsistere valeat, prout contingit in colore albo & nigro, quorum nullus necessariò inest, cùm res tertium aliquem colorem flavum aut rubrum habere queat. Hinc similiter, quia inter confiteri & negare medium silere, & tacere, ac se ipso tare potest, quin insit confiteri, aut negare; justus est Regulæ sensus: qui ad interrogationem alterius tacet, nec fatetur, nec negat.

4 Declaratur exemplis: sic v. g. in casu, quo quis extra judicium, vel etiam in judicio à non Judice interrogatur, an non hunc vel illum percusserit: an non hoc vel illud abstuletit: hunc vel illum verbali injuriâ affecerit: an non mutuas pecunias mille florenorum à se acceperit, sicque debeat: si tacet, nec fateri, nec negare censetur. *arg. l. Si filius. 19. ff. de Interrog. in Jure faciend.* & ratio præter jam dictam est; quia respondere non tenetur. Et profectò misera foret hominum conditio, si quis cuivis interroganti affirmando, vel negando positive respondere teneretur; cùm sæpissimè interest tacere, & nihil respondere, sicque medium inter negationem & confessionem tenere.

5 Cur autem tacens præsumatur consentire, & non confiteri, in ratione alleganda divisi sunt Doctores: melior videtur, quam affignat Barb. *hic. n. 9.* videlicet, quia consensus est actus voluntatis eligentis & quiescentis, qui actus adesse meritò præsumitur, dum quis contradicere facilè posset, & non facit per dicta in præcedenti Regula: confessio verò consistit in affertione veri aut falsi, quorum nullum afferit, qui tacet.

6 Quæritur II. An? & quas Fallentias patiatur Regula præsens? Resp. eam fallere *Primò* universaliter, quoties quis in judicio à Judice legitimè interrogatur: sic enim interrogatus, qui tacet, pro confesso habetur, vel etiam in sui damnum pro negante. *l. de Ætate. 11. §. 4. de Interrog. in Jure faciend.* ibi: *Qui tacuit apud Prætorem, in ea causa est, ut institutæ actioni in solidum conveniatur, quasi negarit, se hæredem esse.* Ratio est; tum quia hoc ipsò, quòd legitimè interrogatus, & respondere obligatus taceat, justam præsumendi causam præbet, veritatem contra se flare, eamque eum tacite fateri velle: tum quia à Judice legitimè interrogatus, respondere omittens contumax reputatur, ac propterea in pœnam contra se confessus in effectu habetur. *cit. l. De ætate. 11. §. 4.* ibi: *nam qui omnino non respondet, contumax est: contumaciæ autem pœnam hanc ferre debet, ut in solidum conveniatur, & quia prætorem contemnere videtur.*

Fallit *secundò* in quovis illo, qui in judicio ad po- 7
sitiones, seu articulos, ab adversario propositos, & à Judice approbatos respondere jussus tacet, vel sine causa respondere recusat; quia etiam talis confiteri censetur, & pro confesso habetur. *c. 2. de Confess. in 6.* ibi: *Si reus, vel procurator ipsius positionibus ab adversario sibi factis interrogatus, jussusque à Judice respondere absque rationabili causa recusset, aut nolit, seu contumaciter se absentet, haberi debet super iis, de quibus in eisdem positionibus interrogatus extitit, pro confesso.* Ratio est, quæ in priori fallentia.

Fallit *tertiò*, quando alicui in judicio objician- 8
tur duo, & is unum negat, vel in eo se excusat, ad alterum verò tacet, censetur enim hoc tacitè fateri. *c. Nonne. 5. de Præsumpt.* ibi luminarium sic habet: *qui ex duobus illatis alterum negavit, reliquum affirmare præsumitur*; textus verò sic sonat: *Duo quippe illata fuerunt ei: unum negavit, alterum tacendo concessit.*

REGULA XLV.

Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Obscurum, verisimilius, & plerumque, quid?*
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
Verisimilitudo pro veritate habetur. Ibid.
4 *De ordinatis contingentibus fiunt leges.*
5 *Ordo procedendi in obscuris.*
6 *Declaratur Regula exemplis juris. & seqq.*
7 *Substitutio facta filio evanescit; si hic liberos procreat.*
8 *Mulier metu meritis monasterium ingressa non censetur ibi tacitè professa, quamdiu causa metus durat.*
9 *Solvitur objectio contra Regulam.*

1 DEsumpta habetur hæc Regula ex *l. In obscuris. 114. ff. de R. J.* ibi: *In obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quid per verba, *In obscuris*, dicere velit Regula, satis patet ex dictis ad Regulam XXX. *In obscuris minimum est sequendum. n. 2. & 3.* ubi videndum. Per *verisimillus* autem intelligitur id, quod prudenter consideratis considerandis circumstantiis, & aliis ad genuinam veritatem servientibus, veritati magis consentaneum apparet. Per *plerumque* verò id denotatur, quod in ejusmodi, de quibus quæritur, actibus, negotiis, contractibus, dispositionibus communiter & ordinariè fieri solet, ac in regione fieri consuevit. Hinc

Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Quando-* 3
cunque vera intentio, mens & voluntas statuentis, agentis, contrahentis, disponentis &c. aliunde certò vel sufficienter non apparet, illud sequendum, judicandum, & tenendum est, quod prudenter, & æquè animò consideratis considerandis ad cognoscendam veritatem servientibus circumstantiis, veritati magis consentaneum, seu conforme apparet: vel, *quod in hujusmodi, de quibus quæritur, actibus, negotiis, aut dispositionibus communiter & ordinariè fieri solet, ac in Regione fieri consuevit. arg. l. Semper in Stipulationibus. 34. ff. de Reg. Jur.* cujus textum allegavimus in Regula *XXX. n. 3.* cum Concordant. Ratio Regulæ quoad primam partem, de sequendo verisimili, est, quia verisimilia quasi pro veritate habentur. *arg. l. Cum quid. 3. ff. de Rebus creditis, si certum petatur.* adeo ut idem reputetur, veritatem pro se habere, & præsumptionem in verisimili fundatam pro se habere: unde post Jason benè advertit Strein. *hic. n. 2. arg l. Licet Imperator. 74. ff. de Legat. I.* & verisimilitudo onus probandi nonnunquam in adversarium rejiciat *arg. l. Sive possideris 16. C. de Probation.* ac non nisi validioribus probationibus elidi valeat. *l. Non est verisimile. fin. ff. quod metûs caus.*

Secundæ verò partis, videlicet, quòd deficiente 4
verisimili id attendatur, quod plerumque seu communiter & ordinariè fieri solet, ratio hæc est; quia sicut Legislatores non de iis, quæ raro, sed quæ frequenter contingunt, leges & jura condunt. *l. Ex hic. 4 & l. Nam ad ea. 5 ff. de Legib.* ibi: *Nam ad ea*

potiùs debet aptari jus, quæ & frequenter & facilè, quàm quæ perrarò eveniunt. Sic etiam intentio & mens privatim disponentium & contrahentium in defectu alterius certitudinis juxta communiter & ordinariè fieri solita præsumi, & colligi debet. *arg. l. Certi conditio. 9. §. 8. ff. de Reb. credit.* præsertim in Regione, in qua versamur. *l. Semper. 34. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Si non apparet, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in Regione, in qua actum est, frequentatur.*

5 Ut proin circa obscura sequens procedendi, præsumendi & sequendi ordo sit: & quidem Primò videndum, an non aliunde rei veritas, & quod actum est, appareat: hoc enim verè cognitum omnino sequi, & tenere oportet; quia justum & æquum est, ut contrahentium voluntates & pacta custodiantur *c. 1. de Pactis.* ibi: *aut inita pacta suam obtinent firmitatem, aut conventus (si se non cohibuerit) Ecclesiasticam sentiat disciplinam. Dixerunt universi: Pax servetur, pacta custodiantur. & l. Semper. 34. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Semper in stipulationibus, & in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est.* Secundò, si de hoc certò vel sufficienter non constat, id præsumendum, sequendum, & tenendum, quod prudenter consideratis considerandis verisimilius apparet juxta tenorem hujus Regulæ. Tertiò, si verisimilius non apparet, id inspiciendum, & sequendum est, quod plerumque, seu communiter, & ordinariè fieri solet, juxta præscriptum præsentis Regulæ, præsertim in Regione, in qua res acta est *cit. l Semper.* per textum *n. præced.* jam allegatum. Quartò, si neque hoc haberi potest, *minimum* sequendum, & tenendum est *cit. l Semper.* ibi: *Quid ergo, si neque Regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id, quod minimum est, redigenda summa est.* & *Reg. 30. de Reg. Jur. in 6.* ibi: *In obscuris minimum est sequendum,* cùm in hoc partes certò conveniant, & errandi periculum magis declinetur juxta dicta superiùs ad hanc Regulam, *n. 4.*

6 Declaratur etiam & firmatur ulteriùs Regula, sensusque illius exemplis Juris: Sic enim *primò*, ut exempli ficat Gloss. *hic.* si maritus cum priùs corrupta diu cohabitat, & posteà mulier ex causa impotentiæ viri divortium petat, vir autem potentem se asserat, viro creditur, nisi impotentia manifesta sit, textu claro *can. Si quis. 3. can. 33. q. 1.* Quia verisimilius est, virum non defuisse suo officio.

Sic pariter 2. si quis proprium filium instituit hæ- 7
redem, eique substituit Cajum, præsumitur substitutio facta sub conditione: si filius meus sine liberis decesserit. *l. Cùm avus. 102. ff. de Condit. & Demonst.* Cùm nec verisimile, nec usu receptum sit, quòd quis intendat filio aliquem substituere, si filius ipse liberos progenerat. *l. Generaliter. 6. ℣. Cùm autem. C. de Instit. & substit.* ibi: *Cùm autem invenimus excelsi tegenii Papinianum in hujusmodi casu, in quo pater filiis suis substituit, nullâ liberorum ex his procreandorum adjectione habitâ, optimo intellectu dispositisse, evanescere substitutionem, si is, qui substitutione prægravatus est, pater efficiatur, & liberos sustulerit; intelligentem, non esse verisimile, patrem, si de nepotibus cogitaverit, talem fecisse substitutionem.*

Sic 3. si mulier metu mortis à viro inferendæ ad 8
monasterium fugit, ibique, quamdiu causa dura, permanet, tacitè professa non censetur; quia verisimile est, eam perseverâsse in monasterio ex eadem causa, ex qua fuit ingressa, consequenter causa cessante, mortuo nempe viro, egredi, & alteri nubere posse, textu expresso *c. 1. de His, quæ vi met. cauf.*

Objici contra Regulam communiter solet. In ju- 9
diciis probatio necessariò concludere debet, nec sufficit ostendere, rem sic esse posse, sed necesse est, probare, eam revera sic esse. *arg. l. Matrem. 17. C. de Probat.* cum Concord. ergo verisimilitudo ad rem nihil facit. Sed Resp. Probationem concludentem necessariam esse tunc, quando haberi potest: secus esse, si haberi nequit; in tali enim casu ad præsumptionem, præsertim in verisimilitudine fundatam, ex utroque Jure in subsidium datur recursus. Hinc, prout suprà de Regula XXX dictum, ita & de præsenti dicitur, quòd sit *subsidiaria.*

REGULA XLIV.

Is, qui in Jus succedit alterius, eo Jure, quo ille, uti debebit.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Successor alius est universalis: alius particularis: & quis?*
3 *Successor universalis, præsertim hæres, activè & passivè succedit in omne jus defuncti.*
4 *Etiam hæres particularis succedit taliter quoad partem, cujus est hæres.*
5 *Successoribus universalibus æquiparantur etiam Prælati Ecclesiastici, qui proin debent solvere debita defuncti nomine Ecclesiæ facta.*
6 *Successor etiam particularis succedit activè & passivè, quod prior dominus circa rem particularem habuit.*
7 *Excepta actione personali, quæ ad eum non transit: nec nocet ei mala fides prioris domini, bene verò successori universali.*
8 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
9 *Declaratur exemplis. & tribus seqq.*
Successor universalis, v. g. hæres, debet solvere omnia debita defuncti. ibid.
10 *Idem debet facere successor in Regno.*
11 *Successor potest convenire vi rejecipti contra antecessorem impetrati.*
12 *Defuncti jus ita inhæret hæredi, ut propter hoc subinde etiam aliunde sita perdere debeat.*
13 Mors omnia solvit: *quomodo intelligendum?*
14 *Donator potest revocare ex causa donationem, non item hæres illius: & quare?*
15 *Marito circa dotem majus jus competit, quàm hæredi illius; quia est privilegium personale.*
16 *Fallit Regula 1. in Mandato. 2. In Contractu Societatis. 3. In precario.*
1. 7. 4 *In donationibus inter virum & uxorem.*
1. 8. 5 *Universaliter in omnibus Privilegiis personalibus.*

DEsumpta habetur hæc Regula ex *l Qui in Jus.* 1
177. ff. de Reg. Jur. ibi: *Qui in jus, & dominium alterius succedit, jure ejus uti debet.* Cui concordat *Regula 79. de R. J. in 6.* ibi: *Nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur.*

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem Notandum cum Dyno & Strein *hic. n. 1.* duplicem esse & dici *Successorem*: in jus alterius. Universalem videlicet, & particularem, seu, quod idem est, singularem. *Universalis* est, qui in universum, seu in totum jus alterius succedit, ejusque personam repræsentat, uti sunt hæres, bonorum possessor, & ex

Tre-

Trebellianica possessor, fideicommissarius, qui etiam propriè successores vocantur, quia in jus universum defuncti succedunt *l. quoties. 9. §. 12. ff. de Hered. instit. l. Prætor. 117. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Prætor bonorum possessorem hæredis loco in omni causa habet. l. In pari. 128. ff. eod. His, qui in universum jus succedunt, hæredis loco habentur*, junctâ *l. Nihil. 24. ff. de V. S.* ibi: *Nihil est aliud hæreditas, quàm successio in universum jus, quod defunctus habuit.* Successor *Particularis*, seu *Singularis* est, qui non in totum jus, sed in certam aliquam rem, vel jus alterius succedit, uti sunt legatarii, donatarii, emptores &c. qui propriè successores in rem appellantur. *l. Quædam. 9. §. Is autem. ff. de Edendo. & l. Etiam. 8. ff. de Jurejur.* ibi: *Etiam si in rem successerint.* cum Concord. Hoc Notatò

3 Resp. I: Regula de successore universali tam activè, quàm passivè intelligenda est: Activè quidem; quia omne jus agendi, excipiendi, fruendi &c. tam reale, quàm personale, etiam mixtum, & in rem scriptum, quod priùs competebat defuncto, competit postea hæredi. Passivè verò; quia jus agendi, excipiendi &c. quod alicui competebat contra defunctum, competit eidem etiam contra hæredem ipsius. Dynus *hic*: cum communi aliorum. *arg. pr. Instit. de perpet. & temp.* Ratio est, tum; quia defunctus, & hæres ipsius, fictione Juris pro una eademque persona habentur. *Novell. 48. pr.* ibi: *Cùm utique nostris videtur legibus, unam quodammodo esse personam hæredis, & ejus, qui in eum transmisit hæreditatem*; consequenter jus, quod uni activè vel passivè competit, etiam alteri competere debet: cùm non deheat una eademque res, vel persona diversorsum censeri *c. Cùm in tua. 30. de Decimis.* Tum, quia nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur. *c. Nemo 79. de Reg. Jur. in 6.* consequenter, si defunctus jus exceptionis habuit, exceptionem etiam hæres pati debet: si fundum servitute affectum transtulit, servitute eâdem etiam apud hæredem fundus manebit affectus.

4 Quæ cuncta intelligenda non tantum de hærede universali, sive ex asse, sed etiam de hærede ex parte tantùm; quia quod juris in toto, idem etiam in qualibet parte illius est *l. Quo tota 76. ff. de Rei vindicat.* ibi: *Quæ de tota re vindicanda dicta sunt, eadem & de parte intelligenda sunt.* ut proin sicut hæres ex asse ex toto, sic hæres ex parte, pro ea parte in qua hæres est, personam defuncti repræsentet, jure illius activè & passivè fruatur, & utatur, licèt in partibus reliquis pro extraneo habeatur. *l. Si adulta. 6. de Hæredit. act.*

5 Successoribus universalibus æquiparantur etiam Prælati Ecclesiastici tam sæculares quàm Regulares; cùm etiam ad hos, tanquam legitimos successores, ab antecessoribus jus agendi, & excipiendi activè, ac passivè, nomine Ecclesiæ, vel Monasterii transeat: ut proin successor pacta antecessoris, nomine Ecclesiæ inita, servare teneatur *can. Eleutherius. 30. can. 18. q. 2.* & gesta ab ipso rata habere *c. Quoniam 14. de Offic. del. g.* ac debita eodem contracta solvere *c. 1. de Solut.* ibi: *Sicut filius debita patris solvere tenetur, ita Prælatus suî prædecessoris pro Ecclesiæ necessitate contracta.* Hæc tamen, quoad Prælatos, intellige de illis gestis & pactis, quæ nomine Ecclesiæ, & aliàs legitimè sunt facta: privatas siquidem obligationes antecessoris Prælati, vel aliàs illegitimè factus successor præstare non tenetur. *c. Veniens. 8. de Transact.* ibi: Summarium sic habet: *Transactio facta de Rebus Ecclesiæ per Prælatum sine Superioris consensu non obligat successorem* Ratio subjungitur in textu illis verbis: *Cùm inter personas facta potiùs, quàm inter Ecclesias videatur: nec pacta inter alios acta aliis obesse putantur.* patetque ampliùs ex traditis *Lib. I. Tit. 10. de Illis quæ à Prælat. sine consensu Cap. & Lib. III. Tit. 13. de Rebus Eccles. alienand.*

Porrò successorem particularem, seu singularem 6
quod attinet, de eo etiam Regula intelligenda venit, ita, ut in hunc quoque, facta rei traditione, tota causa, idemque jus activè & passivè transeat, quod in eadem re prior dominus habuit *l. Alienatio. 67. ff. de contrahend. Empt.* ibi: *Alienatio cùm fit, cum sua causa dominium ad alium transferimus, quæ esset futura, si apud nos esset mansisset; Idque toto Jure Civili ita se habet: præterquam si aliquid nominatim sit constitutum*, junctâ *l. Traditio. 20 ff. de Acquirend. rer. domin.* ibi: *Quoties autem dominium transfertur ad eum, qui accipit, tale transfertur, quale fuit apud eum, qui tradit. Si servus fuit fundus, cum servitutibus transit: si liber, uti fuit. Et si forte servitutes debebantur fundo, qui traditus est, cum jure servitutum debitarum transfertur.*

Ea tamen differentia inter universalem, & parti- 7
cularem successorem notanda est, quòd actio merè personalis non transeat ad successorem singularem sine cessione nec contra eum. *l. Quod sæpe. 35. §. Si res. ff. de contrah. Empt.* ibi: *qui alienam rem vendiderit, cùm is nullam vindicationem, aut conditionem habere possit, ob id ipsum damnandus est; quia si suam rem vendidisset, potuisset eas actiones ad emptorem transferre. & l. quædam. 9. §. Is autem. ff. de Edend.* cum Concord. à Dyno citatis *hic n 7.* Hinc expediti Juris est, quòd legatario, donatario, emptori, tanquam successori singulari non noceat mala fides legantis, donantis aut vendentis, quin præscribere valeat. *l. An vitium. 5. ff. de diverf. tempor. præscript.* ibi: *An vitium auctoris, vel donatoris, ejusque, qui mihi rem legavit, mihi noceat; si fortè auctor meus injustum invitum possidendi non habuit, videndum est? Et puto, neque nocere, neque prodesse: nam denique & usucapere possum, quod auctor meus usucapere non potuit.* Dum e contra mala fides noceat successori universali, seu hæredi, ita, ut hic rem à defuncto mala fide possessam nullo modo præscribere valeat, prout cum communi aliorum latè probavimus lib. II. Tit. 26. à n. 134. Item contra hæredem, hæreditario nomine conventum, etiam dolo actio datur. Dynus *hic. l. Hæredibus. 13. ff. de Dolo.* ibi: *Item adversus hæredes de dolo actio erit danda.*

Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Qui in* 8
alterius dominium, vel jus sive universale, sive particulare successit, eodem jure, quod ille alter habuit, activè & passivè uti potest, & debet; seu, eodem jure, quo prior, in sui favorem gaudet, idemque, quod prior, contra se sustinere debet. Per Jura & rationes jam allegatas. Solùm addendum est, Regulam non tantum de proximis, seu immediatis sed etiam mediatis, & posterioribus hæredibus, tanquam successoribus procedere. Strein *hic. num. 3.* & ratio est; quia etiam hæredis hæres appellatione hæredis venit.

Declaratur Regula ulteriùs, præter jam adducta 9
adhuc aliis Juris exemplis; & quidem præcipuè, quòd, sicut successor alterius, jure illius in sui favorem gaudet per dicta sic jura contra illum, & exceptiones passivè sustinere, ac reales obligationes ejusdem præstare debeat; si enim hæres tam necessarius, quàm extraneus solvere tenetur omnia debita defuncti, sive ex vero, sive quasi contractu, sive aliunde contracta; sic etiam pœnas pecuniarias, ad quas defunctus damnatus fuit, solvere debet hæres. *l. Commissa. 14. ff. de Publican. & Vectigal.*

Sic etiam successores in Regno & Principatu ser- 10
vare debent pacta & contractus antecessorum. *arg. c. 1. de Probat.* alias enim nemo esset, qui cum illis commercium habere vellet, quòd in detrimentum

ipsius

ipsius boni publici redundaret; uti post Baldum in *l. Principes. ff. de Legibus.* bene observat Strein *lite num.* 4.

11 Sic rursus successor potest convenirii vi rescripti contra antecessorem impetrati. *arg. c. Dilect. 17. de Foro comp.* et. & ibi conveniri potest & debet hæres, ubi conveniendus erat defunctus. *l. Hæres absens. 19. pr. ff. de Judiciis*: ibi: *Hæres absens ibi defendendus est, ubi defunctus, & conveniendus.* Sic etiam laicus hæres Clerici, lite cum defuncto jam contestata, coram Judice Ecclesiastico conventur, & econtra. Strein *hic.* cum communi DD. *arg. l. Venditor. 49. ff. eod.* quorum ratio est, quia hæres cum defuncto fictione juris eadem censetur esse persona. *Novell. 48. pr.*

12 Porro defuncti jus activè & passivè in hæredi adhæret, ut etiam impediat ea, quæ aliàs eidem aliunde competunt; sic enim si mater bona paterna filii vendit, quamvis malè agat, tamen si filius hæres matris esse velit, non potest sic vendita recuperare, dicendo: ego hæc vendita bona reperio, non ut hæres matris, sed ut bona mea à patre mihi relicta. *l. Cùm à Matre. 14. C. de Rei vindic.* Sic etiam, si filius rem aliquam, paterno testamento alienari prohibitam extra familiam malè vendat, non potest hujus vendentis hæres alienationem revocare, dicendo, se in re alienata fuisse substitutum, consequenter eam à defuncto non potuisse alienari. *l. Filiusfamilias. 114. §. 15. ff. de Legat. I. & l. Vindicantem ff. de Evict.*

13 Objici solet contra Regulam: Mors omnia solvit. *Novell. 22. cap. 20. pr.* Ergo Jura non transeunt ad hæredem. Sed Respond. hoc intelligendum esse de meræ personalibus, talibus, quæ personæ ita sunt propria, ut alteri convenire nequeant, indèque cum ipsa pereant: qualia sunt vota meræ personalia, quæ morte voventis omnia solvuntur, & extinguuntur, nec ad hæredes transeunt, uti cum communi aliorum diximus *Lib III. Tit. 34. de Voto & voti redempt. n. 4.* Item quoad crimina, & pœnam criminalem, sic ulteriùs progrediatur pœna, quàm delicta. *l. 6 sanximus. 22. C. de Pœnis*, ibi: *Peccata igitur suos teneant Authores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum.* nisi fortè ex delicto defuncti aliquod commodum ad hæredem pervenerit; circa hoc enim etiam hæres tenetur, & conveniri potest. *l. In Hæredem. 26. ff. de Dolo. Nè alieno scelere detur. l. un. C. ex Delictis defunct. & l. Quod diximus. 16. §. 2. ff. quod met. caus. gest.* ibi: *Quod turpiter, vel scelere quæsitum est, ad compendium hæredis non debet pertinere.* Secus est de realibus juribus, quæ minimè solvuntur morte, per dicta & probata hactenus.

14 Objicitur 2. Donator habet jus revocandi donationem ob ingratitudinem donatarii, quod tamen jus non competit hæredi, textu expresso *c. fin. de Donat.* ibi: *Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore juris potuit eam revocare: si forte in ipsum impias manus injecerit, aut sibi atroces injurias, seu graves rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit; quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores.* junctâ *l. fin. C. de Revocat. Donat.* R. P. cum Gloss. *in cit. c. fin. v. Etenim.* Jus revocandi donationem ideo non competere hæredi quia donator tacendo & non revocando, sicque moriendo præsumitur injuriam ingrato donatario remisisse, forsitan eo fine, ut & ipse facilius veniam impetret à Deo suorum peccatorum. Remittens autem jus suum nec ipse amplius illud revocare potest, multò minùs hæres ipsius. *can. quàm periculosum. 8. can 7. q. 1.* ibi: *nec recipere id postmodum potuerit, quod semel cessit.* & *l. Quæritur 14. §. 9. ff. de Ædilit. Edict.* ibi: *Remittentibus enim actiones jure non est regressus dandus.*

Objicitur 3. Marito illud privilegium competit, 15
ne conveniatur de restituenda dote ultra id, quod commodè potest. & tamen hæres illud totum restituere debet. *l. Marianum. 12. ff. Soluto Matrim.* ibi: *Marianum in id, quod facere potest, condemnari, exploratum est: sed hoc hæredi non esse præstandum.* ergo hæres non succedit in omne jus defuncti. Resp. Hoc esse privilegium merè personale mariti quâ talis indeque sicut alia privilegia merè personalia cum persona extingui. *l. Quia tale. 13. ff. Soluto Matrim.* ibi: *Quia tale privilegium personale est, & cum persona extinguitur.*

Quæritur II. An, & quales Fallentias habeat 16
Regula XLVII? Resp. Quamvis Regula aliàs procedat in omnibus contractibus, tamen Fallit 1. in Mandato *l. Qui negotia. 34 §. 1. ff. Mandati. 2.* in Contractu Societatis *l. Actione. 65. §. 9. ff. pro Socio.* ibi: *Morte unius Socius dissolvitur — nec hæres socii succedit.* 3. in Precario; licet enim precarium etiam ad hæredem illius, qui precario concessit, transeat: tamen non transit ad hæredem illius, qui precario rogat. *l. Cùm precario. 12. §. 1. ff. de Precario.* ibi: *Precario rogatio, & ad hæredem ejus, qui concessit, transit: ad hæredem autem ejus, qui precario rogavit, non transit; quia ipsi duntaxat, non etiam hæredi, concessa possessio est.*

Fallit 4. in Donationibus inter virum, & uxo- 17
rem; hæ enim à donantibus revocari possunt, non item ab hæredibus ipsorum, sed confirmantur morte donantis. *l. Cùm hic status. 32. §. 2. ff. de Donation. inter virum & uxorem*: nisi donans ante mortem pœniteat, & donationem revocet tacitè vel expressè. *cit. l. Cùm hic status. §. 4.* ibi: *Sed ubi semel donatorem pœnituit, etiam hæredi revocandi potestatem tribuimus, si appareat, defunctum evidenter revocâsse voluntatem.* junctô *c. fin. eod.* ibi: *quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacitè vel expressè.* Quando autem tacitè revocata censeatur donatio inter virum & mulierem, sufficienter declaratum habetur *lib. IV. Tit. 20. de Donation. inter virum & uxorem. §. 1. à num. 21.*

Fallit 5. & quidem universaliter in cunctis privi- 18
legiis meræ personalibus, utpote quæ ad successorem nunquam transeunt, sed cum persona extinguuntur, prout in simili jam diximus suprà *nu. 15.* Quia universaliter juxta *l. In omnibus. 68. ff. de Reg. Jur. In omnibus casibus id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat.* Concordat *Regula 7. de Reg. Jur. in 6. Privilegium personale personam sequitur, & cum persona extinguitur.*

REGULA XLVII.

Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Intelligenda est de sola ignorantia facti:*
3 *Et quidem alieni.*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
5 *Declaratur exemplis: & seqq.*
7 *Papa per suas leges non censetur derogare statutis*

tis & consuetudinibus locorum, nisi exprimat.
8 *Ubi præsumitur scientia, allegans ignorantiam, eam probare debet.*
9 *Potest probari triplici modo.*
10 *Fallit Regula in notoriis, & in iis, quæ scire debemus ex officio.*

1 HÆc Regula multùm concordat cum Regula XIII. *de Reg. Jur. in 6. Ignorantia facti, non juris excusat.* eamque ulteriùs declarat: & desumta censetur ex iisdem legibus.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis Regula ista generaliter loquatur, tamen de sola Ignorantia Facti, non Juris intelligenda venit, uti post Dynum benè observat Gloss. hic communiter recepta, quia eorum, quæ juris sunt, non ignorantia, sed scientia regulariter præsumitur, indeque ignorantia eorum non excusat, per dicta suprà ad *cit. Reg. 13. de Reg. Jur. in 6.*

3 Immo non de quavis, sed de alieni duntaxat facti ignorantia intelligenda est; quia propria facta ignorare, nemo prudenter præsumitur, per dicta ad *cit. Reg. 13.* ubi etiam declaratum habetur, quid sit Ignorantia ut sic: & quid ignorantia Juris & facti, proprii & alieni.

4 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Facti alieni Ignorantiam habere in dubio quivis præsumitur, nisi probetur, eum tale factum scivisse.* Ratio Regulæ est, quia, uti jam suprà ad *Reg. 13. n. 10.* dictum est, facta aliena ferè innumera, ac diversa sunt, indeque etiam experientissimos & prudentissimos facilè latere, & fallere possunt, uti dicitur *l. 2. ff. de Jur. & Facti Ignorant.* consequenter stante dubio in judiciis Ignorantia meritò præsumitur, ita, ut onus probandi scientiam transferatur in adversarium, qui, si eam non probet, hoc ipsò jam Ignorantia facti ex præsumptione, sufficienter probata, & ignorans pro excusato habetur, uti post Gloss. in *l. 1. C. ad S. C. Macedon.* benè docet Barb. *hic n. 2.*

5 Declaratur, & firmatur Regula exemplis Juris: Sic enim si quis in Clericum clericaliter non incedentem, indeque ex præsumptione ignorans, eum esse Clericum, manus violentas injiciat, non excommunicatur. *c. si vero. 4. de Sent. Excom.* Sic etiam dominus ignorare præsumitur, servum suum militiæ nomen dedisse, indeque servi restitutionem petere potest *l. super servis 6. C. qui militar. poss.* Sic insuper tutor præsumitur ignorare, se tutorem esse constitutum, ac propterea pupillus adversarius probare tenetur, illum hoc scivisse. *l. Hoc autem 6. ff. de Administratione, & Periculo Tutor.* ibi: *Hoc autem, quod cognovit tutor, pupillus probare debebit.*

6 Sic ulteriùs ignorare præsumitur pars litigans, sententiam definitivam contra se latam fuisse, ac propterea fatalia appellandi ei non currunt, nisi à die notificatæ sententiæ. *l. 1. §. fin. ff. quando appelland.* ibi: *si adversum absentem fuerit pronuntiatum, biduum, vel triduum, ex quo quis scit, computandum est, non ex quo pronuntiatum est.*

7 Sic rursus Summi Pontifices, quia præsumuntur ignorare particulares consuetudines, & statuta locorum, tanquam quid facti, eis per constitutionem generalem derogare non censentur, nisi exprimant, eleganti textu *c. 1. de Constit. in 6.* ibi: *Licèt Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur; quia tamen locorum specialium & personarum singularum consuetudines & statuta (cùm sint facti, & in facto existant) potest probabiliter ignorare, ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem à se noviter editam (nisi expressè caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare.*

Objicitur autem contra Regulam: Dantur multi 8
casus, in quibus etiam facti alieni ignorantia non præsumitur, sed probari debet: sic enim *c. fin. qui Matrim. accus. poss.* disponitur, ne quis admittatur ad accusandum matrimonium prævisis denuntiationibus in facie Ecclesiæ contractum, nisi juramentò affirmet, & probet, se impedimentum matrimonii prius ignorâsse. Pariter non admittitur ad impugnandam electionem, pro qua votum dedit, etiamsi dicat, se inhabilitatem electi antea ignorâsse, nisi juramentò talem ignorantiam probet *c. Nulli 8. de Elect. in 6.* ibi: *de hujusmodi autem ignorantia fidem faciat propriò juramentò v.* cum Strein. *hic*, & aliis, hos & similes casus non obesse Regulæ; quia hæc tantùm dicit, *in dubio* præsumi ignorantiam facti, non autem ibi, ubi cessante dubio militat rationabilis præsumptio, & verisimilitudo contra allegantes ignorantiam facti alieni; in hujusmodi enim casibus allegans ignorantiam, eam probare tenetur. Et ideo, quia in præfatis Juris casibus talis præsumptio etiam habetur, allegans ignorantiam, eam probare meritò adigitur. Loquendo enim de primo casu, merito suspectus est ille, & præsumitur contra illum, qui matrimonium prævisis denuntiationibus in facie Ecclesiæ contrahi scivit, & tacuit, postea primum sub prætextu ignorantiæ matrimonium accusare vult: sicut & ille, qui electionem etiam suô votô factam, prætextu prius ignoratæ inhabilitatis in electo impugnat; cùm ipse de habilitate eligendi diligenter prius inquirere ex officio obligatus fuisset.

Porrò in casibus, in quibus allegans ignorantiam, 9
eam probare tenetur, ob præsumptionem sibi contrariam, potest eam probare triplici modô, uti benè *hic* advertit Vivian. & quidem primò, medio juramentô, *arg. cit. c. fin. qui Matrimon. accus. & c. Nulli. 8. de Elect. in 6.* Secundò, probando id, ex quo necessariò sequitur, te ignorâsse, v. g. quia fuisti tunc furiosus, phreneticus, *arg. c. Cùm dilectus 3. de Success. ab intest.* Tertiò, probando id, ex quo non quidem necessariò, attamen verisimiliter sequitur, te ignorâsse, puta, quia fuisti ablens. Gloss. *hic.*

Quæritur II. An, & quibus Fallentiis subje- 10
cta sit Regula XLVII? Resp. Eam fallere 1. in iis, quæ sunt publica, & notoria. Vivianus *hic* cum communi aliorum; quia in his non ignorantia, sed scientia præsumitur, per Jura allegata supra ad *Reg. 13 n. 19.* Fallit 2. ob dictam rationem in iis, quæ quis etiam in facto ex officio indagare, & scire tenetur. cùm scire, & scire debere, ac facile posse æquiparentur, per Jura citata in memorata *Reg. 13. n. 9.* indeque facti ignorantia non excusat Pastorem juxta *c. quamvis 10. de R. J.* ibi: *Non enim potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.* Fallit 3. ita, ut non tantùm facti alieni juxta Regulam, sed etiam facti proprii præsumatur ignorantia in casu, de quo diximus ad sæpe *cit. Reg. 13. n. 11.*

REGULA XLVIII.

Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.

ipsius boni publici redundaret; uti post Baldum in *l. Principes. ff. de Legibus.* bene observat Strein *lite num.* 4.

11 Sic rursus successor potest convenirii vi rescripti contra antecessorem impetrati. *arg. c. Dilect. 17. de Foro comp.* et. & ibi conveniri potest & debet hæres, ubi conveniendus erat defunctus. *l. Hæres absens. 19. pr. ff. de Judiciis*: ibi: *Hæres absens ibi defendendus est, ubi defunctus, & conveniendus.* Sic etiam laicus hæres Clerici, lite cum defuncto jam contestata, coram Judice Ecclesiastico conventur, & econtra. Strein *hic.* cum communi DD. *arg. l. Venditor. 49. ff. eod.* quorum ratio est, quia hæres cum defuncto fictione juris eadem censetur esse persona. *Novell. 48. pr.*

12 Porro defuncti jus activè & passivè in hæredi adhæret, ut etiam impediat ea, quæ aliàs eidem aliunde competunt; sic enim si mater bona paterna filii vendit, quamvis malè agat, tamen si filius hæres matris esse velit, non potest sic vendita recuperare, dicendo: ego hæc vendita bona reperio, non ut hæres matris, sed ut bona mea à patre mihi relicta. *l. Cùm à Matre. 14. C. de Rei vindic.* Sic etiam, si filius rem aliquam, paterno testamento alienari prohibitam extra familiam malè vendat, non potest hujus vendentis hæres alienationem revocare, dicendo, se in re alienata fuisse substitutum, consequenter eam à defuncto non potuisse alienari. *l. Filiusfamilias. 114. §. 15. ff. de Legat. I. & l. Vindicantem ff. de Evict.*

13 Objici solet contra Regulam: Mors omnia solvit. *Novell. 22. cap. 20. pr.* Ergo Jura non transeunt ad hæredem. Sed Respond. hoc intelligendum esse de meræ personalibus, talibus, quæ personæ ita sunt propria, ut alteri convenire nequeant, indèque cum ipsa pereant: qualia sunt vota meræ personalia, quæ morte voventis omnia solvuntur, & extinguuntur, nec ad hæredes transeunt, uti cum communi aliorum diximus *Lib III. Tit. 34. de Voto & voti redempt. n. 4.* Item quoad crimina, & pœnam criminalem, sic ulteriùs progrediatur pœna, quàm delicta. *l. 6 sanximus. 22. C. de Pœnis*, ibi: *Peccata igitur suos teneant Authores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum.* nisi fortè ex delicto defuncti aliquod commodum ad hæredem pervenerit; circa hoc enim etiam hæres tenetur, & conveniri potest. *l. In Hæredem. 26. ff. de Dolo. Nè alieno scelere detur. l. un. C. ex Delictis defunct. & l. Quod diximus. 16. §. 2. ff. quod met. caus. gest.* ibi: *Quod turpiter, vel scelere quæsitum est, ad compendium hæredis non debet pertinere.* Secus est de realibus juribus, quæ minimè solvuntur morte, per dicta & probata hactenus.

14 Objicitur 2. Donator habet jus revocandi donationem ob ingratitudinem donatarii, quod tamen jus non competit hæredi, textu expresso *c. fin. de Donat.* ibi: *Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore juris potuit eam revocare: si forte in ipsum impias manus injecerit, aut sibi atroces injurias, seu graves rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit; quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores.* junctâ *l. fin. C. de Revocat. Donat.* R. P. cum Gloss. *in cit. c. fin. v. Etenim.* Jus revocandi donationem ideo non competere hæredi quia donator tacendo & non revocando, sicque moriendo præsumitur injuriam ingrato donatario remisisse, forsitan eo fine, ut & ipse facilius veniam impetret à Deo suorum peccatorum. Remittens autem jus suum nec ipse amplius illud revocare potest, multò minùs hæres ipsius. *can. quàm periculosum. 8. can 7. q. 1.* ibi: *nec recipere id postmodum potuerit, quod semel cessit.* & *l. Quæritur 14. §. 9. ff. de Ædilit. Edict.* ibi: *Remittentibus enim actiones jure non est regressus dandus.*

Objicitur 3. Marito illud privilegium competit, 15
ne conveniatur de restituenda dote ultra id, quod commodè potest. & tamen hæres illud totum restituere debet. *l. Marianum. 12. ff. Soluto Matrim.* ibi: *Marianum in id, quod facere potest, condemnari, exploratum est: sed hoc hæredi non esse præstandum.* ergo hæres non succedit in omne jus defuncti. Resp. Hoc esse privilegium merè personale mariti quâ talis indeque sicut alia privilegia merè personalia cum persona extingui. *l. Quia tale. 13. ff. Soluto Matrim.* ibi: *Quia tale privilegium personale est, & cum persona extinguitur.*

Quæritur II. An, & quales Fallentias habeat 16
Regula XLVII? Resp. Quamvis Regula aliàs procedat in omnibus contractibus, tamen Fallit 1. in Mandato *l. Qui negotia. 34 §. 1. ff. Mandati. 2.* in Contractu Societatis *l. Actione. 65. §. 9. ff. pro Socio.* ibi: *Morte unius Socius dissolvitur — nec hæres socii succedit.* 3. in Precario; licet enim precarium etiam ad hæredem illius, qui precario concessit, transeat: tamen non transit ad hæredem illius, qui precario rogat. *l. Cùm precario. 12. §. 1. ff. de Precario.* ibi: *Precario rogatio, & ad hæredem ejus, qui concessit, transit: ad hæredem autem ejus, qui precario rogavit, non transit; quia ipsi duntaxat, non etiam hæredi, concessa possessio est.*

Fallit 4. in Donationibus inter virum, & uxo- 17
rem; hæ enim à donantibus revocari possunt, non item ab hæredibus ipsorum, sed confirmantur morte donantis. *l. Cùm hic status. 32. §. 2. ff. de Donation. inter virum & uxorem*: nisi donans ante mortem pœniteat, & donationem revocet tacitè vel expressè. *cit. l. Cùm hic status. §. 4.* ibi: *Sed ubi semel donatorem pœnituit, etiam hæredi revocandi potestatem tribuimus, si appareat, defunctum evidenter revocâsse voluntatem.* junctô *c. fin. eod.* ibi: *quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacitè vel expressè.* Quando autem tacitè revocata censeatur donatio inter virum & mulierem, sufficienter declaratum habetur *lib. IV. Tit. 20. de Donation. inter virum & uxorem. §. 1. à num. 21.*

Fallit 5. & quidem universaliter in cunctis privi- 18
legiis meræ personalibus, utpote quæ ad successorem nunquam transeunt, sed cum persona extinguuntur, prout in simili jam diximus suprà *nu. 15.* Quia universaliter juxta *l. In omnibus. 68. ff. de Reg. Jur. In omnibus casibus id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat.* Concordat *Regula 7. de Reg. Jur. in 6. Privilegium personale personam sequitur, & cum persona extinguitur.*

REGULA XLVII.

Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Intelligenda est de sola ignorantia facti:*
3 *Et quidem alieni.*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
5 *Declaratur exemplis: & seqq.*
7 *Papa per suas leges non censetur derogare statutis*

tis & consuetudinibus locorum, nisi exprimat.
8 *Ubi præsumitur scientia, allegans ignorantiam, eam probare debet.*
9 *Potest probari triplici modo.*
10 *Fallit Regula in notoriis, & in iis, quæ scire debemus ex officio.*

1 HÆc Regula multùm concordat cum Regula XIII. *de Reg. Jur. in 6. Ignorantia facti, non juris excusat.* eamque ulteriùs declarat: & desumta censetur ex iisdem legibus.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis Regula ista generaliter loquatur, tamen de sola Ignorantia Facti, non Juris intelligenda venit, uti post Dynum benè observat Gloss. hic communiter recepta, quia eorum, quæ juris sunt, non ignorantia, sed scientia regulariter præsumitur, indeque ignorantia eorum non excusat, per dicta suprà ad *cit. Reg. 13. de Reg. Jur. in 6.*

3 Immo non de quavis, sed de alieni duntaxat facti ignorantia intelligenda est; quia propria facta ignorare, nemo prudenter præsumitur, per dicta ad *cit. Reg. 13.* ubi etiam declaratum habetur, quid sit Ignorantia ut sic: & quid ignorantia Juris & facti, proprii & alieni.

4 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Facti alieni Ignorantiam habere in dubio quivis præsumitur, nisi probetur, eum tale factum scivisse.* Ratio Regulæ est, quia, uti jam suprà ad *Reg. 13. n. 10.* dictum est, facta aliena ferè innumera, ac diversa sunt, indeque etiam experientissimos & prudentissimos facilè latere, & fallere possunt, uti dicitur *l. 2. ff. de Jur. & Facti Ignorant.* consequenter stante dubio in judiciis Ignorantia meritò præsumitur, ita, ut onus probandi scientiam transferatur in adversarium, qui, si eam non probet, hoc ipsò jam Ignorantia facti ex præsumptione, sufficienter probata, & ignorans pro excusato habetur, uti post Gloss. in *l. 1. C. ad S. C. Macedon.* benè docet Barb. *hic n. 2.*

5 Declaratur, & firmatur Regula exemplis Juris: Sic enim si quis in Clericum clericaliter non incedentem, indeque ex præsumptione ignorans, eum esse Clericum, manus violentas injiciat, non excommunicatur. *c. si vero. 4. de Sent. Excom.* Sic etiam dominus ignorare præsumitur, servum suum militiæ nomen dedisse, indeque servi restitutionem petere potest *l. super servis 6. C. qui militar. poss.* Sic insuper tutor præsumitur ignorare, se tutorem esse constitutum, ac propterea pupillus adversarius probare tenetur, illum hoc scivisse. *l. Hoc autem 6. ff. de Administratione, & Periculo Tutor.* ibi: *Hoc autem, quod cognovit tutor, pupillus probare debebit.*

6 Sic ulteriùs ignorare præsumitur pars litigans, sententiam definitivam contra se latam fuisse, ac propterea fatalia appellandi ei non currunt, nisi à die notificatæ sententiæ. *l. 1. §. fin. ff. quando appelland.* ibi: *si adversum absentem fuerit pronuntiatum, biduum, vel triduum, ex quo quis scit, computandum est, non ex quo pronuntiatum est.*

7 Sic rursus Summi Pontifices, quia præsumuntur ignorare particulares consuetudines, & statuta locorum, tanquam quid facti, eis per constitutionem generalem derogare non censentur, nisi exprimant, eleganti textu *c. 1. de Constit. in 6.* ibi: *Licèt Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur; quia tamen locorum specialium & personarum singularum consuetudines & statuta (cùm sint facti, & in facto existant) potest probabiliter ignorare, ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem à se noviter editam (nisi expressè caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare.*

Objicitur autem contra Regulam: Dantur multi 8
casus, in quibus etiam facti alieni ignorantia non præsumitur, sed probari debet: sic enim *c. fin. qui Matrim. accus. poss.* disponitur, ne quis admittatur ad accusandum matrimonium prævisis denuntiationibus in facie Ecclesiæ contractum, nisi juramentò affirmet, & probet, se impedimentum matrimonii prius ignorâsse. Pariter non admittitur ad impugnandam electionem, pro qua votum dedit, etiamsi dicat, se inhabilitatem electi antea ignorâsse, nisi juramentò talem ignorantiam probet *c. Nulli 8. de Elect. in 6.* ibi: *de hujusmodi autem ignorantia fidem faciat propriò juramentò v.* cum Strein. *hic*, & aliis, hos & similes casus non obesse Regulæ; quia hæc tantùm dicit, *in dubio* præsumi ignorantiam facti, non autem ibi, ubi cessante dubio militat rationabilis præsumptio, & verisimilitudo contra allegantes ignorantiam facti alieni; in hujusmodi enim casibus allegans ignorantiam, eam probare tenetur. Et ideo, quia in præfatis Juris casibus talis præsumptio etiam habetur, allegans ignorantiam, eam probare meritò adigitur. Loquendo enim de primo casu, merito suspectus est ille, & præsumitur contra illum, qui matrimonium prævisis denuntiationibus in facie Ecclesiæ contrahi scivit, & tacuit, postea primum sub prætextu ignorantiæ matrimonium accusare vult: sicut & ille, qui electionem etiam suô votô factam, prætextu prius ignoratæ inhabilitatis in electo impugnat; cùm ipse de habilitate eligendi diligenter prius inquirere ex officio obligatus fuisset.

Porrò in casibus, in quibus allegans ignorantiam, 9
eam probare tenetur, ob præsumptionem sibi contrariam, potest eam probare triplici modô, uti benè *hic* advertit Vivian. & quidem primò, medio juramentô, *arg. cit. c. fin. qui Matrimon. accus. & c. Nulli. 8. de Elect. in 6.* Secundò, probando id, ex quo necessariò sequitur, te ignorâsse, v. g. quia fuisti tunc furiosus, phreneticus, *arg. c. Cùm dilectus 3. de Success. ab intest.* Tertiò, probando id, ex quo non quidem necessariò, attamen verisimiliter sequitur, te ignorâsse, puta, quia fuisti ablens. Gloss. *hic.*

Quæritur II. An, & quibus Fallentiis subje- 10
cta sit Regula XLVII? Resp. Eam fallere 1. in iis, quæ sunt publica, & notoria. Vivianus *hic* cum communi aliorum; quia in his non ignorantia, sed scientia præsumitur, per Jura allegata supra ad *Reg. 13 n. 19.* Fallit 2. ob dictam rationem in iis, quæ quis etiam in facto ex officio indagare, & scire tenetur. cùm scire, & scire debere, ac facile posse æquiparentur, per Jura citata in memorata *Reg. 13. n. 9.* indeque facti ignorantia non excusat Pastorem juxta *c. quamvis 10. de R. J.* ibi: *Non enim potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.* Fallit 3. ita, ut non tantùm facti alieni juxta Regulam, sed etiam facti proprii præsumatur ignorantia in casu, de quo diximus ad sæpe *cit. Reg. 13. n. 11.*

REGULA XLVIII.

Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.

S U M M A R I U M.

1 *Regula unde?*
2 *In sensu disjunctivo sufficit unum verificari: in conjunctivo omnia verificari debent.*
3 *Regula est intelligenda in sensu copulativo: & quare.*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
5 *Cum injuria alterius locupletari dicitur, qui rem alterius injustè accipit, vel retinet; etsi postea perdat:*
6 *Item qui utitur rebus alienis, ut suis parcat: vel diutiùs, quam concessum.*
7 *Regula procedit etiam in causis privilegiatis, vel in pupillis:*
8 *In Republica:*
9 *In Ecclesiis, & Monasteriis.*
10 *Fallit Regula in casu, quo quis Chirographum de mutuò accepta pecunia dedit, quam non accepit.*
11 *Item si quis ex errore judicialiter agnitus est cohæres.*
12 *Qui cum damno quidem, sed absque injuria alterius locupletatur, non agit contra Regulam.*
13 *Privilegia ita debent interpretari, ut vel nullum, vel minus præjudicium afferant tertio.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. jure naturæ.* 206. *ff. de Reg. Jur.* ibi: *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem.* Cui concordat *l. Nam hoc natura.* 14. *ff. de Condict. indebiti.* ibi. *Nam hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem Notandum, controversiam esse inter Doctores, an Regula sit intelligenda in sensu disjunctivo, vel copulativo? Glossa siquidem *hic* post Dynum *hic n.* 1. vult, eam in sensu disjunctivo esse sumendam: consequenter non tantum illum contra Regulam agere, qui locupletatur cum injuria alterius, sed etiam illum, qui sine alterius injuria, attamen cum detrimento, & damno illius locupletatur. Rationem dant; quia Regula in sensu disjunctivo adhibitô terminô *vel* expresse loquitur illis verbis: *cum alterius injuria, vel jactura:* ubi autem sensus disjunctivè ponitur, sufficit unum verificari. *l. Planè.* 94. §. 2. *ff. de Legat.* 1. *l. Si illud.* 27. *ff. de Legat. II.* ibi: *Si illud, aut illud legatum sit, unum legatum est.* junctâ *l. Cùm pupillus* 78 §. 1. *ff. de Condition. & Demonstrat.* ibi: *Disjunctivo modo conditionibus adscriptis, alteram defecisse non oberit, alterâ vel postea adimpletâ.* cum Concord sicut econtra illa, quæ in copulativo sensu per terminum *&* proponuntur, omnia verificari debent, *l. si hæredi* 5. *ff. de Condit. instit.* ibi: *si hæredi plures conditiones conjunctim datæ sint, omnibus parendum est, quia unius loco habentur.* Verùm his non obstantibus,

3 Resp. I. Quamvis Regula in sensu disjunctivo loquatur, tamen in sensu copulativo intelligenda est; consequenter ille duntaxat contra Regulam agit, qui cum damno, & injuria alterius locupletatur: non item ille, qui quidem cum damno, & detrimento alterius, non autem cum injuria illius, sed justô titulô locupletior fit. Magnerius in *cit. l. Jure naturæ. ff. de Reg. Jur.* Menoch. *Consil.* 787 *n.* 19. Taccin. *hic. n.* 1. & alii; Ratio est; tum, quia Regula 206. *ff. de R. J.* ex qua nostra desumitur, etiam in sensu copulativo loquitur: Tum quia terminus disjunctivus *vel* subinde etiam pro termino copulativo *&* in jure sumitur *l. cùm quidam.* 4. §. *Melius itaque. C. de Verb. & Rer. significat.* ibi: *Melius itaque nobis visum est, omni hujusmodi verbositate explosa, conjunctionem aut, pro & accipi, ut videatur copulativô modo esse prolata.* Et quidem tunc præcipuè quando alias sequeretur absurdum, uti in proposito esse videtur; cùm innumeri casus ab hac Regula essent reprobati, qui in jure pro justis habentur, quod utique absurdum videtur; sic enim si cum solo detrimento alterius, sine injuria ejusdem locupletari vi hujus Regulæ non liceret, omnes etiam legitimæ præscriptiones eidem essent contrariæ: item omnia lucra in bello justo reportata: innumera commoda ex variis contractibus cum alterius detrimento justè acquisita: nec non cuncta illa compendia, quæ ob bonum Reipublicæ uni, cum jactura alterius, obveniunt. Hinc

4 Resp. II. Verus Regulæ sensus sequens est: *Nemo debet cum alterius injuria, & jactura, seu detrimento locupletari.* Ratio est; quia non solùm Juris positivi, sed etiam naturalis est; *neminem injustè lædere: suum cuique tribuere,* relinquere, & non auferre *l. Justitia* 10 *ff. de J. & J. &* § *Juris* 3. *Instit. eod.* ut proin meritò ad propositum dicat Eloquentiæ Princeps *lib.* 3. *Offic. Hominis incommodo suum augere commodum magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis.*

5 Dicitur autem qui *cum injuria & jactura alterius* locupletari, qui rem alienam injustè accipit, vel retinet, suisque rebus commiscet, & iis pro suo commode utitur, etiamsi postea apud eum pereant. *l. Si ipsa res.* 18 *ff. quod met. caus. gest.* ibi: *Si ipsa res, quæ ad alium pervenit, in pecuniam, vel aliam rem conversa est, nihil amplius quærendum quis exitus sit, sed omnino locuples factus videtur, licèt postea deperdat.* Item etiam ille, qui ab alterius solutione cum ejusdem injuria se liberat, vel alterum sibi obligat, *l. Cùm Mulier.* 50. *ff. de Donat. inter Virum & Uxor.*

6 Rursus cum injuria & jactura alterius locupletari dicitur, qui, ut parcat suis, utitur rebus alienis, v. g. equis ad vehendum, bobus ad arandum, navibus ad navigandum, curribus, instrumentis, supellectili &c. item, qui re aliena sibi concessa ultra tempus utitur: item qui se suaque res à communi onere subtrahit, & alienas subjicit. Strein. *hic n.* 1. hoc ipsô enim, quòd alienis utens, suas res conservet, locupletior factus censetur, quia pauperior factus non est; cùm aliis suis uti, easque utendo consumere, sicque in illis pauperior fieri debuisset. *l. In pupillo.* 47. *ff. de Solut.* ibi, *Nam hoc ipso, quo non est pauperior factus, locupletior est.*

7 Porro Regula nostra generaliter ad omnes, etiam alias privilegiatas personas, & causas se extendit; quia hæ quoque Juri naturali, in quo Regula nostra fundatur, juxta dictæ *n.* 4. subjectæ sunt, indeque jus suum cuique tribuere, & relinquere, neminem lædere, ac consequenter cum alterius injuria & jactura locupletari non debent: Hinc in specie etiam pupilli ea, ex quibus cum injuria, & jactura fierent locupletiores, restituere vel compensare debent. *l. Si pupilli.* 6. *pr. ff. de Negot. gest.* ibi: *Sed & pupillum, modo si locupletior fuerit factus.* junctâ *l. In pupillo.* 47. & *l. Si pupilli.* 66. *ff. de Solut.*

8 Sic etiam Respublica, etsi Jure pupilli gaudeat, *l. Rempublicam.* 3. *C. de Jure Reipubl.* ibi: *Rempublicam ut pupillam extra ordinem juvari moris est.* tamen cum injuria, & gravamine aliorum lucrum capere non potest; sicut nec Princeps, nec fiscus, *l.* 1. *C. de Naufrag.* ibi: *Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad litus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat: Fiscus meus sese non interponat. Quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur.*

9 Sic ulteriùs Ecclesia quoque, & Monasterium, etsi

res indebitè alienatas repetere possit, tamen pretium pro ea acceptum restituere debet, ne cum injuria & jactura alterius locupletetur, prout jam dictum & probatum habetur *Lib. III. Tit.* 13. *de Reb. Eccles. alien. n.* 56 *& seqq.*

10 Quæritur II. An, & quas Fallentias patiatur Regula XLVIII.? Resp. Eam quoad forum externum fallere *primò* in casu, quò quis alteri chirographum dedit de mutuò accepta ab eo pecunia; in hoc enim casu chirographum habens exigere potest pecuniam in chirographo contentam, licèt eam mutuò nondum dederit, si debitor chirographum intra biennium non repetat, & de non numerata pecunia nullam exceptionem faciat *l. in Contractibus.* 14. *C. de non numerat. pecun.*

11 Fallit *secundò* in foro externo in casu, quo quis cohæres judicialiter agnitus partem hæreditatis accipit, eam restituere non ampliùs tenetur, etsi postea plenè constet, eum verum hæredem de Jure non fuisse. *l. Cùm putarem.* 36. *ff. Famil. Ercisund.* ibi: *Cùm putarem, te cohæredem meum esse, idque verum non esset, egi tecum Familiæ Erciscundæ judicio, & a Judice invicem adjudicationes, & condemnationes factæ sunt: quæro, rei veritate cognita, utrum condictio invicem competat, an vindicatio, & an aliud in eo, qui hæres est: aliud in eo, qui hæres non sit, dicendum est? Respondi: qui ex asse hæres erat, si cùm putares, Titium cohæredem habere, acceperit cum eo familiæ Erciscundæ judicium, & condemnationibus factis solverit pecuniam, quoniam ex causa judicati solvit, repetere non potest.* Dicitur tamen notanter in utraque Fallentia: *quoad forum externum*; quia, uti cum aliis benè advertit Strein. *hic. n.* 3. Taccin. *n.* 10. in foro conscientiæ ille, qui pecuniam, quam mutuam non dedit, repetit, & acquirit, retinere non potest, sed restituere tenetur: sicut & ille, qui sciens, se hæredem non esse, pro tali quibuscunque tandem artibus in foro externo se probavit, partem hæreditatis acceptam restituere debet, ne cum injuria & jactura alterius locupletetur. Nisi forsan hic posterior bona fide credens, se cohæredem esse, litem inceperit, & causam lucratus fuerit; quia tunc authoritate rei judicatæ, quæ ex præsumptione juris, & de jure directam probationem in contrarium non admittente, pro veritate habetur, dominium rei justè acquirit, eo ferè modo, quo in Præscriptione.

12 Fallere Regulam *tertiò* in omnibus, in quibus quis cum damno quidem, sed sine injuria alterius locupletatur, sicque in utroque foro securus est, uti in præscriptione, justo bello, variis contractibus, privilegiis, dicunt illi, qui Regulam in sensu disjunctivo juxta dicta *n.* 2. intelligendam esse volunt. Verùm quia nos eam in sensu copulativo intelligi debere suprà *n.* 3. docuimus, hos casus inter fallentias non numeramus.

13 Illud tamen circa Privilegia specialiter notandum duximus, quod, cùm hæc plerumque aliis aliquo modo præjudicent, ea in dubio ita accipiantur, ut vel nullum, vel minus præjudicium afferant. *arg. c. quòd per novale.* 21. *de V. S. & can. de Ecclesiasticis* 8. *caus.* 25. *q.* 2. ibi: *De Ecclesiasticis Privilegiis, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat; quia, sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis jura sua servemus: Nec cuilibet favente gratiâ, ultra, quàm meretur, impertior, nec ulli hoc, quod sui juris est, ambitu stimulante derogabo: Sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subvehi, dummodo non sit, quod alteri jure ab altero possit opponi.* Dicitur autem notanter: in dubio; quia ubi verba privilegii sunt clara, juxta ea, non obstante aliquâ jacturâ tertii (dummodo in jure jam quæsito non sit) procedendum est; quia juxta Brocardicum: *Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam;* prout ampliùs dictum habetur *lib. I. Tit.* 2. *de Constit.* §. *ibid. num.* 384. *& seq.*

R E G U L A XLIX.

In pœnis Benignior est Interpretatio facienda.

S U M M A R I U M.

1 *Regula unde?*
2 *Est intelligenda, quando verba circa pœnas sunt dubia:*
Ubi pœnæ clarè statutæ, non potest in illis dispensare Judex inferior.
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
4 *Declaratur exemplis.*
5 *Fallit Regula 1. in pœna Excommunicationis, utpote quæ indefinitè posita semper major intelligitur.*
6 *Fallit 2. in delicto Contumaciæ.*
7 *Fallit 3. in interdicto: huic enim si subjicitur civitas, etiam suburbia interdicta censentur.*
8 *Fallit 4. in delictis atrocibus.*
Cogitationis pœnam nemo patitur. Ibid.

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Factum cuique.* 155. *in fin. ff. de Reg. Jur.* ibi: *In pœnalibus causis benigniùs interpretandum est.* Cui concordat *l. Interpretatione.* 42. *ff. de Pœnis.* ibi, *Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potiùs, quàm exasperandæ.*

2 Quæritur 1. Quomodò hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam tantùm procedere in dubio, seu tunc, quando in lege, statuto, vel alia dispositione pœna certa claris verbis non invenitur imposita. Hoc enim ubi invenitur, juxta clarum textum habet Judex procedere, & pœnam nec exasperare, nec mitigare potest, prout jam dictum est *lib.* 1. *Tit.* 2. §. 17. *n.* 428. cùm verba clara non admittant interpretationem per dicta *n. fin.* in præcedenti Regula, & Judex inferior minister duntaxat legis, & executor illius sit, nullam habens in ea dispensandi, aut mutandi potestatem; nec gloriam in severitate, vel clementia affectare debeat. *l. Perspiciendum.* 11. *ff. de Pœnis.* ibi: *Perspiciendum erit judicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quàm causa deposcit; Nec enim aut severitas, aut clementiæ gloria affectanda est: sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est.* Hinc

3 Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Quando in lege, vel alia dispositione verba circa pœnas non certa & clara, sed ambigua sunt, mitior, & benignior interpretatio facienda est.* Ratio est; quia *Odia restringi, & favores convenit ampliari* per Reg. 15. de Reg. Jur. in 6 *Et semper in dubiis benigniora præferenda sunt. l. Semper.* 56 *ff. de Reg. Jur.* atque *In obscuris minimum* (id est, minùs gravans, & obligans) *est sequendum.* Reg. 30 *Jur. in* 6. Siquidem ea *tantò digniora sunt imitatione, quantò excellentiora pietate. can. fin. dist.* 9.

4 Declaratur, & firmatur Regula exemplis Juris; Nam præter ea, quæ ad propositum jam adduximus in explicatione *cit. Regulæ* 15. *&* 30. ac *Lib.* 1. *Tit.* 2. §. 17. si varia pœna pro delicto disjunctivè in Jure inflicta habetur, vi hujus Regulæ mitior eligenda

eligenda est. *can. Eos.* 42. *dist.* 50. *can. Si quis.* 41. *cau.* 24. *q.* 1. Item si verba legis pœnam perpetuam, vel temporalem importare possunt, assumenda est temporalis. *c. Ex litteris.* 11. *de Constit.* ubi Summarium sic habet: *Pœna simpliciter apposita, intelligitur temporalis, non perpetua.* Et uti in illa reperitur verbum: *puniantur, priventur* &c. non addito *lè ipso Jure*, vel *ipso facto*, uti c. *Quia propter.* 42. *de Elect.* intelligendum est de privatione vel punitione per sententiam Judicis, non ipsô factô, aut jure. Glossa *hic* communiter recepta. Si amputanda esset manus, sinistram potiùs, quàm dextram, vel aridam, si quæ habetur, utpote minùs utilem accipere debemus; Nam præter jam allegata Jura universaliter etiam rapienda est occasio, quæ præbeat benigniùs responsum. *l. Rapienda.* 168. *ff. de R. J.* Plura exempla vide apud Gloss. *hic.*

5 Quæritur II. An, & in quibus fallat Regula præsens? Resp. in sequentibus, & quidem 1. Fallit in pœna Excommunicationis. Quandocunque enim sive per sententiam, sive per decretum, sive in Jure imponitur pœna Excommunicationis, non de minori, sed majori intelligenda est. c. *Si quem* 59. *de Sentent. Excomm.* ibi: *Si quem sub hac forma verborum; illum excommunico: vel simili, à Judice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum non tantùm minori, quæ à perceptione Sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione (quæ à communione fidelium separat) esse ligatum.*

6 Fallit 2. in delicto contumaciæ: contra hanc enim Judicem eâ pœnâ, *quæ magis timeri debet*, procedere oportet, uti habetur *c. & §. fin. Ut lite non contestata.* Idque meritò; quia contumacia delictis addita malitiam auget, indeque majore castigatione indiget; præsertim cùm hæc animæ contumaci profit, cujus in Ecclesiasticis præcipua ratio habenda est. Felin. *in c. fin. de Præsumpt.* Barb. in *c. Veniens. de Presbyt. non baptizato.* Strein *hic. n.* 3.

Fallit 3. in materia Interdicti; quia si interdicitur civitas, etiam suburbia censentur interdicta, ne in vilipensionem legis ab interdicta civitate facilè confugiatur ad suburbia: sic pari ratione si interdicitur Ecclesia, etiam Capellæ, & Cœmeterium eidem contigua manent interdicta. *c. Si civitas.* 17. *de Sent. Excom. in* 6. ibi: *Si civitas, castrum, aut villa subjiciantur Ecclesiastico interdicto, illorum suburbia, & continentia ædificia eò ipsô volumus interdicta. Nam licèt prædicta videantur aliàs murorum ambitu terminari: hoc tamen casu ne vilipendi valeat sententia interdicti (quod fieret, si posset in ipsorum suburbiis, vel continentibus ædificiis licitè celebrari ut priùs) expedit interpretationem facere latiorem. Ratione quoque simili si sit Ecclesia interdicto supposita, vel subjecta, nec in Capellis ejus celebrari, nec in cœmeterio ipsius, eidem Ecclesiæ contiguis poterit sepeliri: secus si ei contigua non existant.* 7

Fallit 4. in delictis valde atrocibus: utpote in quibus severiora sunt eligenda. Peckius *hic num.* 8. 8
Taccin *hic. n. fin. arg. l. Divus.* 33. *ff. de Re judicat.* ibi: *rem severè vindica.* adeò ut, licèt aliàs conformiter Regulæ, benignè interpretando verba legis pœnalis cum effectu sint intelligenda *can. Hæc autem verba.* 17. *de Pœnitent. dist.* 1. solaque voluntas, & conatus non sufficiant; quia *cogitationis pœnam nemo patitur. can. Cogitationis.* 41. *de Pœnit. dist.* 1. & *l.* 1. § 2. *ff. quod quisque Juris.* ibi: *Quid enim obfuit conatus, cùm injuria nullum habuerit effectum?* tamen in atrocissimis delictis punitur affectus, licèt non fuerit secutus effectus, ut habetur *l. Si quis.* 5. *C. de Episcop. & Cleric.* ac Gloss in *c. fin.* ℣. *Conatus. de Sponsal.* plures ad propositum citans casus: & specialiter in Jure dispositum habetur de criminibus læsæ Majestatis. *l. Quisquis* 5. *pr. C. ad Leg. Juliæ Majest.* ibi: *eadem enim severitate voluntatem sceleris, quâ effectum, puniri Jura voluerunt.*

REGULA L.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque Diem.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Actus legitimi sunt in duplici sensu: in primo sunt, & vocantur tales, qui legibus existunt conformes.*
3 *In secundo autem sensu, & ad propositum sunt illi, quorum valor in futurum suspendi nequit, indeque conditionis, vel diei appositæ incapaces sunt.*
4 *Conditio alia est de præterito, alia de præsenti, alia de futuro, ultima alia de contingenti, alia de necessario.*
5 *Regula est intelligenda de actibus legitimis in secundo sensu acceptis.*
6 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
7 *Conditionem de præterito, & præsenti omnes actus legitimi recipiunt:*
8 *Sicut etiam conditionem de futuro necessario:*
9 *Nec non conditionem de futuro contingenti, quæ eâ natura actûs necessariò tacitè inest:*
10 *Non item illam, quæ quidem tacitè, sed non ex natura actûs inest.*
Differentia inter hanc, & priorem conditionem. Ibid.
11 *Declaratur Regula exemplis Juris: & seq.*
Solvitur instantia de aditione hæreditatis. Ibid.
12 *Electiones, & postulationes non recipiunt conditionem de futuro:*
13 *Neque Sacramenta, exceptô Matrimoniô: quod tamen etiam vitiatur per appositionem ejus substantiæ contrariam.*
Conditio turpis, vel impossibilis eidem adjectas habetur pro non adjecta, ideòque non invalidat. Ibid.
14 *Censuræ patiuntur appositionem de futuro.*

Regula hæc desumpta habetur ex *l. Actus.* 77. *ff de Reg. Jur.* ibi: *Actus legitimi, qui non recipiunt diem, vel conditionem, veluti emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem.* Quamvis enim aliqui, sed pauci velint, hanc Regulam civilem à canonica differre; cùm hæc universaliter, & indistinctè de actibus legitimis loquatur: civilis verò, hôc ipsô, quòd dicat, *actus legitimi, qui non recipiunt diem vel conditionem*: actusque hujusmodi specificet, tacitè innuat esse etiam aliquos actus legitimos, qui diem, seu certum tempus recipiunt: tamen verior, ac communior, immo quasi certa est opinio eorum, qui dicunt, utramque Regulam invicem convenire, ac in nullo differre; cùm, uti ex sequentibus patebit, nec Regula canonica velit, quòd nullus actus legitimus recipiat adjectionem temporis, vel conditionis, sed tacitè idem dicat, quod civilis: & hæc non solùm illos, quos exempli causâ adduxit, sed etiam plurimos alios legitimos actus diei & conditionis incapaces esse velit. 1

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? 2
& quis verus illius sensus sit? Ante responsionem Notandum hîc cum Barbos. Actus legitimos in duplici accipi sensu: *Primò* quidem, quòd omnes illi sint,

sint, & verè dicantur actus legitimi, qui à Jure scripto, seu lege inventi, introducti, & approbati sunt; quicunque enim talis actus legibus conformis, consequenter legitimus est. Et in hoc sensu non tantùm supra in Regula specificati, sed etiam omnes alii à Jure approbati contractus, utpote legibus & Juri conformes, actus sunt legitimi.

3 *Secundò*, & ad propositum actus legitimi sunt, & vocantur illi, qui vel ex natura sua, vel speciali legis dispositione appositionem conditionis, vel diei, seu temporis non recipiunt: eò quòd statim certò valeant, suumque purum habeant effectum, consequenter tempus, vel conditionem suspensivam valoris non patiantur, & hôc ipsô, si quæ adjicitur, invalidi & nulli evadant, cùm dies vel conditio suspensiva substantiæ, seu essentiæ illorum, quam ex natura, vel speciali dispositione Juris habent, immediatè sit contraria.

4 Prænotandum ulteriùs, conditionem aliam esse *de præterito*, v. g. contraho tecum, si Titius jam est mortuus: aliam *de præsenti*, v.g. si Caius de facto gaudet hoc vel illo officiô: aliam *de futuro*: & hanc ultimam aliam esse *contingentem*, aliam *necessariam*. *Contingens* est v.g. si Cæsar in proximo conflictu reportabit victoriam: *necessaria*, si cras sol orietur: uti magis patebit ex sequentibus. Hoc prænotato

5 Resp. I. ad quæstionem *n.* 2. positam. Regulam non esse intelligendam de quovis actu legitimo juxta primum sensum *n.* 2. declaratum, sed de actibus legitimis in secundo sensu *n.* 3. declarato acceptis: Neque intelligenda est de conditione præterita, aut præsenti, sed de futura, eaque non necessaria, sed contingenti. Quòd non de quolibet actu legitimo Regula intelligatur, Ratio evidens est, cùm omnes actus humani à nostra libera propria voluntate, & consensu, tanquam substantiali puncto proveniant, & dependeant. *l. Consensu.* 2. *ff. de Oblig. & Action.* ibi: *Consensu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, Societatibus, mandatis &c.* junctâ *l. Obligationum substantia.* 3. *ff. eod.* Nam naturalis libertas voluntatis exigit, ut hoc, vel illo modo, sub hac, vel illa conditione quivis contrahere valeat, hoc ipso, quod suæ quisque rei moderator & arbiter sit. *l. in re mandata.* 21. *C. Mandati.* Prout etiam plurimi actus & contractus diem, & conditionem accipiunt, sub eâque legitimè fiunt, uti patet ex *Tit. ff. de Condit. & Demonstrat.* & *Tit. ff. de In diem addictione.* cum Concordant. Probatum ergo manet, quòd Regula intelligi debeat non de quovis, sed de illis duntaxat actibus legitimis, prout in secundo sensu accipiuntur.

6 Resp. II. Verus sensus Regulæ sequens est: *Actus legitimi illi, quorum valor, & effectus in futurum contingentem eventum ex ipsa natura actûs, vel dispositione Juris suspendi nequit, sed statim, ac fiunt, subsistere debent, appositionem conditionis de futuro contingenti, vel diei, aut temporis non recipiunt, seu non patiuntur, indeque appositione unius, vel utriusque illico invalidi, & irriti existunt.* Ita in re omnes: Ratio supra *n.* 3. jam est allegata; quia videlicet appositio conditionis de futuro contingenti, vel temporis futuri substantiæ eorum immediatè contraria est, consequenter facit, quòd appositâ valere nequeat; uti magis patebit ex Juris exemplis infra adducendis.

7 Dicitur autem notanter *conditionis de futuro*: quia conditionem de præsenti, vel præterito etiam præfati actus legitimi omnino recipiunt. Ratio est; quia talis conditio valorem actus non suspendit: cùm hic illico valeat & subsistat, si conditio de præsenti, vel præterito à parte rei, etiam ignorante contrahente vera est, v. g. si dicis: *accepto hæreditatem, vel contraho tecum, si Rex Romanorum de facto adhuc vivit*: vel, *si verum est, quod mercatoribus hoc, vel illud, dederit privilegium*: aditio hæreditatis, & contractus statim à tempore, quo facti sunt, validi existunt, si tunc Rex Romanorum adhuc vixit, vel si præfata privilegia revera dedit: si autem hoc verum non est, actus etiam illico à tempore, quo fiunt, invalidi sunt, textu claro *l. Cùm ad præsens.* 37. *ff. de Reb. credit.* ibi: *Cùm ad præsens tempus conditio confertur, stipulatio non suspenditur; & si conditio vera sit, stipulatio tenet, quamvis tenere contrahentes conditionem ignorent; veluti, si Rex Parthorum vivit, centum millia dare spondes. Eadem sunt, & cùm in præteritum conditio confertur.* Accedit, quòd conditio de præsenti, vel præterito pro vera conditione non habeatur, seu propriè talis non sit. *l. Etiamsi jur.* 3. §. 13. *ff. de Bonis Libert.* ibi: *Si tamen in præteritum collata sit conditio, vel ad præsens, non videtur sub conditione institutus. Aut enim impleta est, & purè institutus est: aut non est, & nec hæres institutus est.* juncto §. *Conditiones.* 6. *Instit. de Verb. Oblig.*

Dicitur notanter ulteriùs: *de futuro contingenti*; 8
quia conditio de futuro necessario, seu quæ necessariò evenire debet, v. g. si dicis: *Contraho, si cras sol orietur*: vel, *si etiam Imperator Turcarum mori debet*: nec pro conditione apposita habetur, nec actum suspendit, vel moratur, sed illius appositione non obstante actus statim valebit. *arg. cit. l. Cùm ad præsens* & *cit.* §. *Conditiones* 6. *Instit. de Verb. Oblig.* ac *l. Si pupillus.* 9. §. 1. *de Novationibus.* ibi: *qui sub conditione stipulatur, quæ omnino extitura est, purè videtur stipulari.* Barbos. *hic. n.* 4. Taccin *hic. n.* 4.

Ubi tamen advertendum, etiam conditionem de 9
futuro contingenti, quæ ex natura actûs tacitè necessariò inest, non suspendere actum, nec vitiare, etsi exprimatur, & actui apponatur: ut si tutoris dationi, quæ est actus legitimus, apponitur hæc conditio: *si satisdederit*: id est, si securitatem per fidejussionem præstiterit: quia licèt hæc conditio sit de futuro contingenti, tamen cùm dationi tutoris ex natura actûs tacitè insit, non suspendit, nec vitiat valorem. Barbos. *hic n.* 19. *arg. l.* 1. & 2. *C. de Tutor. & Curatore, qui satis non dedit.* Sicut etiam non suspenditur, nec vitiatur actus, quando in contractu, vel obligatione deducuntur fructus nascituri, etiamsi hæc conditio expressè apponatur: *si nascentur*; quia hæc conditio ex natura necessariò inest. *arg. l.* 1. *ff. de Condition. & Demonstrat.*

Secus est de conditione, quæ non ex natura actûs 10
inest, sed ab extrinseco, ex libera disponentis voluntate apponitur; hæc enim, licèt tacitè inexistens non vitiet actum, tamen expressè apposita vitiat eundem. Barb. *loc. cit.* ubi differentiam inter præcedentem, & hanc conditionem, illam ponit, videlicet, quòd conditio, quæ ex natura actûs necessariò tacitè inest, etiam expressè apposita non suspendat, nec vitiet actum. Illa verò, quæ ex natura ipsius actûs non inest, licèt tacita non vitiet actum, tamen si ex disponentis voluntate expressè apponitur, legitimum annullet actum. Unde & de hac conditione futura contingenti intelligendum est illud, quod Regulæ civili 77. *ff. de Reg. Jur.* ad finem subjungitur illis verbis: *Nonnunquam tamen actus suprascripti tacitè recipiunt*, (intellige conditiones) *quæ apertè comprehensæ vitium adferunt.*

Cæterùm declaratur & firmatur ampliùs Regu- 11
la, ejusque sensus exemplis Juris: & quidem inprimis illis, quæ ab ipsa Regula Juris Civilis *n.* 1. allegantur; quia omnes ibi recensiti actus sunt etiam inter illos legitimos, qui suspensionem in futurum non patiuntur, sed statim valere, & suum effectum habere debent, consequenter conditionem de futuro contingenti, vel tempus in futurum non recipiunt, sed illius appositione illico invalidi existunt. Nec dicas: hæ-

res quis sub conditione de futuro, atque ad incertum tempus institui potest. §. *Hæres*. 9. *Instit. de Hæred. instit.* ibi: *Hæres & purè, & sub conditione institui potest.* junctâ *l. In tempus.* 62. *ff eod.* ergo etiam saltem aditio hæreditatis cum conditione de futuro contingenti fieri poterit. Resp. enim negando conseq. & paritatem: disparitas est, quòd per aditionem hæreditatis actu induatur repræsentatio testatoris: non item per institutionem hæredis.

12 Sic ulteriùs electiones & postulationes conditionem de futuro non recipiunt. *c. In Electionibus.* 2. *de Election. in* 6. ibi: *In Electionibus & postulationibus, ac scrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa, vel incerta penitus reprobamus.*

13 Sic insuper Sacramenta cuncta (Matrimonio excepto) quia sunt tales actus legitimi, quorum valor, & effectus adhibitâ debitâ materiâ, formâ, & intentione Ministri, suspendi in futurum non potest, conditionem de futuro non recipiunt, Barbos. *hic. n.* 9. Strein. *hic. n.* 2. Taccin. Dicitur tamen notanter: *Matrimoniô exceptô*; quia, etsi conditiones contra substantiam matrimonii militantes illud illico vitient, ac invalident, & conditiones turpes, vel impossibiles pro non adjectis habeantur. *c. fin. de Condit. apposit.* ibi: *Si conditiones contra substantiam conjugii inferuntur, puta, si alter dicat alteri: contraho tecum, si procreationes prolis evites: vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem: aut, si pro quæstu adulterandam te tradas: matrimonii contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu. Licèt aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* tamen aliæ conditiones honestæ etiam de futuro contingenti: v. g. *contraho tecum Matrimonium, si pater meus sit consensurus, si hoc, vel illud officium obtinebis: si Papa* (casu quo potest) *in impedimento inter nos versante dispensabit?* apponi possunt, prout contra nonnullos amplè probavimus *Lib. IV. Tit. 5. de Condit. Apposit.* additis certis cautelis; quamvis Sanchez *lib. 5. de Matrimon. disp. 1. num. 5.* non sine fundamento dicat, in tali casu conditionem non afficere ipsum matrimonium, sed solum consensum.

Volunt aliqui etiam censuras inter actus legitimos in secundo sensu *n. 3.* declarato numerare: verùm minùs rectè, quia ex Jure satis clarè habemus, quòd censuræ diem & conditionem recipiant, ac sub illa ferri valeant, præsertim contra contumaces; valet enim sententia excommunicationis sic lata: nisi Sempronio satisfeceris intra mensem, excommunicatum te esse cognoscas: si interea reus non appellet. *c. Præterea.* 40. *de Appellat.* ibi: *Nisi Sempronio intrà viginti dies satisfeceris, te excommunicatum, vel suspensum, aut interdictum esse cognoscas.* cum Concord. patetque ex praxi Tribunalium. Barb. *hic. n.* 11. Taccin. *hic* cum communi aliorum. 14

REGULA LI.

Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Quid per* Deo dicatum *intelligatur?*
3 *Et quid per verba* ad usus humanos?
Ligna dirutæ Ecclesiæ non debent ad sæcularium profanos usus applicari. Ibid.
4 *Ponitur verus Regulæ sensus.*
5 *Declaratur exemplis. & seq.*
7 *In necessitate Ecclesiæ possunt etiam Calices, & alia vasa sacra vendi.*
8 *Sicut etiam pro redemptione captivorum, vel sublevanda extrema necessitate egentium.*
9 *Servus invitô dominô ordinatus ei restitui debet.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *c. Mancipia.* 3. *de Rerum permutat.* ibi ad finem: *Quod enim semel Deo consecratum est, ad humanos usus transferri non debet.* Concordat *can.* 4. *cau.* 19 *q.* 3. & *c. Ad hæc* 4. *de Religiosis Domibus.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. cum Gloss. & Dyno *hic*, eam præcipuè intelligendam esse non de quibuscumque rebus Deo dicatis, sed de rebus consecratione, vel benedictione Ecclesiastica sacratis, seu *Sacris* effectis: aut publica, præsertim Papali, vel Episcopali Authoritate Ecclesiastica ad cultum divinum, & ministerium sacrum deputatis; siquidem res Ecclesiarum non sacræ, etsi Deo sint dicatæ, ad usus humanos benè transeunt, v. g. fruges terræ, jumenta &c. ad Ecclesiam spectantia, utpote quæ etiam ad usus profanos ob bonum Ecclesiæ vendi possunt; sicut & ipsæ possessiones & bona immobilia Ecclesiarum adhibitâ debitâ solemnitate. *can. sine exceptione.* 52. *cau.* 12. *q.* 2. quia, etsi Deo sint dicatæ, tamen propriè sacræ, seu sacratæ non existunt.

3 Per verba *ad usus humanos* dicere vult Regula ad usus sæculares, seu sæcularium; quia nonnullæ res sacræ, v. g. ligna dirutæ Ecclesiæ quamvis ad usus profanos laicorum applicari non possint, tamen ad usum Clericorum id fieri potest *can.* 38 *de Consecrat. dist.* 1. ibi: *Ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus, in laicorum verò usum non debent admitti.* ubi Glossa *v. ad profectum*, addit: *non tamen indifferenter, sed vel in Capitulo, vel in dormitorio, vel in aliis Religiosis locis, non in coquina, vel vineis pastinandis.*

Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Res, quæ vel per consecrationem, vel per benedictionem sacratæ, vel sacræ factæ sunt, veluti Ecclesiæ, Altaria, Cœmeteria, Monstrantiæ, Calices, Patenæ, paramenta Ecclesiastica, & reliqua sacra supellex: Item Monasteria, Hospitalia, aliaque loca pia, authoritate Papali, vel Episcopali ad usum divinum, sacrum ministerium, causasve pios principaliter ordinata, ad sæcularium, seu laicorum profanos usus transferenda, & adhibenda ampliùs non sunt.* per jura hactenus præsertim *nu.* 1. allegata. Et ratio est; quia reverentia præfatis sacris, seu sacratis rebus debita meritò exigit, ne contra primum, ac principalem finem ad profanos sæcularium usus ampliùs applicentur; cùm qui contra debitam reverentiam facit, sacrilegium committat, juxta dicta & probata ad Regulam juris 7. *de R. J. in Quinto Decretalium*: ubi plura exempla practica etiam ad præsentem Regulam servientia adduximus, quæ ibidem videnda, ne superflua fiat repetitio. 4

Pro majori tamen claritate supra dictis alia adhuc juris exempla adducimus: Sic enim primò, quando Episcopus calicem ad se delatum insciô, vel invito domino consecrat, non potest eum ampliùs Domino laico restituere, sed debet pretium illius exhibere, estque casus specialis, quo quis etiam invitus privatur re sua, 5

re sua. *can. Comperimus.* 2. *cau.* 14. *q.* 6. ibi: *Præcipimus, ut, quia, quod semel consecratum est, eis non valet ulterius restitui, studendum sit, ut ipse Episcopus debeat pretium dare* nisi forsan dominus haberet Capellam Domesticam consecratam, vel saltem benedictam, in qua ex legitima dispensatione Ecclesiastica celebrari valent Missæ; quia in tali casu calix consecratus non restituitur ad profanos usus domini laici, sed ad sacrum usum Sacerdotum Missas ibidem legentium.

6 Secundò prohibetur, ne cadavera mortuorum Altaris aut Ecclesiæ indumentis sacris involvantur. *can. Nemo* 40. *de Consecrat. dist.* 1. neve ad ornamentum nuptiarum, vel ornandas mensas quorumcunque etiam Principum, applicentur *c. Ad nuptiarum* 43 *eod.* ibi: *Ad nuptiarum ornatum divina ministeria non præstentur, ne dum improborum contactu, pompisque sæcularis luxuriæ polluuntur, ad officia sacri mysterii reddantur indigna.* Plura exempla juris vid. *ad cit. Reg.* 7. *de R. J. in quinto Decretalium.*

7 Quæritur II. An, & in quibus Regula LI. fallat? Resp. Præter fallentias, quas explicando cit. Regulam 7. adduximus, eam insuper fallere *primò* in casu necessitatis, quâ laborat Ecclesia, debitis v. g. nimis gravata; in tali enim casu etiam consecratos calices & alia vasa sacra conflata tamen priùs, ac minutatim, sicque quasi execrata, cuivis etiam laico ad profanos usus vendi possunt: nisi forsan aliis venerabilibus locis integra dari queant. *can. Ea enim.* 2. 8. *Præterea. cau.* 10. *q.* 2. ibi: *Præterea si habeat superflua vasa, cùm debitrix sit, nec aliunde solvere valeat, ne quid immobile alienetur, vel distrahatur, ea integra vel aliis locis venerabilibus oblata dentur, vel conflata civilibus aliis vendantur.*

Fallit *secundò*, si venditio vasorum sacrorum pro redemptione captivorum vel alia extrema necessitate egentium sublevanda necessaria videtur. *can. Aurum* 20. *cau.* 12. *q.* 2 ibi: *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus.* & infrà: *cur tot captivi deducti in commercium sunt, nec redempti ab hoste occisi sunt? Meliùs fuerat, ut vasa viventium servares, quàm metallorum. His non posset responsum referri. Quid enim diceres? Timui, ne templo Dei ornatus deesset. Responderet: & ornatus Sacramentorum redemptio captivorum est. Et verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte.* Plura adhuc in hoc canone pro favore pauperum reperiuntur lectu digna. 8

Fallit *tertiò* in servo, qui insciô, vel invitô Dominô sacris Ordinibus ordinatus est: talis enim, etsi per Ordinationem Deo, Ejusque ministerio jam sit dedicatus, tamen Domino suo, etiam ad usus & labores profanos restitui debet. *can. Ex antiquis.* 9. *& can. frequens.* 10. *dist.* 54. junctô *c. de servorum.* 2. *de servis non ordinandis.* ibi, *Si servus fugiens dominum suum qualibet calliditate, aut fraude ad gradus pervenerit Ecclesiasticos, decretum est, ut deponatur, & ejus Dominus eum recipiat.* 9

REGU A LI.

Non præstat Impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.

SUMMARIUM.

1 *Regula hæc universalissima est.*
2 *Quid intelligat Regula per verba:* quod de jure non sortitur effectum?
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
4 *Sponsalia cum minore septenniô non inducit impedimentum.*
5 *Baptismus & Ordo invalidè collati iterari debent.*
6 *Testamentum primum ritè perfectum non revocatur à secundo inchoato, sed necdum perfecto.*
7 *Depositio testis coram incompetente judice facta non impedit, quin alia ei contraria fieri queat coram judice competente.*
8 *Electio nulliter facta repeti potest.*
9 *Ponuntur fallentiæ Regulæ: & seqq.*
Matrimonium ratum nulliter initum præstat impedimentum: non item sponsalia nulliter contracta. Ibid.
10 *Fallit Regula in Procuratore:*
11 *Item in Legato,*
12 *Et judice delegato, utpote qui sententiâ nulliter prolatâ aliam ferre nequit:*
13 *Item in Compromissario, nam hic indignum nulliter eligens, alium eligere nequit:*
14 *Item in delictis.*
Delicta non debent manere impunita.

1 HÆc Regula sicut æquissima, sic etiam universalissima est, utpote in omni materia, atque jure tam quoad forum externum, quàm internum procedens. Cui concordant plura jura, ex quibus desumpta censetur, quæ infrà locô rationis afferemus.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Per verba, *quod de jure non sortitur effectum:* Regula dem vult dicere, ac, *quod de jure nulliter, & invalidè factum est,* consequenter omni juris caret effectu. *Non præstat impedimentum:* id est, prorsus nullam habet consequentiam, nec in minimo impedit, quin alius actus validè fieri queat, sed considerari debet, ac si factum nunquam fuisset. Hinc

3 Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est, *Quidquid de jure nullum, seu invalidum est, consequenter omni caret juris effectu, prorsus nullum causat impedimentum, seu nullatenus impedit, quin alius actus validè & licitè fieri queat.* Ratio sumitur ex variis juris Regulis, & Maximis notoriis, uti ex Regula 64. *de R. J. in* 6. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* ac trito illo Aristot. *Ex nihilo nihil fit & non entis non sunt proprietates.* Item: *Quod nullum est, nullum parit effectum* arg. *l. Si se.* 4. § 6. *ff. de Re judicat.* Nec non, *Aliquid esse nullum, & sine effectu esse paria sunt.* arg. *l. Ex consensu.* 23. §. 1. *ff. de Appellat. & Relat.*

4 Declaratur & firmatur Regula, ejusque sensus exemplis juris. Sic enim in primis Sponsalia cum minore septenniô, consequenter nulliter contracta, non causant impedimentum, seu non impediunt, quò minùs contrahens postea cum matre prioris sponsæ matrimonium inire valeat, nisi forsan prior sponsa post septennium adeptum in priora sponsalia consenserit. *c. Literas.* 4. *de Desponsat. impub.* Ratio ibidem sola additur; *cùm desponsati nec hujusmodi nullæ sint.* Sic pariter sponsalia ex defectu consensûs nulla nullum præstant impedimentum publicæ honestatis, & se habent, ac si omnino contracta non fuissent, sicque non impediunt, quò minùs quævis contrahentium pars cùm consanguinea alterius sponsalia, & matrimonium validè ac licitè contrahere queat. *can. Si verum. cau.* 31. *q.* 2. junctô *c. Accessit.* 5. *de Desponsat. Impub.*

5 Sic ulteriùs licèt aliàs Sacramenta Baptismi, & Ordinis non sint iterabilia, tamen si primò invalidè conferantur, validè ac licitè iterari possunt. *can.*

Quos

Quos à paganis. 52. de Consecrat. dist. 4. ibi: *Quos à paganis baptizatos asseruisti, si ita habetur, ut denuò baptizes in Nomine SS. Trinitatis mandamus.* Et *c. 1. de Presbyt. non baptiz.* ibi: *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.* Ratio unica est; quia, sicut Baptismus à Pagano, ita & Ordo sine baptismo prævio collatus nullí, & invalidi fuerunt, consequenter ita se habuerunt, quasi nullatenus collati fuissent.

6 Sic rursus, etsi liberum cuivis sit, sinum revocare Testamentum per eas, quæ diximus *lib. III. Tit. 26. de Testament. §. 22.* tamen inchoatio secundi testamenti, quò testator primum revocare intendit, huic non obest, si antequam secundum perficiat, morte præveniatur. *§. Ex eo. 7. Inst. quibus modis Testam. infirm.* ibi: *Ex eo autem solo non potest infirmari testamentum, quòd postea testator id noluerit valere: usque adeò, ut, etsi quis post factum prius testamentum, posterius facere cœperit, & aut mortalitate præventus, aut quia eum ejus rei pœnituit, id non perfecerit, divi Pertinacis oratione cautum sit, ne aliàs tabulæ priores jure factæ irritæ fiant; nisi sequentes jure ordinatæ & perfectæ fuerint.* Rationem ibidem hanc unicam subjungit; *Nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est:* consequenter de jure nullum fortitur effectum, sicque prius nullatenus infirmat. Sic insuper si legatarius ex duobus v. g. prædiis disjunctive sibi legatis unum eligit, prout potest, *l. 2. & 4. ff. de Optione, vel Electione legata.* & hæc electio ex certa causa de jure est nulla, potest aliam electionem facere, quia prior, utpotè nulla, juris carens effectu, non præstat impedimentum.

7 Sic etiam in Judiciis, si depositio coram judice incompetente, consequenter de jure nulliter, & invalide fit, non impedit, quin alia, etiam priori contraria, coram judice competente fieri queat; quia prior, utpotè nulla, nullum habet effectum. & considerari debet, ac si facta omnino non fuisset. Gloss. *in Clement. 2. v. Ruè de Test. & Attest.* Taccin. *hic.* arg. *c. Ai si Clerici. 4. de judiciis.* ibi propt. rei Clerici coram judice sæculari etiam confessi, vel convicti de crimine, à pœna immunes declarantur. ibi: *Ai si Clerici coram sæculari judice convicti fuerint, vel confessi, non sunt propter hoc à suo Episcopo aliquatenus condemnandi.* Et ratio est; quia acta coram judice incompetente sunt nulla, consequenter sine ullo juris effectu.

8 Sic in electione quoque, si Electio post publicatum scrutinium de indigno, consequenter nulliter facta appareat, non impedit, quin eligentes novam electionem facere valeant: dummodo communis electio subsecuta non fuerit, & Canonici ex alia ratione ea vice non sint privati jure eligendi. *c. Perpetuò. 7. de Elect. in 6.* cum Concord. Ratio est; quia prior, utpote nulla, nullum præstat impedimentum.

9 Quæritur II. **An**, & quas fallentias patiatur Regula LII.? Resp. Eam fallere *primò*, In Matrimonio rato; hoc siquidem, etsi invalidum (it) dummodo tale non sit ex defectu consensûs) parit impedimentum publicæ honestatis; prout idem jure antiquo etiam sponsalia de futuro præstabant: quod ultimum tamen jure novo Concilii Tridentini correctum fuit. *Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 3.* ibi: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia* (intellige de futuro) *quacunque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit:* Impedimento ex sponsalibus de præsenti, seu ex Matrimonio rato, confurgente manente in salvo, uti de hac materia latè dictum est *Lib. IV. Tit. 4. de Sponsa duorum. à num. 10.*

Fallit *secundò* in Procuratore; quia constitutio 10
hujus etiam legitimè facta tacitè revocata censetur per subsequentem constitutionem alterius, quamvis hæc effectum non fuerit sortita; ut dum posterius constitutus minus recusavit. *c. Non injustè. 14. de Procurat.* ibi: *quoniam dato posteriori, prioris est procuratio revocata.*

Fallit *tertiò* in Legato: hoc siquidem alicui ritè 11
factum, censetur tacitè revocatum, si idem postea alii leget testator, etiamsi posterior legatarius hujusmodi legati sit incapax, consequenter respectu illius legatum invalidum sit. *l. Planè 34 pr. ff. de Legat. I.* ibi: *Planè ubi transferre voluit legatum in novissimum, priori non debebitur: tametsi novissimus talis sit, in cujus persona legatum non constitit.*

Fallit *quartò* in Judice delegato; hic enim, si 12
sententiam de Jure nullam profert, non potest eam revocare, & aliam proferre, sed debet alius Judex deputari. *l. Si* (*ut proponis*) *4. C. quomodo & quando jud.* ibi: Si (*ut proponis*) *pars à versa die feriato, absente, vel ignorante eo, à Judice dato ferri sententiam pro partibus suis, quasi contumaciter decesses, impetravit: non immeritò Præses denuò negotium alterius Judicis notioni terminandum commisit.* Nisi forsan sententia fuisset nulla ob non servatam formam mandati, tali enim in casu adhuc judicare posset, uti observat Pith. *de officio delegati n. 156. arg. l. Quid tamen 21. ff. de Recept. qui Arbitr.*

Fallit *quintò* in compromissario scienter, vel igno- 13
ranter eligente indignum; hic siquidem, etsi nulliter elegerit, sicque electio illius de Jure non sit sortita effectum, tamen alium eligere non amplius potest, sed eligendi potestas devolvitur ad eligentes. *c. Si compromissarius. 37. §. Si verò. de Elect. in 6.* ibi: *Si verò eligit indignum, tunc sive scienter id fecerit (cùm dolus ipsius eis, qui non sunt in culpa, non debeat imputari) sive etiam ignoranter (cùm suo sit functus officio) eligendi potestas (nisi & ipsi scienter electionem talem ratam habuerint) liberè revertitur ad eosdem.* Quæ ratio in textu expressa, videlicet, *cùm suo sit functus officio*, etiam de Judice delegato nulliter sententiante (de quo n. præc.) procedit.

Fallit *sexto* in delictis; quia quamvis hæc iniquè 14
facta non præstent impedimentum, sed habeantur pro infectis, nullumque sortiantur effectum in ordine ad acquirendam utilitatem & commodum delinquentis tamen id efficiunt, ut taxatis à Jure pœnis puniri possint, & debeant, ne delicta impunita liberiùs, & frequentiùs perpetrentur. *can. 1. dist. 50.* ibi: *Si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ: dum pro reversionis spe pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat. & can. 2. ibid. Qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipisci.* Immo licèt aliàs in delictis quoad pœnam attendatur effectus; cum voluntatis pœnam nemo sentire debeat, & solus conatus sine effectu non puniatur, prout dictum & probatum supra ad *Reg. XLIX. n. hn.* tamen juxta pariter ibidem dicta, in delictis atrocibus etiam delinquendi voluntas, & conatus nullo secuto effectu punitur. Quibus concordat *l. Divus Hadrianus. 14. ff. ad Leg. Cornel. de Sicariis.* ibi: *Divus Hadrianus in hac verba rescripsit: in Maleficiis voluntas spectatur, non exitus.*

REGULA LIII.

Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Procedit tam in negativo, quàm affirmativo.*
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
4 *Declaratur exemplis. & seqq.*
5 *Ubi ratione incorporatæ Parochiæ Monasterio competunt decimæ, etiam de Novalibus competunt.*
6 *Qui potest testamentum facere, etiam mortis causâ donare potest.*
7 *Cui non licet minores honores accipere, nec majores acceptare valet.*
8 *Qui diffamare non potest, minùs occidere valet.*
9 *Qui non potest absolvere ab excommunicatione, multò minùs dispensare potest ad Ordinum usum.*
10 *Regula non procedit, si majus & minus sunt diversi ordinis:*
11 *Vel diversa in utroque reperitur ratio.*
12 *Qui potest occidere in adulterio deprehensam, non potest eam adigere ad adulterandum cum eo.*
13 *Fallit Regula, quando forma mandati aliud exigit.*
14 *Quando quis à minore, & non majore expressè prohibetur.*
15 *Fallit in Sacerdote, qui potest sub duplici, sed non sub una specie celebrare.*
16 *In Tutore, utpote qui, si concedente Præfecto potest vendere, tamen oppignorare rem pupillarem non potest.*
17 *Fallit in Præside Provinciarum: & quomodo?*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Non debet. 21. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam tam affirmativè, quàm negativè intelligi posse, ac debere, ita, ut, sicut in sensu affirmativo verum est: *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus,* sic econtra in sensu negativo verum quoque sit: *Cui non licet, quod est minus, utique non licet, quod est majus.* Et quamvis hæc Regula lumine naturæ videatur nota, famoso arguimento à *majori ad minus*, & à *minori ad majus* desumpto: tamen non adeò universalis est, quin patiatur moderationem, & explicationem; cùm non in omnibus, sed illis duntaxat procedat, quando utrumque tam *majus* videlicet, quàm *minus* ejusdem ordinis est, & in utroque eadem reperitur ratio, ac præcipuè si minus in majori contineatur tanquam pars in toto, vel species in genere, uti benè observat Vivianus *hic*, Barbos. *hic n. 1.* plures citans alios. Hinc

3 Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Cui licet, quod est plus seu majus, licet etiam, quod est minus, si minus in majori, tanquam pars in toto, vel species in genere contineatur: aut quando utrumque tam majus, quàm minus ejusdem ordinis est, & eadem in utroque reperitur ratio.* Regulam hanc suadet naturalis ratio, ubi enim minus continetur in majori tanquam pars in toto, vel species in genere, naturaliter necessario sequitur, quòd, si alicui ratione Testamenti, legati, donationis, contractûs, vel alterius dispositionis licet accipere, retinere, distrahere totum, ei licere etiam debeat accipere, retinere &c. partem illius: v. g. si licet alicui accipere, vel retinere totam summam centum florenorum, tanquam majus quid, licebit eidem etiam minus v. g. quinquaginta tanquam partem in illa summa contentam accipere, retinere &c. Item si licet alicui totum fundum occupare, licebit eidem & partem illius tanquam quid minus occupare: Item si licet alicui omnia pecora in fabulo exillentia accipere, naturaliter sequitur, ei licere etiam hoc vel illud pecus in specie ibidem; Eadem naturalis sequela est, quando majus, & minus sunt ejusdem ordinis, & eadem in utroque reperitur ratio, uti patebit ab exemplis Juris statim adducendis. Nam

Declaratur, & firmatur Regula exemplis ex Jure 4
desumptis, quorum plura reperire est apud Giossam *hic*, Strein. Taccin. & alios; & quidem inprimis in sensu affirmativo: Quando licet patri filiam in adulterio deprehensam occidere, licebit ei illam etiam fustigare, verbis objurgare; quia hoc minus est, quàm occidere. *l. Nec in ea. 22. §. 3. ff. ad Leg. Jul. de adult.* ibi: *Sed qui occidere potest adulterum, multò magis contumelia poterit jure adficere.*

Secundò, si alicui Monasterio ratione Parochiæ 5
incorporatæ indistinctim decimas accipere licet, licebit eidem eas etiam de Novalibus capere, cùm hæc respectu illarum quid minus sint. *c. Ex parte 27. de Decimis.* ibi: *Cùm igitur tibi, quod majus est, fit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terræ parochiarum tuarum cum integritate percipias, de Novalibus eas recipere satis potes; quia ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur.* Dicitur autem notanter: *ratione Parochiæ &c.* ob doctrinam *Lib. III. Tit. 30. de Decimis. n. 252. & 153.* de Novalibus optimè traditam.

Tertiò, si alicui licet Testamentum facere, etiam 6
mortis causâ donare licet; quia hoc minus est, arg. *l. Tum is. 25 ff. de Mortis caus. Donat.* Quarto, quia Judici licet juramentum in litem deferre, licebit eidem etiam, quod minus est, videlicet taxationem juramento addere. arg. *l. Videamus 4 §. penult. ff. de In litem Jurand.*

Sequantur exemplia etiam in sensu negativo: & 7
quidem primò si alicui ex prohibitione non licet minores accipere honores, eidem etiam non licebit majores acceptare. *l. Relegatorum. 7. §. 22. ff. de Interdictis & Relegatis.* ibi: *Potest alicui unus honor interdici, sic tamen, ut sicui honore uno interdictum sit, non tantùm eum honorem petere non possit, verum nec eos quoque, qui eo honore majores sunt. Est enim perquam ridiculum, eum, qui minoribus parùm causâ prohibitus sit, ad majores adspirare. Majoribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur.*

Secundò, quia liberto non licet lacessere famam 8
Patroni sui, ei quoque non licebit illum occidere etiam deprehensum in adulterio cum uxore sua, textu clato *l. Si adulterium cum incestu. 38. §. 9. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* addita ratione: *Nam cujus famæ, multò magis vitæ parcendum est.*

Tertiò, qui non potest absolvere Clerici percus- 9
sorem ab excommunicatione, nec ad Ordinum usum cum eo dispensare valet; quia illud ex majus illo *c. Cum illorum. 32. de Sentent. Excom.* ubi etiam ratio additur illis verbis: *cum majora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora.* Sic quartò, si alicui non licet verberare, multò minùs licebit occidere. Strein *hic n. 1.*

Notanter tamen in sensu Regulæ n. 3. additum 10
est: *Si utrumque, tam majus, quàm minus videlicet*

ejusdem ordinis est; quia ubi hæc diversi sunt ordinis, Regula non procedit. Sic enim etsi latrunculatori latrones conquirere, eos supplicio afficere licitum fuerit, tamen de re pecuniaria cognoscendi nulla ei competit potestas *l. Solemus.* 11. *ff. de Judiciis.* ibi: *Latrunculator de re pecuniaria judicari non potest.* Quamvis enim criminaliter judicare majus sit, quàm civiliter; tamen, quia diversi ordinis sunt, à majori ad minus argumentari non licet.

11 Pariter notanter additum est: *Et si eadem in utroque reperiatur ratio*; hæc enim ubi deficit, Regula non procedit. Hinc licèt impertiri absolutionem Sacramentalem majus sit, quàm concedere sepulturam Ecclesiasticam; tamen, quia in utroque eadem non habetur ratio, licitum quidem est, ei, qui in torneamento moritur, & priùs pœnitet, dare absolutionem Sacramentalem, non tamen impertiri sepulturam. *c. 1. de Torneamentis*, ibi: *Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen caret sepulturâ.*

12 Similiter licèt homicidium majus sit, quàm adulterium, vel fornicatio *arg. can. Si quod.* 9. *cau.* 33. *q.* 2. tamen casu, quo in flagranti deprehensam juxta leges licitum est occidere, non licet eandem propterea ad fornicationem adigere; quia diversa in utroque ratio reperitur, & authoritate legis homicidium subinde, fornicatio autem, vel adulterium nunquam licitè fieri potest, uti cum aliis benè advertit Baldus in *l. fin. C. quæ contrà jus & utilitat. public.*

13 Quæritur II. An, & quas fallentias patiatur Regula LIII? Resp. Eam præter alias, præsertim ad Regulam XXXV. positas fallentias, etiam sequentibus subjacere: & quidem universaliter *Primò*, quando forma mandati aliud requirit; hæc enim semper exactè est observanda. Hinc, si alicui Papa jubet provideri de integra Præbenda, non potest eidem etiam volenti dimidia præbenda conferri. *c. Cui de non.* 27. *de Præbend. in* 6. ibi: *Si in Ecclesia, in qua integræ, & dimidiæ præbendæ habentur, mandatur integra præbenda conferri, quamquam ille, pro quo scriptum exstitit, dimidia velit esse contentus, ei de ipsa non poterit provideri. Idem, cùm injungitur provisio alicui de præbenda certi valoris, ut in præbenda minoris valoris, etiam illo volente, mandatum non possit adimpleri. Non enim hujusmodi mandata (quorum fines diligenter servari oportet) debent ad casus alios, quàm expressos extendi.*

Fallit *secundò*, quando quis expressè prohibetur 14
à minori ex causa: sic v. g. si quis ex eo, quia Ordinem minorem injustè contulit, in pœnam privatur potestate conferendi talem Ordinem, quamvis adhuc conferre valeat majorem, vel alium minorem, arg. *can. Si qui Episcopi.* 43. *cau.* 1. *q.* 1. junctâ Glossâ *ibidem v. Illi.* Idem dic, si quis privatur minori ob utilitatem aliorum, vel aliam ob causam.

Fallit *tertiò* in Sacerdote celebrante Missam, ut- 15
pote cui licet, quod plus est, sumptio videlicet Eucharistiæ sub utraque specie, & tamen eidem non licet, quod minus est, eam nempe sub una specie sumere *can. Comperimus.* 12. *dist.* 2. *de Consecrat.* ibi: *Comperimus autem, quod quidem sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

Fallit *quartò* in Tutore; hic enim quamvis ei à 16
prætore concessum sit, quod majus est, videlicet vendere rem pupillarem, non tamen licet eidem, quod minus est, rem talem oppignorare. *l. Si pupillorum.* 7. §. 3. *ff. de Rebus eorum, qui sub tutela &c.* ibi: *Si Prætor tutoribus permiserit vendere, illi obligaverint; vel contra: an valeat, quod actum est? Et mea fert opinio, eum, qui aliud fecit, quàm quod à Prætore decretum est, nihil egisse.*

Fallit *quintò* in Præside universas Provincias re- 17
gente; huic enim quamvis concessum sit, quod plus est, videlicet jus gladii *l. Illicitas.* 6. §. 8. *ff. de Officio Præsidis.* ibi: *Qui universas provincias regunt, jus gladii habent*: & tamen deportare, quod minus habetur, ei non est concessum, *l. Rei.* 2. §. 1. *ff. de Pœnis.* & *l. Inter.* 6. §. 1. *ff. de Interdict. & Relegat.* ibi: *Deportandi autem in Insulam jus Præsidibus provinciæ non est datum.*

REGULA LIV.

Qui prior est tempore, prior est jure.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Procedit tantùm, ubi cæteris paribus par causæ habetur:*
3 *Ac in iis, quæ à voluntate duorum dependent.*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
Principium cujuslibet rei potissima pars est. Ibid.
5 *In pignore & hypotheca ordinariè qui prior tempore, potior est jure:*
6 *Etiamsi prior generalem duntaxat, & posterior specialem hypothecam habeat, & huic pignus actu traditum sit.*
7 *Limitatur tamen hæc doctrina de hypotheca in aliquibus.*
8 *Qui priùs beneficium obtinet, præfertur postea obtinenti.*
9 *Ponuntur varia exempla Regulæ.*
10 *Fallit Regula in privilegiis.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Qui balneum.* 9. *prin.* & *l. Potior.* 11. *ff. Qui potiores in pignore.* junctâ *l. Si fundum.* 3. *C. eod.* ibi: *sicut prior es tempore, ita potior es jure.* Concordat *Reg.* 98. *ff. de R. J.* ibi: *Quotiens utriusque causa lucri ratio vertitur, is præferendus est, cujus in lucrum causa tempore præcedit.*

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? 2
& quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam intelligendam esse *cæteris paribus*, indèque locum habere in iis duntaxat, in quibus utriusque per omnia, solô excepto tempore, *par causa* est, uti benè hic advertit Glossa communiter recepta. Hinc ex duobus emptoribus vel donatariis præsumitur ille, cui priùs res vendita vel donata est, si nulli adhuc est tradita: si verò alicui tradita jam exstitit, is ipse præfertur, cui res priùs tradita fuit, etiamsi alteri priùs fuerit vendita vel donata *l. Quotiens.* 15. *C. de Rei vindicat.* ibi: *Quotiens duobus in solidum prædium jure distrahitur, manifesti juris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem.* quia in utroque par causa non est; cùm posterior non solùm jus ex contractu, sed etiam ex traditione possessionem & dominium habeat: quamvis priori emptori contra venditorem remaneat actio ex empto *cit. l. Quotiens.*

Porro intelligenda est Regula, quòd locum habeat 3
in iis tantùm, quæ pendent à voluntate duorum, uti fit in contractibus. In legibus siquidem, & constitutionibus: item in testamentis, & ultimis voluntatibus, quæ ex voluntate unius, legislatoris videlicet, vel testatoris dependent, semper dispositio posterior attendenda venit, cùm per hanc censeatur revocari prior. *arg. c. 1. de Constit. in 6.* ibi: *Licèt Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur.* Et loquendo de ultimis voluntatibus *l. Si mihi & tibi.* 12. §. 3. *ff. de Legat. I.* ibi: *In legatis novissimæ scripturæ valent: quia mutari causa præcedentis legati vel die, vel conditione, vel in totum ademptione, potest*: ut proin non ex priori, sed ex posteriori legatum habens potior sit jure. Hinc

4 Resp. II. Verus Regulæ sensus sequens est: *Ubi par causa est, à voluntate duorum dependens, inter certantes de juris prælatione, cæteris paribus ille præfertur, qui anterius, seu antiquius jus habet.* Ratio est; tum quia, ut benè argumentatur Vivian. *hic: cujusq; rei potissima pars principium est: l. 1. ff. de Origine Juris.* Tum & præcipuè, quia nemo sine culpa privari potest jure suo, *arg. can. Satis perversum.* 7. *dist.* 56. & *l. Id, quod nostrum est.* 11. *ff. de Reg. Jur.* ibi: *Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.* Hoc autem fieret, si quis, postquam per contractum emptionis v. g. jus ad rem emptam jam acquisivit, illô sine culpa privaretur, & ipsum alteri eandem rem postea ementi, cæteris existentibus paribus, cedere deberet.

5 Declaratur Regula exemplis Juris; & quidem primò circa pignora, vel hypothecas: nam in his ordinariè præferendus est, cui res priùs sive generaliter, sive specialiter, sive tacitè, sive expressè oppignorata exstitit, *l. Potior* 11. *pr. ff. qui potiores in pignor.* ibi: *Potior est in pignore, qui priùs credidit pecuniam*, junctâ *l. Licèt.* 7. *C. eod.* ibi: *Licet iisdem pignoribus multis creditoribus diversis temporibus datis priores habeantur potiores*: & *l. Diversis.* 8. *C. eod.* ibi: *Diversis temporibus eâdem re duobus jure pignoris obligata, eum, qui prior datâ mutuâ pecuniâ pignus accepit, potiorem haberi, certi, ac manifesti juris est.*

6 Nec refert, quod posteriori res specialiter sit oppignorata, & priori generaliter duntaxat *l. Si generaliter* 6. *C. eod.* ibi: *Si generaliter bona sint obligata, & postea res alii specialiter pignori dentur: quoniam ex generali obligatione potior habetur creditor, qui antea contraxit.* Pariter non refert, quòd res posteriori non tantùm oppignorata, sed etiam in pignus actu tradita sit, *l. 2. pr. ff. eod.* ibi: *Qui generaliter bona debitoris pignori accepit, eo potior est, cui postea prædium ex his bonis datur.* Ratio est; quia res transit cum onere suo etiam in casu, quo tacitè tantùm oppignorata exstitit *c. Ex litteris.* 5. *in fin. de Pignoribus.* ibi: *cùm etiam bona viri mulieri sint pro dote tacitè obligata, & cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem.*

Dicitur tamen notanter *ordinariè*; quia doctrina 7
præcedentis num. limitatur in nonnullis casibus, ita ut posterior hypothecarius præferatur priori, veluti 1. Si posterior ad conservandam, vel reficiendam rem hypothecariam mutuò dedit *l. Interdum.* 5. *ff. eod.* 2dò. Quandò posterior ad emendam aliquam rem hac conditione mutuam pecuniam dedit, ut eidem specialiter maneat obligata. *l. Licèt.* 7. *C. eod.* 3tiò. Si habeat hypothecam publicô instrumento erectam, nisi prioris instrumentum esset tribus testibus subscriptum. *l. Scripturas.* 11. *C. eod.* 4tò. Si posterior esset causâ specialiter privilegiata. Plura de jure prælationis vid. *Lib. III. Tit.* 23. §. 3. *de Solution.*

Cæterum declaratur Regula ulteriùs etiam aliis 8
exemplis Juris: uti in beneficiis; qui enim priùs impetravit beneficium, præfertur posteriori idem impetranti, nisi prior dolo, vel negligentiâ illud possidere omiserit, textu expresso *c. Si autem aliquis.* 9. *de Rescript.* Nec refert, si posterior obtentor suum rescriptum priùs præsentaverit, *c. Tibi, qui gratiam.* 12. *eod. in* 6. Verùm, quia materia hæc de Prælatione Rescriptorum suas patitur instantias ac limitationes, vide de ea *lib. I. Tit.* 3. *de Rescript.* §. 4. ubi latè & exactè de eadem tractavimus.

Ulteriùs exemplificat Regulam Strein *hic* in variis: 9
veluti in Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Congregationibus, Communitatibus &c. In his enim, qui tempore præcedit quoad institutionem, receptionem, professionem, cæteris paribus, præcedit posteriores in considendo, incedendo, consulendo, suffragando, participando, ac similibus: quod etiam in infima plebe, & apud Mechanicos artifices observatur. Cujus ulterior ratio est; quia jus, quod ab aliquo acquiritur, illi prodesse debet, qui prior est, nec præpostero ordine decet ultimos in fronte collocare. *arg. c. 1. de Majorit. & Obedient.* ibi: *Sit honoris ista distinctio, ut ipse prior & major habeatur, qui priùs communitatis consilio, & concordi fuerit electione ordinatus.* ac *ibidem* Barbos.

Quæritur II. An, & quas Fallentias patiatur 10
hæc Regula? Resp. Præter fallentias, quas *n.* 5. de pignore & hypotheca jam posuimus, & quæ *n.* 8. remissivè allegantur, specialiter fallit Regula in Privilegiis *arg. l. Privilegia* 32. *ff. de Rebus authorit. Jud. possid.* ubi in ipso textu ratio continetur, quia videlicet *Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa.* Hinc, ut notat Glossa ibid. privilegiatus præfertur non privilegiato in solvendo ac repetendo: & inter duos privilegiatos ille, qui magis est privilegiatus. Quod si verò æqualiter sint privilegiati, id est, *si ejusdem tituli fuerint, concurrunt, licèt diversi tei temporis in his fuerint*, uti expressè habetur *cit. l. Privilegia.*

REGULA LV.

Qui sentit onus, sentire debet commodum, & è contra.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Juxta communem hæc Regula duo habet membra; juxta Strein quatuor: & qualia?*
3 *Per onus & commodum intelliguntur illa, quæ ex rei natura, vel dispositione juris sunt annexa.*
4 *Ponitur verus Regulæ sensus quoad primum illius membrum principale.*
5 *Declaratur exemplis, & seqq.*
Ad emptorem pertinent onera & commoda rei emptæ. ibid.
6 *Parochus administrans divina, debet sentire commoda.*
8 *Usufructuario cedunt arbores demortuæ.*
9 *Creditor fundum in solutum accipiens habet periculum & commodum.*
10 Qui non sentit onus, nec commodum sentire debet; *Declaratur exemplis ibid.*
11 *Ponitur verus sensus Regulæ quoad secundum principale membrum.*
12 *Declaratur exemplis, & seqq.*

ejusdem ordinis est; quia ubi hæc diversi sunt ordinis, Regula non procedit. Sic enim esti latrunculatori latrones conquirere, eos supplicio afficere licitum fuerit, tamen de re pecuniaria cognoscendi nulla ei competit potestas *l. Solemus. 1. ff. de Judiciis.* ibi: *Latrunculator de re pecuniaria judicari non potest.* Quamvis enim criminaliter judicare majus sit, quàm civiliter; tamen, quia diversi ordinis sunt, à majori ad minus argumentari non licet.

11 Pariter notanter additum est: *Et si eadem in utroque reperiatur ratio*; hæc enim ubi deficit, Regula non procedit. Hinc licèt impertiri absolutionem Sacramentalem majus sit, quàm concedere sepulturam Ecclesiasticam; tamen, quia in utroque eadem non habetur ratio, licitum quidem est, ei, qui in torneamento moritur, & priùs pœnitet, dare absolutionem Sacramentalem, non tamen impertiri sepulturam. *c. 1. de Torneamentis*, ibi: *Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepulturâ.*

12 Similiter licèt homicidium majus sit, quàm adulterium, vel fornicatio *arg. can. Si quod. 9. cau. 33. q. 2.* tamen casu, quo in flagranti deprehensam juxta leges licitum est occidere, non licet eandem propterea ad fornicationem adigere; quia diversa in utroque ratio reperitur, & authoritate legis homicidium subinde, fornicatio autem, vel adulterium nunquam licitè fieri potest, uti cum aliis benè advertit Baldus in *l. fin. C. quæ contrà jus & utilitat. public.*

13 Quæritur II. An, & quas fallentias patiatur Regula LIII? Resp. Eam præter alias, præsertim ad Regulam XXXV. positas fallentias, etiam sequentibus subjacere: & quidem universaliter *Primò*, quando forma mandati aliud requirit; hæc enim semper exactè est observanda. Hinc, si alicui Papa jubet provideri de integra Præbenda, non potest eidem etiam volenti dimidia præbenda conferri. *c. Cui de non. 27. de Præbend. in 6.* ibi: *Si in Ecclesia, in qua integræ, & dimidiæ præbendæ habentur, mandatur integra præbenda conferri, quamquam ille, pro quo scriptum exstitit, dimidia velit esse contentus, ei de ipsa non poterit provideri. Idem, cùm injungitur provisio alicui de præbenda certi valoris, ut in præbenda minoris valoris, etiam illo volente, mandatum non possit adimpleri. Non enim hujusmodi mandata (quorum fines diligenter servari oportet) debent ad casus alios, quàm expressos extendi.*

14 Fallit *secundò*, quando quis expressè prohibetur à minori ex causa: sic v. g. si quis ex eo, quia Ordinem minorem injustè contulit, in pœnam privatur potestate conferendi talem Ordinem, quamvis adhuc conferre valeat majorem, vel alium minorem, *arg. can. Si qui Episcopi. 43. cau. 1. q. 1.* junctâ Glossâ *ibidem v. Illi.* Idem dic, si quis privatur minori ob utilitatem aliorum, vel aliam ob causam.

15 Fallit *tertiò* in Sacerdote celebrante Missam, utpote cui licet, quod plus est, sumptio videlicet Eucharistiæ sub utraque specie, & tamen eidem non licet, quod minus est, eam nempe sub una specie sumere *can. Comperimus. 12. dist. 2. de Consecrat.* ibi: *Comperimus autem, quod quidem sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

16 Fallit *quartò* in Tutore; huic enim quamvis ei à prætore concessum sit, quod majus est, videlicet vendere rem pupillarem, non tamen licet eidem, quod minus est, rem talem oppignorare. *l. Si pupillorum. 7. §. 3. ff. de Rebus eorum, qui sub tutela &c.* ibi: *Si Prætor tutoribus permiserit vendere, illi obligaverint, vel contra: an valeat, quod actum est? Et mea fert opinio, eum, qui aliud fecit, quàm quod à Prætore decretum est, nihil egisse.*

17 Fallit *quintò* in Præside universas Provincias regente; huic enim quamvis concessum sit, quod plus est, videlicet jus gladii *l. Illicitas. 6. §. 8. ff. de Officio Præsidis.* ibi: *Qui universas provincias regunt, jus gladii habent*: & tamen deportare, quod minus habetur, ei non est concessum, *l. Rei. 2. §. 1. ff. de Pœnis. & l. Inter. 6. §. 1. ff. de Interdict. & Relegat.* ibi: *Deportandi autem in Insulam jus Præsidibus provinciæ non est datum.*

REGULA LIV.

Qui prior est tempore, prior est jure.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Procedit tantùm, ubi cæteris paribus par causæ habetur:*
3 *Ac in iis, quæ à voluntate duorum dependent.*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
Principium cujuslibet rei potissima pars est. Ibid.
5 *In pignore & hypotheca ordinariè qui prior tempore, potior est jure:*
6 *Etiamsi prior generalem duntaxat, & posterior specialem hypothecam habeat, & huic pignus actu traditum sit.*
7 *Limitatur tamen hæc doctrina de hypotheca in aliquibus.*
8 *Qui priùs beneficium obtinet, præfertur postea obtinenti.*
9 *Ponuntur varia exempla Regulæ.*
10 *Fallit Regula in privilegiis.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Qui balneum. 9. prin. & l. Potior. 11. ff. Qui potiores in pignore.* junctâ *l. Si fundum. 3. C. eod.* ibi: *sicut prior es tempore, ita potior es jure.* Concordat *Reg. 98. ff. de R. J.* ibi: *Quotiens utriusque causa lucri ratio vertitur, is præferendus est, cujus in lucrum causa tempore præcedit.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam intelligendam esse *cæteris paribus*, indèque locum habere in iis duntaxat, in quibus utriusque per omnia, solô excepto tempore, *par causa* est, uti benè hic advertit Glossa communiter recepta. Hinc ex duobus emptoribus vel donatariis præsumitur ille, cui priùs res vendita vel donata est, si nulli adhuc est tradita: si verò alicui tradita jam exstitit, is ipse præfertur, cui res priùs tradita fuit, etiamsi alteri priùs fuerit vendita vel donata *l. Quotiens. 15. C. de Rei vindicat.* ibi: *Quotiens duobus in solidum prædium jure distrahitur, manifesti juris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem.* quia in utroque par causa non est; cùm posterior non solùm jus ex contractu, sed etiam ex traditione possessionem & dominium habeat, quamvis priori emptori contra venditorem remaneat actio ex empto *cit. l. Quotiens.*

3 Porro intelligenda est Regula, quòd locum habeat in iis tantùm, quæ pendent à voluntate duorum, uti fit in contractibus. In legibus siquidem, & cons-

stitutionibus: item in testamentis, & ultimis voluntatibus, quæ ex voluntate unius, legislatoris videlicet, vel testatoris dependent, semper dispositio posterior attendenda venit, cùm per hanc censeatur revocari prior. *arg. c. 1. de Constit. in 6.* ibi: *Licèt Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur.* Et loquendo de ultimis voluntatibus *l. Si mihi & tibi. 12. §. 3. ff. de Legat. I.* ibi: *In legatis novissimæ scripturæ valent: quia mutari causa præcedentis legati vel die, vel conditione, vel in totum ademptione, potest*: ut proin non ex priori, sed ex posteriori legatum habens potior sit jure. Hinc

4 Resp. II. Verus Regulæ sensus sequens est: *Ubi par causa est, à voluntate duorum dependens, inter certantes de juris prælatione, cæteris paribus ille præfertur, qui anterius, seu antiquius jus habet.* Ratio est; tum quia, ut benè argumentatur Vivian. hic: *cujusq; rei potissima pars principium est*: *l. 1. ff. de Origine Juris.* Tum & præcipuè, quia nemo sine culpa privari potest jure suo, *arg. can. Satis perversum. 7. dist. 56. & l. Id, quod nostrum est. 11. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.* Hoc autem fieret, si quis, postquam per contractum emptionis v. g. jus ad rem emptam jam acquisivit, illô sine culpa privaretur, & ipsum alteri eandem rem postea ementi, cæteris existentibus paribus, cedere deberet.

5 Declaratur Regula exemplis Juris; & quidem primò circa pignora, vel hypothecas: nam in his ordinariè præferendus est, cui res priùs sive generaliter, sive specialiter, sive tacitè, sive expressè oppignorata exstitit, *l. Potior 11. pr. ff. qui potiores in pignor.* ibi: *Potior est in pignore, qui priùs credidit pecuniam*, junctâ *l. Licèt. 7. C. eod.* ibi: *Licet iisdem pignoribus multis creditoribus diversis temporibus datis priores habeantur potiores*: & *l. Diversis. 8. C. eod.* ibi: *Diversis temporibus eâdem re duobus jure pignoris obligata, eum, qui prior datâ mutuâ pecuniâ pignus accepit, potiorem haberi, certi, ac manifesti juris est.*

6 Nec refert, quod posteriori res specialiter sit oppignorata, & priori generaliter duntaxat *l. Si generaliter 6. C. eod.* ibi: *Si generaliter bona sint obligata, & postea res alii specialiter pignori dentur: quoniam ex generali obligatione potior habetur creditor, qui antea contraxit.* Pariter non refert, quòd res posteriori non tantùm oppignorata, sed etiam in pignus actu tradita sit, *l. 2. pr. ff. eod.* ibi: *Qui generaliter bona debitoris pignori accepit, eo potior est, cui postea prædium ex his bonis datur.* Ratio est; quia res transit cum onere suo etiam in casu, quò tacitè tantùm oppignorata exstitit *c. Ex litteris. 5. in fin. de Pignoribus.* ibi: *cùm etiam bona viri mulieri sint pro dote tacitè obligata, & cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem.*

7 Dicitur tamen notanter *ordinariè*; quia doctrina præcedentis num. limitatur in nonnullis casibus, ita ut posterior hypothecarius præferatur priori, veluti 1. Si posterior ad conservandam, vel reficiendam rem hypothecariam mutuò dedit *l. Interdum. 5. ff. eod.* 2dò. Quandò posterior ad emendam aliquam rem hac conditione mutuam pecuniam dedit, ut eidem specialiter maneat obligata. *l. Licèt. 7. C. eod.* 3tiò. Si habeat hypothecam publicô instrumento erectam, nisi prioris instrumentum esset tribus testibus subscriptum. *l. Scripturas. 11. C. eod.* 4tò. Si posterior esset causa specialiter privilegiata. Plura de jure prælationis vid. *Lib. III. Tit. 23. §. 3. de Solution.*

8 Cæterum declaratur Regula ulteriùs etiam aliis exemplis Juris: uti in beneficiis; qui enim priùs impetravit beneficium, præfertur posteriori idem impetranti, nisi prior dolo, vel negligentiâ illud possidere omiserit, textu expresso *c. Si autem aliquis. 9. de Rescript.* Nec refert, si posterior obtentor suum rescriptum priùs præsentaverit, *c. Tibi, qui gratiam. 12. eod. in 6.* Verùm, quia materia hæc de Prælatione Rescriptorum suas patitur instantias ac limitationes, vide de ea *lib. I. Tit. 3. de Rescript. §. 4.* ubi latè & exactè de eadem tractavimus.

9 Ulteriùs exemplificat Regulam Strein *hic* in variis: veluti in Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Congregationibus, Communitatibus &c. In his enim, qui tempore præcedit quoad institutionem, receptionem, professionem, cæteris paribus, præcedit posteriores in considendo, incedendo, consulendo, suffragando, participando, ac similibus: quod etiam in infima plebe, & apud Mechanicos artifices observatur. Cujus ulterior ratio est; quia jus, quod ab aliquo acquiritur, illi prodesse debet, qui prior est, nec præpostero ordine decet ultimos in fronte collocare. *arg. c. 1. de Majorit. & Obedient.* ibi: *Sit honoris ista distinctio, ut ipse prior & major habeatur, qui priùs communitatis consilio, & concordi fuerit actione ordinatus.* ac ibidem Barbos.

10 Quæritur II. An, & quas Fallentias patiatur hæc Regula? Resp. Præter fallentias, quas *n. 5.* de pignore & hypotheca jam posuimus, & quæ *n. 8.* remissivè allegantur, specialiter fallit Regula in Privilegiis *arg. l. Privilegia 32. ff. de Rebus authorit. Jud. possid.* ubi in ipso textu ratio continetur, quia videlicet *Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa.* Hinc, ut notat Glossa ibid. privilegiatus præfertur non privilegiato in solvendo ac repetendo: & inter duos privilegiatos ille, qui magis est privilegiatus. Quod si verò æqualiter sint privilegiati, id est, *si ejusdem tituli fuerint, concurrunt, licèt diversi temporis in his fuerint*, uti expressè habetur *cit. l. Privilegia.*

REGULA LV.

Qui sentit onus, sentire debet commodum, & è contra.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Juxta communem hæc Regula duo habet membra; juxta Strein quatuor: & qualia?*
3 *Per onus & commodum intelliguntur illa, quæ ex rei natura, vel dispositione juris sunt annexa.*
4 *Ponitur verus Regulæ sensus quoad primum illius membrum principale.*
5 *Declaratur exemplis, & seqq.*
Ad emptorem pertinent onera & commoda rei emptæ. ibid.
6 *Parochus administrans divina, debet sentire commoda.*
8 *Usufructuario cedunt arbores demortuæ.*
9 *Creditor fundum in solutum accipiens habet periculum & commodum.*
10 Qui non sentit onus, nec commodum sentire debet; *Declaratur exemplis ibid.*
11 *Ponitur verus sensus Regulæ quoad secundum principale membrum.*
12 *Declaratur exemplis, & seqq.*

Væ dicitur Pastoribus, qui percipiunt commoda, & non præstant pastoris officia.

13 *Qui ab Ecclesia commodum percipiunt, tenentur concurrere ad ejus reparationem.*

14 *Reges, & Principes tenentur habere curam pro bono communi populi.*

15 *Regula procedit etiam in causis piis, & in Fisco.*

16 Qui non sentit commodum, non debet sentire onus.

17 *Regulæ membrum primum*: Qui sentit onus, debet sentire commodum: *Fallit, quando ex natura rei, vel dispositione Juris officium est sine commodo, quale est officium capituli Sede vacante.*

18 *Item officium Tutoris saltem legitimi.*

19 *Maritus adulteræ percipit dotem sine onere alendi adulteram.*

20 *Item Prælati Ecclesiarum, ac Beneficiati ægroti percipiunt fructus sine onere.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Secundùm naturam*, 10. *ff. de Reg. Jur.* ibi: *Secundùm naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.* & *l. un. §. 4 ad fin. C. de Caducis tollend.* ibi: *Neque enim ferendum est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem notandum, certum quidem esse, hanc Regulam principaliter bimembrem existere, uti patet ex verbis: *Et è contra*: Doctores tamen, etsi in re omnes conveniant, non plenè convenire in designandis his membris: Glossa siquidem *hic v. Et contra* putat, alterum membrum verbis Regulæ oppositum esse: *qui non sentit onus, nec commodum sentire debet.* Alii è contra dicunt, alterum Regulæ membrum per *an & contra* infinitum esse sequens: *Qui sentit commodum, & onus sentire debet.* Strein pro majori intelligentia Regulæ eam in quatuor non incongruè dividit membra: duo scilicet affirmativa, & duo negativa; ita, ut horum quodvis affirmativum habeat suum contra negativum; ut proin juxta ipsum Regulæ primum membrum affirmativum sit: *Qui sentit onus, sentire debet commodum*: secundum membrum verè negativum è contra sit: *Qui non sentit onus, non debet sentire commodum.* Tertium membrum rursus affirmativum: *Qui sentit commodum, sentire debet onus.* Ac è contra quartum denuo negativum membrum: *Qui non sentit commodum, sentire non debet onus.* Verum, juxta communem DD. sensum, & praxin applicandi Regula principaliter duo affirmativa jam recensita censetur habere membra, ita tamen, ut in quovis includatur, & ex eo è contra sequatur negativum, indèque in re omnes conveniunt. H. N.

3 Resp. I. Per onus & commodum intelligit Regula non quævis, sed præcipuè illa onera & commoda, quæ vel ex natura rei & actûs, vel ex dispositione legis proveniunt, eique sunt annexa. Barbos. *hic* cum aliis, patebitque ex adducendis infra Juris exemplis. Hinc

4 Resp. II. Verus Regulæ sensus quoad primum principale membrum affirmativum sequens est: *Quicunque sentit, & suffert onus, seu incommoda, aut damna alicui rei, vel alicui ex natura, vel dispositione Juris annexa, aut inde proventientia, debet etiam sentire & percipere commoda, ac emolumenta eidem inter annexa, indeque proventientia.* Ratio hujus Regulæ est, tum, quia juxta Reg. 10. *ff. de R. J.* ipsa natura dictat, ut, qui propter rem aliquam subit & suffert onera ac incommoda, etiam commoda, & emolumenta inde proventientia percipiat; prout etiam non nisi ideo ad subeunda & sustinenda onera, pericula, incommoda plerumque movemur, quia speramus, & expectamus inde proventientia commoda, atque emolumenta; quod attendens S. Paulus ad sufferenda pro Christi nomine adversa suos ipse secuturi emolumenti est hortatus 2. *Corinth. c. 1. §. 7.* illis verbis: *Sicut enim socii passionum estis, sic eritis & consolationis*: quibus ipsis verbis ad propositum utitur Papa *c. 1. de S pult.* addens etiam illam rationem: *Dignus est operarius mercede.* Tum, quia, nisi sustinentes onera, incommoda & labores sequerentur etiam commoda, melior foret conditio negligentis, quàm operantis, ac nemo esset, qui vellet subire onera & labores, non sine humani commercii præjudicio.

5 Declaratur Regula, vel potius primum principale ipsius membrum exemplis Juris: Sic enim quia emptor rei venditæ, etsi necdum traditæ, periculum ac interitum sustinere debet, de jure percipit etiam fructus & commoda rei emptæ v. g. ex auctione pretii, alluvione, vel alia ratione provenientes. *§. 3. Instit. de Emption & Vendition.* ib: *Quum autem emptio & venditio contracta sit, periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res empta tradita non sit.* & paulò inferiùs: *Sed etsi post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad emptoris commodum pertinet.* Audi rationem Juris ad propositum: *Nam & commodum ejus esse debet, cujus periculum est.* concordat *l. 1. C. de Periculo & Commodo rei vend.* ibi: *Post perfectam venditionem cum commodum & incommodum, quod rei venditæ contingit, ad emptorem pertinet.*

6 Sic etiam, quia Parochus onus & labores habet in administrando Sacramenta, & alia divina parochianis, ab eisdem de Jure, vel consuetudine competentia commoda percipit, etiam in casu, quò parochianus extra Parochiam sepulturam eligit *cit. c. 2. de Sepult.* ubi ratio ex S. Paulo supra allegata adducitur, & additur: *quia dignus est operarius mercede suo.* junctè *c. Certificari. 9. eod.*

7 Sic rursus, quia Monasterium onus & sollicitudinem habet in alendo & custodiendo Clerico, ob incontinentiam illuc ad agendam pœnitentiam detruso, de ejusdem relatis bonis etiam commodum percipere debet. *can. de Lapsis. 5. can. 16. q. 6.* ex illa ratione: *quatenus ipsi* (intellige Religiosi) *ex rebus illorum subsidium habeant, qui de correptione eorum sollicitudinem gerunt*, ut ait textus.

8 Sic ulteriùs, quia usufructuarius onus habet, dum locò arborum demortuarum novas plantar debet, in ejusdem commodum demortuæ arbores cedunt. *l. Agri. 28 ff de Usufructu, & quemadmodum.* ibi: *Agri usufructu legato, in locum de mortuarum arborum aliæ subjiciendæ sunt, & priores ad fructuarium pertinent.*

9 Sic insuper, quia creditor, qui loco pecuniæ à se mutuò datæ fundum in solutum accipit, periculum & damnum sentire debet, si tanti illum distrahere non valet, quanti pecunia mutuò data efficit, pariter lucrum & commodum ei competit, si fundum majori pretio, quàm mutuum erat, dividit. *l. Cùm pro pecunia. 24. C. de Solution.* ibi: *Cùm pro pecunia, quam mutuò acceperat, secundùm placitum Evandro te fundum dedisse profiteris: ejus industriam, vel eventum meliorem tibi non ipsi prodesse, contrarium non postulaturus, si minoris distraxisset, non justè petis.*

10 Ex præfato *n. 4.* posito principali primo Regulæ membro econtra sequitur secundum negativum: *Qui non sentit onus, sentire non debet commodum.* Cui concordat illud Apostoli 2. *ad Thessalonicen. c. 3 v. 10*

Si

Si quis non vult operari, nec manducet. Declaratur & firmatur Juris exemplis; Sic quia Clerici non residentes onus in serviendo Ecclesiæ, & divina peragendo non sentiunt, nec commodum, seu fructus beneficii percipere possunt, & si quos perceperint, eos restituere tenentur. *c. Ad audientiam 15. de Clericis non resid. & c. un. eod. in 6.* junctis *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 12. de R. form.* præsertim cùm beneficium detur propter officium. *c. fin. de Rescript. in 6.* & ampliùs dictum habetur *Lib. III. Tit. 4. de Clericis non resid.* Sic etiam, qui non vult onus suscipere legato per testatorem impositum, non censetur dignus legati commodò *l. Nesennius. 32. §. Non semper. ff de Excusat.* Sic pariter usufructuarius, qui onus in satisdando proprietario sentire non vult, fructus non percipit. *l. Quamvis 10. ff. de Damno infecto.*

11 Resp. III. Verus Regulæ sensus quoad secundum principale membrum affirmativum per lè & contra, indicatum, hic est: *Quicunque alicujus rei percipit commoda & emolumenta, is etiam sufferre debet onera, seu incommoda eidem ex natura, vel Juris dispositione annexa, damnaque inde proventientia.* Ratio fundatur in æquitate naturali, quam tantam agnovit Imperator, ut illam nec ferendum, nec tolerandum existimârit, qui lucrum & commoda amplectitur, & annexa damna vel incommoda sufferre non vult *cit. l. un. §. 4. C. de Caducis tollend.*

12 Declaratur exemplis Juris: Sic enim huc quadrant dicta *n. 10.* videlicet quòd, qui percipit fructus Beneficii, onera quoque annexa sufferre, Ecclesiæ nempe servire, atque præceptis officia & obsequia divina præstare debeat per Jura ibidem citata. Sic animarum Pastores, qui ab eis varia recipiunt commoda, & emolumenta, onus etiam, sollicet curam, labores, & incommoda officio suo annexa sufferre, sicque animas concreditas cœlesti pabulo reficere, ignaras erudire, afflictas consolari, errantes reducere, ægrotantes visitare, & Sacramenta administrare debent. in quo ubi deficiunt, & lucro, commodo, ac emolumento temporali aut corporali præcisè, vel præcipuè inhiant, utique contra hanc Regulam agentes meritò timere habent illud à Domino per Prophetam Ezech. intentatum *Væ Ezech 34 v. 2. & seqq. Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: Lac comedebatis, & lanis operiebamini, gregem autem meum non pascebatis, &c.*

13 Sic ulteriùs Beneficiati, & alii, qui de Ecclesia fructus aut commoda quævis percipiunt, debent etiam onus sustinere succurrendo ad reparationem ruinosæ Ecclesiæ, si ipsius media non sufficiunt, aut ea aliunde non habentur *c. 1 de Eccles ædific. vel repar.* ibi: *Quicunque Ecclesiasticum beneficium habent, omnino adjuvent ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas.* junctis *Concil. Trident. Sess. 21. cap. 7. de Reform.* ibi: *Parochiales verò Ecclesias, etiam si Juris patronatûs sint, ita collapsas reficiet, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscunque, ad eas dem Ecclesias quomodocunque pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt; aut in illorum defectum parochianos* (quia & hi commoda spiritualia percipiunt ab Ecclesia) *omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant.*

14 Sic Reges & Principes, qui commoda & emolumenta innumera à populo recipiunt, onus subire debent in habenda debita cura, labore, & vigilantia pro bono communi ejusdem. Sic etiam alii, qui ex vectigalibus, pedagiis &c. commoda & proventus percipiunt, onera annexa sufferre debent, vias nempe pro itinerantibus, & vectigal dantibus debitè præparare, reparare, restaurare &c. ut cum aliis benè advertit Strein *hic* addens, innumera ferme esse, in quibus Regula quoad dictum secundum principale affirmativum membrum procedit, & cuivis consideranti facilè patet.

15 Porrò hoc membrum Regulæ ita universaliter procedit, ut etiam in Ecclesiis causis piis, & Fisco locum habeat, nisi speciali privilegio, pacto, aut conventione in casu aliquo sint exempti. Strein. *hic*: eò quòd & ipsi juri naturali, in quo Regula fundata habetur, sint subjecti, ut videlicet, qui ex aliqua re, vel actione percipit commoda, sustineat etiam onera & incommoda eidem annexa, ac inde proventientia, per Jura superiùs allegata.

16 Cæterùm ex memorato affirmativo Regulæ membro sequitur econtra alterum membrum negativum; *Qui non sentit commodum, non debet sentire onus.* Hinc juxta Glossam communiter receptam in *can. Omnis Christianus 69. de Consecrat. dist 1.* rectè docetur, Parochum, cui commoda, debitæ nimirum decimæ subtrahuntur, vel alii proventus, non teneri ad onera, ad prædicationem scilicet, administrationem Sacramentorum, & alia pastoralia officia. Idem dicendum de Canonicis, & aliis beneficiariis; cùm & hi, si reddibus debiti eis non præbeantur, vel negantur, officia præstare, Missas legere &c. non obligentur. Iniquissimum enim genus taciti, vel expressi contractûs, aut Societatis foret, ut cujus unus onus ac damnum, & non commodum, vel lucrum haberet *arg. l. Si non fuerint 29. §. 2. ff. pro Socio.* ibi: *iniquissimum enim genus societatis est, ex qua quis damnum, non etiam lucrum spectet.*

17 Quæritur II. An, & in quibus fallat Regula? Resp. Eam fallere in aliquibus quoad utrumque membrum affirmativum principales & quidem quoad Primum *n. 4* positum: *Qui sentit onus, sentire debet & commodum*: fallit universaliter, quando ex propria institutione, & natura rei, vel ex speciali Juris dispositione alicui muneri vel officio onus est annexum sine commodo; Exemplum habetur Sede vacante, ubi onus, labor, nempe jurisdictio Episcopalis, & administrat. o transit ad Capitulum, & tamen fructus Episcopales interea currentes ad Capitulum non pertinent, sed successori reservari, vel in utilitatem Ecclesiæ impendi debent *c. Quia sæpe. 40. de Elect. in 6.* cum Concord.

18 Idem est in Tutela, præsertim legitima, ubi Fratres tenentur sustinere onus tutelæ sororis sine commodo *l. 1. in fine ff. de legitimis Tutor.* Item in Mandato; quia mandatum gratuitum, & sine mercede esse debet. *l. 1 § 4 ff Mandati.* ibi: *Mandatum, nisi gratuitum, nullum est: nam originem ex officio, atque amicitia trahit, contrarium ergo officio merces*: Ubi tamen notandum, quòd hujusmodi officia, onus sine commodo habentia, exercenti cæteroquin non debent esse damnosa; *cùm non deceat alicui suum officium esse damnosum*, uti dicitur *c Cùm non deceat. 30. de Elect. in 6.* Ex quo inferunt Doctores, hujusmodi officiò, præcisè onerosò fungentes posse repetere expensas intuito talis officii factas.

19 Pariter quoad secundum principale membrum affirmativum *n. 11.* positum Regula fallit ita, ut commodum quis accipiat, quin sentiat onus, ubi leges speciatim sic disponunt, ut habemus Juris exemplum in marito, qui commoda, & fructus dotis uxoris adulteræ percipit, quin habeat onus adulteram alendi *l. un. C. de Rei uxor. action. & c. Plerumque 4. de Donation. inter virum & uxor.* Quamvis si res benè consideretur, hoc exemplum ad fallentias præsentes non pertineat; quia licèt maritus in tali casu careat onere alendi adulteram; tamen non caret aliis oneribus, puta, conducendi nutricem, curatricem familiæ, & ipse quasi viduus non habet adjutorium simile sibi, nec ad alias nuptias transire

valet; quæ onera cum commodo satis compensari videntur, uti bene advertit Strein. *hic*

20 Sic etiam disponente Jure Prælati & Rectores Ecclesiarum, nec non Canonici & alii beneficiati, etsi ob senium, vel infirmitatem ad subeunda officia & onera annexa inhabiles sint, tamen percipiunt commoda, & fructus. *c. 1. & c. Ex parte 5. de Clerico agrotante.* cum Concord. licèt & illud exemplum ad fallentias vix pertineat; cùm Regula dicens: *qui sentit commodum, sentiat & onus*: comprehendere non videatur illos, qui in officio, commodum & emolumentum afferente, prius jam existentes, postea fiunt inhabiles & incapaces ad onera annexa; quia isti prius jam senserunt, & portarunt onera: indèque eis convenit illud: *Dulcia percipiat, qui jam gustavit amara*: ac de cætero nemo potest *ad impossibile obligari juxta Reg. 6. de Reg. Jur. in 6.*

REGULA LVI.

In re communi potior est conditio prohibentis.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Quid intelligatur per verba in re communi: & per verbum prohibentis?*
3 *Ponitur verus Regulæ sensus.*
4 *Declaratur exemplis Juris: & n. seq.*
5 *Unus conjugum invitò altero vovere non potest.*
6 *Ponuntur alia exempla Juris: & n. seq.*
8 *Fallit Regula, quando non interest prohibentis:*
Declaratur exemplis: & n. seq.
10 *Fallit item quando unus, altero prohibente, utitur re communi ad usum destinatum.*
11 *Doctrina Glossæ ad propositum.*
12 *Fallit insuper, quando prohibente uno alter necessaria reparat.*
13 *Item in aliis casibus.*
14 *Potest cuivis divisioncm rei communis apud Judicem petere.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Sabinus 28. ff. Communi dividundo.* ibi: *Sabinus ait ita re communi neminem dominorum jure facere quicquam, invitò altero, posse.* Unde manifestum est, prohibendi jus esse: in re enim pari potiorem causam esse prohibentis, constat. Concordat *Regula 29. de R. J. in 6. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Per verba *in re communi* intelligit Regula talem rem, quæ indivisa pertinet ad duos, vel plures ut singulos, non ut universos, seu prout collegium, aut commune faciunt, sicut communiter tenent DD. Quid autem sit, rem pertinere *ad plures ut singulos*: item *ad plures ut universos*, seu prout collegium faciunt, dictum est supra *ad Reg. 29. n. 3. & 4.* Per verbum *prohibentis* autem intelligit, & comprehendit Regula etiam contradictionem, dissensum, & oppositionem: ita ut dum aliquis rem, pluribus communem, seu quæ ad plures ut singulos pertinet, distrahere, vel mutare vult, & alter, sive dicat, prohibeo, sive contradico, dissentio, nolo, me oppono, prohibere censeatur, ejusque conditio potior sit, & præferri debeat. Hinc

3 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Quando res aliqua pluribus communis talis est, quæ indivisa ad plures ut singulos pertinet, & de hujusmodi re alienanda, immutanda, destruenda &c. inter dominos dissensio est, is, vel illi præferendi sunt, ejusque acquiescendum, qui prohibent, vel contradicunt, dissentiunt, aut se opponunt; etiamsi unicus tantùm esset.* Ratio est, tum, quia non solùm ille, qui mutare, vel alienare, destruere &c. vult: sed etiam qui contradicit, vel prohibet, dominus est. Quæ ratio in exemplo ad propositum de pariete pluribus communi affertur *l. Parietem. 8. ff. de Servitutibus Prædior. Urban.* ibi: *Parietem, qui naturali ratione communis est, alterari vicinorum demoliendi eum, & reficiendi jura on est: quia non solùs dominus est.* Tum, quia iniquum est, quòd aliquis in re, vel jure suo, per factum alienum invitus gravetur, diminutione, aut detrimento afficiatur. *l. Non debet. 74. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*: cùm proximum lædere etiam juri naturali adversum sit, § 3. *Instit. de J. & J.*

Declaratur Regula ulteriùs exemplis Juris: Sic 4
enim, si duo fundum in comm uni habent, & unus eorum domum in illo ædificare, vel eundem omnino alienare vult, & alter prohibet, seu contradicit, dissentit, hujus contradictionem præferre, eique acquiescere oportet, arg. *l. Sabinus. 28. ff. de Communi dividund.* & *cit. l. Parietem. 8. ff. de Servitut. præd. urb.*

Sic etiam, si matrimonio jam consummato unus 5
castitatem vovere velit, & alter prohibeat, vel contradicat, hujus conditio potior est, & contradictio prævalet, *c. Quidam. 3. de Convers. Conjug.* ubi ex Apostolo additur ratio: quia *Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier*: & econtra. Item *Cùm vir & uxor una caro sint, sicut docet Apost. non potest unus ad Deum converti, & alter in sæculo remanere.*

Sic rursus, quia jus eligendi Prælatum ad omnes 6
Capitulares, etiam ut singulos, pertinet, non potest electio per compromissum celebrari, vel extraneus ad suffragandum admitti, si vel unus tantùm contradicat. *c. Quia propter 42. de Elect.* ibi: *vice omnium.* junctâ *c. In causis. 30. & c. Scriptum. 40. eod.*

Huc faciunt etiam exempla pro declaratione Re- 7
gulæ XXIX. à n. 29. adducta; quia illa Regula cum præsenti multùm concordat.

Quæritur II. An, & in quibus fallat Regula 8
præsens? Resp. I. Eam *primò* & universaliter fallere, quando non interest socii prohibentis; cùm quivis meritò pati debeat id, quod sibi non nocet, & alteri prodest. Dynus *hic n. 2.* Strein, & alii. *l. 1. §. 11. ff. de Aqua, & aqu. pluv. arcend.* ibi: *Prodesse enim sibi unusquisque, dum alii non nocet, non prohibetur, nec quemquam hoc nomine teneri.* cum Concord. Exemplum ad propositum exhibetur in *l. Fistulam. 19. §. 2. ff. de Servitut. præd. urban.* ubi socio permittitur fcalam, quæ removeri potest, ad communem parietem facere, quia alteri non nocet: ibi: *Scalas posse me ad parietem communem habere, Sabinus rectè scribit.*

Eâdem *l. Fistulam. pr.* ob dictam rationem con- 9
ceditur, ut quis penes communem parietem possit balneum habere, dummodò ob assiduum humorem non noceat vicino, ibi: *non posse prohiberi vicinum, qui minùs balneum habeat secundùm parietem communem, quamvis humorem capiat paries: non magis, quàm si vel in triclinio suo, vel in cubiculo aquam effunderet. Sed Neratius ait, si talis sit ejus tepidarii, ut assiduum humorem habeat, & id noceat vicino posse prohiberi eum.* In eadem lege ponuntur adhuc alia exempla fallentiam Regulæ confirmantia: Sic etiam ob fallentiæ rationem, juxta *l. Quidam 13. §. 1. ff. eod. Parietem communem incrustare licet, secundùm Capitonis sententiam: sicut licet mihi prætextissimas picturas habere in pariete communi.* sunt verba legis.

10 Fallit *secundò* rursus universaliter, quando prohibente, aut invitò unò, alter re communi fruitur ad talem usum, ad quem parata, seu destinata est, uti constat de fundo, seu loco pluribus communi pro sepultura: in quo licèt extraneus, etiam unico contradicente sepeliri nequeat: tamen, quia locus pro sepultura Dominorum destinatus est, quivis eorum, etiam prohibente altero, ibi tumulari valet. *l. Si plures. 41. ff. de Religios. & sumpt. funerum.* ibi: *Si plures sint domini ejus loci, ubi mortuus infertur, omnes consentire debent, cùm extranei inferantur: Num ex ipsis dominis quemlibet rectè ibi sepeliri constat, etiam sine cæterorum consensu.*

11 Hinc ad propositum post Dynum *hic. n. 2.* benè docet Glossa communiter recepta in §. *Religiosum Instit. de Rerum division. v. Invitis. in additione*, sic discurrendo: aut socius vult uti re communi, aut in ea reparare, vel facere aliquid ad eum usum, ad quem parata, seu destinata est: & potest, etiam alio prohibente vel contradicente *cit. l. Si plures*: aut ad eum usum, ad quem parata non est: & tunc subdistingue: aut interest prohibentis non uti: & melior est conditio prohibentis per Jura *n. 3.* citata; aut non interest prohibentis: tunc melior est conditio facientis, per Jura citata *n. 8.*

12 Fallit *tertiò* in casu, quo pro conservanda re communi reparatio, vel quid aliud necessarium fieri debet, v. g. si tectum domus ruinosæ reparare, præcavere, parietem fulcire, trabem immittere necesse est; tunc enim id ab uno fieri potest, etiam altero prohibente. Imo si socius ad hoc contribuere detrectat, ademptione dominii, quod in re communi habet, puniri potest. *l. Si (ut proponis) 4. C. de Ædificiis privat* ibi: *Si (ut proponis) socius ædificii, ad refectionem ejus, sumptus conferre detrectat: non necessariò extra ordinem tibi subvenire desideres. Etenim si solus ædificaveris, nec intrà quatuor mensium tempora cum centesimis nummus, pro portione socii erogatus, restitutus fuerit, vel, quò minus id fieret, per socium stetisse, constiterit, jus dominii pro solido vindicare, vel obtinere juxta placitum antiquitatis poteris.*

Fallit *quartò* pro favore obtinendæ libertatis. 13
Quintò in concursu plurium patronorum ad idem beneficium. *Sextò*, quando Princeps vel fiscus rem cum aliis communem habet, per dicta & probata ad *Reg. XXIX. n. 12. 14. & 15.*

Illud etiam circa rem pluribus communem notan- 14
dum venit, quòd si communio inter socios difficilis appareat, vel ex illa imminenst, aut jam adsint discordiæ, vel incommoda, ad hæc avertenda quivis ex sociis apud Judicem instantium pro divisione facere possit, & obtinere debeat. *l. Cùm pater. 77. §. 20. ff. de Legat. II. & l. fin. C. de Communi dividundo.* ibi: *In communione, vel societate nemo compellitur invitus detineri: Quapropter adiitus præses Provinciæ, ea, quæ communia tibi cum fratre perspexerit, dividi providebit.*

REGULA LVII.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Per verba legem intelliguntur conditiones & obligationes contractibus appositæ.*
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
4 *Minor dicitur tam ille, qui minor est quatuordecim, quàm qui viginti quinque annis.*
5 *Ponitur exemplum de stillicidio.*
6 *Testis obscura depositio contra producentem est interpretanda.*
7 *Fallit Regula, quando de mente legem ponentis aliunde certò, vel verisimiliùs constat:*
8 *Item, si aliàs actus esset irritus:*
Interpretatio facienda est, ut res potiùs valeat, quàm pereat. Ibid.
9 *Fallit etiam in Donationibus, de quibus non satis constat:*
10 *Item in votis:*
11 *Ac in Testamentis.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Veteribus. 39 ff. de Pactis.* ibi: *Veteribus placet, ultionem obscuram, vel ambiguam venditori, & qui locavit, nocere, in quorum fuit potestate, legem apertiùs conscribere.* Concordat *l. Labeo 21. ff. de Contrah. Empt.* ibi: *Labeo scripsit, obscuritatem pacti nocere potiùs debere venditori, qui id dixerit, quàm emptori; quia potuit re integra apertiùs dicere.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus sensus illius sit? Resp. I. Per verbum *legem* hic præcipuè intelliguntur pacta, conditiones, vel obligationes, quæ contractibus apponi solent, uti cum aliis bene advertit Carolus *hic*; quia hæc in Jure etiam leges vocantur, privatæ scilicet, uti *l. Legem. 10. C. de Pactis.* ibi: *Legem, quam dixisti, cùm dotem pro alumna dares, servari oportet, & l. Contractus. 23. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Legem enim contractus dedit.* cum Concord. Hinc etsi hæc Regula etiam de aliis actionibus, tamen potissimùm in contractibus procedit: cui conformiter

Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Quando* 3
in contractibus, & aliis actibus pactæ, conditiones, vel aliæ obligationes quasi leges ad alterum obligandum per verba obscura, dubia, vel ambigua apponuntur, interpretatio facienda est contra eum, qui hujusmodi leges apposuit. Ratio est tum, quia *in obscuris minimum*, id est, minùs gravans & obligans *est sequendum.* juxta *Reg. 30. Jur. in 6.* Tum, quia, qui asserit, alterum sibi esse obligatum, vel se ab obligatione esse liberatum, probare debet *l. 2. ff. de Probat.* ibi: *Et incumbit probatio, qui dicit, non, qui negat. & l. 1. C. eod.* ibi: *Ut creditor, qui pecuniam petit numeratam, implere cogitur; ita rursum debitor, qui solutum offirmat, ejus rei probationem præstare debet:* Et quidem non qualemcunque, sed claram; cùm probatio obscura, vel dubia non relevet. *arg. c. In præsentia. 8. de Probat. & l. Neque natales. 10. C. eod.* consequenter, qui non nisi per verba obscura, & ambigua alterum sibi obligatum dicit, meritò contra le interpretationem pati debet: præsertim, quia *in ejus potestate fuit legem apertiùs dicere. cit. l. Veteribus.* indeque sibi culpam imputare debet. Quod idem & alia ratio suadet, videlicet ut caveantur doli, & fraudes, quæ in verbis obscuris, ac ambiguis intervenire possunt, Strein. *hic.* Taccin. *hic n. 1.*

Declaratur Regula exemplis Juris: Sic enim, qui 4
fuam professionem impugnans dicit, se tempore professionis fuisse minorem, contra ipsum interpretatio

tatio fit, quòd fuerit minor 25. annis, consequenter professio extiterit valida; *Cùm verbum illud, minor annis duobus modis potuerit intelligi, cùm & qui minor est quatuordecim annis, & qui viginti quinque, dicti soles minor*: ut habetur *cit. c. In præsentia.* 8. §. *Præterea. de Probat.* Et hinc quia potuisset clarè dicere, asserendo se impuberem fuisse, & non dixit, meritò contra se interpretationem pati debet.

5 Sic etiam, si in vendenda domo additur: *stillicidia, uti nunc sunt, ita mancant*: & dubium est, utrùm servitus stillicidii afficiat domum venditam, vel potiùs ea, quam forsan venditor contiguam, vel vicini adhuc habent, contra venditorem de retenta adhuc domo illius interpretatio facienda est; quia conditio hæc apposita ambigua est. *l. Si arborem. 17. ff. de Servit. præd. urb.* & *l. Cùm in lege 33 ff. de Contrah. Empt.* ibi: *Cùm in lege venditionis ita sit scriptum: flumina, stillicidia, uti nunc sunt, ut ita sint, nec additur, quæ flumina, vel stillicidia: primùm spectari oportet, quid actum sit; si non id appareat, tunc id accipitur, quod venditori nocet; ambigua enim oratio est.*

6 Ad sensum Regulæ ponit Glossa *in cit. c. In præsentia. 9. de Probat. v. Verbum dubium*, ulteriùs aliud exemplum, videlicet, quod in casu, quo quis pro se producit testem, & hic depositionem dubiam facit, contra producentem interpretatio facienda sit. *cit. c. In præsentia*, quia asserenti incumbit probatio, & quidem clara per Jura citata *n. 3.*

7 Quæritur II. An, & quas fallentias habeat Regula LVII? Resp. Eam fallere in pluribus: veluti 1. quando mens legem, seu conditionem obscurè ponentis aliunde certò, aut verosimiliùs constat; quantumvis enim juxta hactenus dicta in ambiguis contra proferentem interpretatio facienda sit: tamen ubi de mente illius certa, verisimilior notitia habetur, juxta eam procedendum est per dicta & ex jure probata ad *Regul. 30. n. 3.* & *ad Regul. 45. de Reg. Jur. in 6. Inspicimus in obscuris, quod verisimilius est, & quod plerumque fieri consuevit.*

8 Fallit 2. si ex facta contra obscurè proferentem interpretatione, tota dispositio irrita, & omni carens effectu evaderet. Ratio est; quia universaliter interpretatio sic facienda est, ut verba aliquid operentur, & dispositio potiùs valeat, quàm pereat. *arg. l. Item veniunt 20. §. 6. ff. de Hæredit. petit.* & *l. Quoties. 12. ff. de Rebus dub.* ibi: *Quoties in actionibus, aut exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum est, id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat.*

Fallit 3. in Donationibus, quando de eis verè 9
factis satis non constat: vel, si constat quidem, dubium tamen manet, an plus vel minus donatum sit: Item si iis derogaretur juri jam quæsito tertii, vel communitatis; licèt enim alias in donationibus, præsertim Principum, de quibus satis constat, latissima pro donatario interpretatio fit facienda. *c. Cùm dilecti. 6. de Donation. ad finem.* ibi: *quia in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis quoque plenissima interpretatio est adhibenda.* junctâ *l. Beneficium. 3. ff. de Constitut. Princip.* ibi: *Beneficium Imperatoris, quæ à Divina scilicet ejus indulgentia proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus*: Tamen, quia donare, suum perdere & jactare est *l. filiusfamilias. 7. pr. ff. de Donat.* suum autem jactare in dubio nemo præsumitur, *arg. l. Cùm de indebito. 25. pr. & fin verò. ff. de Probat.* meritò pro donante fit interpretatio, ubi de donatione non satis constat. Ob quam eandem rationem pro eodem interpretatio fieri debet, si dubium est, an plus, vel minus donatum sit. Pariter pro donante interpretatio facienda, si per donationem præjudicatur quæsito jam juri tertii; quia huic præjudicare velle nemo censetur per dicta & probata supra ad *Regul. 15. n. 26.*

Fallit 4. in Votis, utpote in quibus stante du- 10
bio, vel ambiguitate pro vovente fit interpretatio per dicta supra *ad Reg. 30.*

Fallit 5. in Testamentis, & ultimis Voluntati- 11
bus; has enim interpretari testatoris est, quamdiu vivit. *l. Hæredes palam. 21. §. 1. ff. Qui testament. facere poss.* post mortem autem testantis si circa res legatas dubium remanet, electio ordinariè penes hæredem est. *l. si quis. 32. §. 1.* & *l. legato. 37. ff. de Legat. I.* qui minimum præstando satisfaciat, per dicta ad *cit. Reg. XXX. num. 8.* Nisi forsan legatum penitus periret, casu quo interpretatio pro legatario non fieret, ut benè advertit Dynus *hic num. 11.* cum universaliter loquendo in dubiis interpretatio ita fit facienda, ut actus valeat potiùs, quàm pereat. *cit. l. Quoties. 12. ff. de Reb. dub.* vel nisi servus, aut alia res generaliter legetur; quia tunc electio penes legatarium est, textu expresso *§. Si generaliter. 22. Instit. de Legat.* ibi: *Si generaliter servus, vel alia res legetur, electio legatarii est; nisi aliud testator dixerit.* junctâ *l. Qui duos. 20. ff. de Legat. I.*

REGULA LVIII.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Contra bonos mores idem ac quod contra legem est. Juramentum non est vinculum iniquitatis. Ibid.*
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
4 *Prohibita de Jure in favorem tertii servanda sunt, si juramento confirmantur. & seq.*
5 *Juri, & favori suo quivis renuntiare potest.*
6 *Omne Juramentum, quod non est contra bonos mores, obligat.*
7 *Contractûs juramento firmati, quando servari debeant, remissivè.*

1 VIdetur desumpta hæc Regula ex *l. Contractus. 23. ff. de Reg. Jur.* ubi post medium sic habetur: *Legem enim contractus dedit, excepto eo, quod Celsus putat, non valere, si convenerit, ne dolus præstetur; hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est; & ita utimur.* Concordat *can. Inter cætera. 22. cau. 22. q. 4. v. Porro.* ibi: *Juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur, ut esset vinculum iniquitatis, vel matricidii, vel fratricidii, seu cujuscunque criminis.* & *Reg. 69. de Reg. Jur. in 6.* ibi: *In malis promissis fidem non expedit observari.*

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? 2
Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam per verba *contra bonos mores* idem dicere velle, ac contra legem naturalem, divinam, vel etiam humanam, sub gravi, vel levi culpa obligantem; quidquid enim contra hujusmodi legem fit, offensa DEI, etiam hôc ipsô malum, ac contra bonos mores est, utpote qui tales non sunt, quando legi difformes, & divinam Majestatem offendentes existunt. Qui igitur jurat facere, quod lex prohibet, vel omittit, quod lex præcipit, juramentum servare non obligatur, sed potiùs obligatur tale juramentum contra

contra legem factum, non servare, hôc ipsô, quòd legem observare teneatur v. g. qui jurat proximum injustè persequi, eum in bonis famæ, vel fortunæ lædere, verberare, vulnerare, occidere &c. vel qui jurat, quòd parentibus, vel superioribus non velit obedire, nulli pauperi, etiam in gravi necessitate existenti eleemosynam præbere, etsi benè posset; nullam amplius audire Missam, vel quid aliud omittere, quod agere tenetur: non obligatur servare tale juramentum sed potiùs obligatur illud non servare, & illo non obstante facere, quod lex præcipit, & omittere, quod prohibet. Ratio est, tum, quia juramentum non est vinculum iniquitatis *cit. can. 22. cau. 22 q. 4.* & *c. Quanto. 18. de jurejur.* id est, neminem vinculat, ligat, stringit vel obligat ad iniquum: cujusmodi omne illud est, quod contra legem, consequenter contra bonos mores, & quod malum, ac peccatum est. Nulla autem existente obligatione juramenti, remanet obligatio legis, contra quam juratum est. Tum, quia *Nemo potest ad impossibile obligari. c. Nemo. 6. de Reg. Jur. in 6.* Ea autem, quæ contra leges, & consequenter contra bonos mores sunt, sicque licitè fieri nequeunt, inter impossibilia reputantur per dicta & probata ad *cit. R. g. 6.* ergo jurans illa facere, juramentum servare non obligatur.

3 Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Qui jurat aliquid facere, vel omittere, quod contra jus, seu legem naturalem, vel divinam, vel humanam, sub gravi vel levi peccato obligantem, consequenter contra bonos mores est, & licitè observari nequit, juramentum servare nullatenus obligatur, sed potiùs tenetur illud non observare, eòque non obstante, legi obedire.* Per Jura & rationes jam allegatas; patetque tam ex jam adductis, quàm obviis aliis exemplis.

4 Objici solent contra hanc Regulam plura ex Jure, per quæ manifestè patet, quòd etiam prohibita de Jure observari debeant, si quis ea servare juravit: Sic enim renuntiatio, quam filia dotata facit de futura successione paterna à Jure reprobatur. *l. fin. ff. de Suis & Legit.* & *l. Pactum, quod dotali. 15. C. de Pactis*: tamen si filia eam servare jurat, juramento stare tenetur textu expresso *c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* ibi: *Quamvis pactum patri factum à filia, dum nuptui traderetur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis; si tamen juramentô, non vi, nec dolo, præstitô firmatum fuerit, ob eadem omnino servari debebit; cùm non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.*

Sic pariter, etsi fundi dotalis alienatio de Jure sit 5
prohibita. *l. un. C. de Rei uxor. action. §. Et cùm Lex. 15.* tamen si mulier eam juramentô firmat, illud servare tenetur. Jure civili propterea per Jus canonicum correcto *c. Licèt. 2. de Jurejur. in 6.* ibi: *Licèt mulieres, quæ alienationibus dotis & donationi propter nuptias consentiunt, non contravenire proprio juramento firmantes, servare juramentum hujusmodi, non vi, nec dolo præstitum, de Jure Canonico teneantur; quia tamen quicô Judices seculares eas contra præfatas alienationes audiunt, quamvis eis constet legitimè de hujusmodi juramento: Nos animarum periculis obviare volentes, eosdem Judices ad servandum hoc Jus canonicum per locorum Ordinarios censurâ ecclesiasticâ decernimus compellendos.* Plura alia hujusmodi exempla adducit Vivianus: ad quæ tamen, ac alia Resp. cum dicto Viviano & aliis, plura per legem prohibita servari debent casu, quô firmatur juramento, si sunt prohibita ob sui turpitudinem, negatur: si sunt prohibita præcisè in privilegium tertii (qualia sunt in exemplis allegata) conceditur; cùm enim quivis juri & favori suo renuntiare valeat, *arg. c. Si diligenti. 12. de Foro compet.* & *l. Si Judex 41. ff. de Minor.* ibi: *Unicuique licet contemnere, hæc, quæ pro se introducta sunt* debet id, quod in sui favorem a lege prohibita est, observare, si illud servare juraverit; quia licitè servare potest *arg. cit. c. Quamvis 6. de Pactis in 6.* & *c. Licèt. 2. de Jurej. in 6.*

Hinc Doctores communiter docent, in Regula no- 6
stra: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*: implicitè continere aliam eccontra oppositam, videlicet: *Omne juramentum, quod contra bonos mores non est, consequenter licitè servari potest, obligatorium est, & servari debet.* per Jura *nu. præced.* citata.

Cæterùm plura circa hanc Regulam, præsertim an, 7
& quando contractus de Jure prohibiti, & invalidi, juramentô firmati servari debeant, fusius habetur *Lib. II. Tit. 24. de Jurejur. §. 3.* & *4.*

REGULA LIX.

Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Quomodo Regula intelligenda?*
3 *Ponitur verus sensus illius;*
Qui non illico à quo petit, sed alteri restituere debet, reus doli non est.
4 *Necille, qui non statim, sed primùm cum tempore restituere tenetur.*
5 *Declaratur Regula exemplis Juris. & seqq.*
6 *Maritus petens dotem defunctæ uxoris dotem nondum solutam, doli reus censetur.*
7 *Sicut & usufructuarius petens solutionem usurarum.*
8 *Fallit Regula in casu restitutionis spoliatorum.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. In condemnatione. 173. §. 3. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Dolô facit, qui petit quod redditurus est.* & *l. Dolo 8. ff. de Doli mali except.* ubi etiam exemplificatur Regula sibi: *Dolo facit qui petit quod redditurus est, sic si hæres damnatus sit, non petere à debitore, potest uti exceptione doli mali debitor, & agere ex testamento.*

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? 2
Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam sic esse intelligendam, quòd ille dolosè, & malitiosè, fraudandique animô agere præsumatur (fundatur enim hæc Regula in præsumptione) qui rem ad se non pertinentem petit ab aliquo, quam etiam acceptam eidem, à quo petiit, exigente justitia, statim iterum restituere teneatur. Ratio Regulæ est; quia hôc ipsô, quod quis rem, quam ab alio petit, eidem statim, ac recepit, iterum restituere debeat, nullam videtur habere justam petendi causam, consequenter ex dolo & malitia animôque fraudandi petere justè præsumitur. *arg. cit. l. Dolo.* Fraudibus autem, & malitiis hominum non indulgendum, sed occurrendum est *arg. l. in fundo 38. ff. de Rei Vindicat.* Addit Vivianus aliam rationem; quia videlicet lex & natura horrent inutiles ambages, & circuitus, ac propterea volunt, ut, quod paucis fieri potest, non fiat pluribus. *arg. l. fin. C. de Emancipat. lib.* consequenter id quis ab aliquo minimè petere, sed relinquere debet, quod, postquam accepit, eidem statim iterum reddere, seu restituere debet.

Resp. II. Regulæ sensus verus est iste: *Omnis ille ex* 3
dolo, & animo fraudandi de jure præsumitur, qui rem aliquam ad se non pertinentem ab altero petit, quam etiam obtentam, eidem, à quo petiit, exigente justitia, statim iterum reddere, seu restituere tenetur. Per Jura, & rationes *n. 1.* & *2.* jam allegatas. Notanter autem

dicitur, quam *eidem, à quo petit*, iterum restituere tenetur; quia Regula non est intelligenda de illo, qui petit ab altero rem aliquam, quam non eidem, à quo petiit, sed alicui alteri, domino nempe suo restituere debet. *l. Si socer. 44 §. 1. ff. Solut. Matrim.* ibi: *Cùm absurdè dicatur, dolò videri eum facere, qui non ipsi, quem convenit sed alii restituturus petit.* Hinc doli reus minimè censetur commodatarius, qui rem sibi commodatam, & postea à fure ablatam, ab eodem petit; quia eam non furi, à quo petit, sed alteri, domino videlicet reddere debet. Sic Procuratores & advocati, nomine sui Principalis rem ab injusto detentore petentes, dolose agere non præsumuntur, etsi rem, quam petunt, statim restituere debeant; quia non illi, à quo petunt, sed alteri, domino videlicet suo, restituere tenentur.

4 Dicitur notanter ulteriùs, quam *statim*, seu in continenti restituere debet eidem, à quo petit; nam qui rem non *statim*, sed post intervallum temporis v.g. post annum eidem, à quo petit, restituere tenetur, doli reus non præsumitur, *arg. l. fin §. 1. ff. ut Legat. cauf. cavetur.* ubi pater à filia institutus hæres, ut post mortem suam nepoti, testatricis filio, hæreditatem restituat, doli reus non censetur ex eo, quòd à superstite marito res filiæ defunctæ petat, licèt eas restituere teneatur nepoti, quia restitutionem non *statim*, sed primùm post mortem suam facere debet. Quamvis etiam ex alio capite à dolo immunis esset; quia nimirum non illi, à quo petit, sed alteri, nepoti scilicet suo restituere debet.

5 Cæterùm declaratur Regula, & sensus illius exemplis Juris; Sic enim hæres, qui hac cum conditione institutus est, ne peteret à certo debitore debitum, dolosus censetur, & doli exceptione repellitur, si debitum à debitore petat; quia eidem, etiamsi debitum obtineret, statim iterum reddere deberet. *cit. l. Dolo. 8. ff. de Doli mali Except.* per textum *num. 1.* citatum.

6 Sic pariter maritus doli reus præsumitur, & doli exceptione repellitur, si defuncta conjuge dotem à socero, seu patre defunctæ conjugis promissam, sed nondum solutam petat. *arg. l. Apud Celsum. 4 §. 1. & 2. ff. de Doli, & met. Except.* quia eidem statim iterum restituere deberet. Nec obstat, quòd vi *l. 1. C. de Rei uxor. act.* maritus primùm post intervallum unius anni teneatur restituere dotem defunctæ conjugis; quia tempus hoc solius commiserationis causâ conceditur marito, ut, cùm pecunia parata sæpe non statim habeatur ad manum, eam interea comparare, ac postea pro quantitate dotis restituere valeat. Quæ ratio cùm in dote necdum soluta non militet, petens dotem maritus reus doli præsumitur; cùm eidem, à quo petit, statim iterum reddere deberet.

Sic ulteriùs usurarius, qui usuras à debitore petit 7
ex dolo agere præsumitur, & doli exceptionem pati debet, quia usuras, quas à debitore petit, eidem statim restituere deberet *c. Cùm tu. 5. & c. Tuas. 13. de Usur.* ibi: *Compellas restituere ipsas* (usuras videlicet) *postquam fuerint persolutæ, ne de dolo & fraude contingat eos commodum reportare.*

Quæritur II. An, Et in quibus fallat Regula LIX? 8
Resp. Eam præcipuè fallere in casu restitutionis spoliatorum; Nam, ut contra nonnullos benè notat Dynus *hic*, etsi hæc Regula non tantùm in petitorio, sed etiam in possessorio adipiscendæ & retinendæ procedat, tamen fallit in judicio recuperandæ possessionis; quia *spoliatus ante omnia est restituendus. c. fin. de Ordine cogn. cum concordant.* Hinc etsi sciat spoliatus, se rem, quam à spoliatore sibi pro recuperanda possessione restitui petit, eidem statim iterum debere reddere, tamen doli reus non est; quia justam causam petendi habet, ut nempe juxta Juris præscriptum spoliatus ante omnia in possessionem restituatur; prout ampliùs diximus *lib. II. Tit. 13. de Restit. spoliat. §. 3.* ubi tamen §. 4. etiam subjunximus casus, in quibus restitutio spoliatorum ante omnia non fit, & consequenter in iisdem fallentia hæc non procedit. Vide ibidem, ne inutilis fiat repetitio.

REGULA LX.

Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Mora quid, & quotuplex? ac quid Exceptio? remissivè.*
Quomodo Regula intelligenda? Ibid.
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
4 *Exceptio legitima quæ?*
5 *Enarrantur causæ legitimè reddentes exceptionè.*
6 *Citatus etiam ab illegitimo Judice (nisi notoriè sit talis) comparere debet.*
7 *Legati dominium statim post mortem legantis transit ad legatarium.*
8 *Illegitima exceptio non excusat à mora.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Nulla. 88. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Nulla intelligitur ibi mora fieri, ubi nulla petitio est.* adde: vel si quæ est, exceptione legitima elidi potest. *l. Nihil interest. 112. ff. de Reg. Jur.* quia *nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus sensus illius sit? Ante responsionem supponitur ex dictis supra ad *Regulam XXV. n. 2. & seqq.* quid? & quotuplex sit mora? Quid autem, & quotuplex sit exceptio, fusè declaratum habetur *Lib. II. Tit. 25. §. 1. de Exceptionibus.* Quò suppositò Resp. 1. Regulam sic esse intelligendam, quòd ille, qui ex justa, & rationabili causa se defendere, excusare, sicque contra actorem petentem legitimè excipere potest, quare tempore aliàs debito aut præscripto non solverit, aut non fecerit, vel præstiterit verum, aut præsentem debitum, non sit in culpabili mora, quæ pœnas, & malos effectus secum trahat: consequenter ad eos condemnari nequeat; qui enim in culpabili mora est tempore debito solvendi, faciendi, aut præstandi, quod debet, tenetur ad resarcienda damna omnia & incommoda ratione moræ secuta, v.g. ad æstimationem rei, quæ tempore moræ etiam casu periit: ad compensandos fructus: ad interesse & usuras: ad pœnas in contractu appositas &c. prout ampliùs explicatum, & ex jure probatum habetur, per dicta ad *Regulam XXV. à n. 6.* A tali igitur mora culpabili, hujusmodi pœnas, & malos secum trahente effectus Regula immunem declarat illum, qui legitima exceptione se tueri & defendere, id est, allegare, & probare potest, quòd ex rationabili, justa, legitima causa tempore aliàs debito non solverit, vel non fecerit, aut præstiterit, quod debebat, vel eum debere, prætendebatur: id enim probando legitima exceptione se tueri dicitur contra actorem petentem, vel prætendentem. Hinc

Resp. II. Verus sensus Regulæ sequens est: *Non est* 3
in culpabili mora solvendi, faciendi, vel præstandi, qui eo tempore, quò aliàs deberet, vel debere prætenditur, non solvit, facit, aut præstat, quod debet, aut debere prætenditur,

tenditur, & consequenter nec pœnas moræ culpabilis incurrit, qui sufficienter probare potest, quod ex rationabili, justa, seu legitima causa præfato tempore debitum solvere, aut præstare omiserit. Ratio est; quia mora, de qua jura, & Regula nostra loquuntur, supponitur esse inculpabilis, adeò ut, ubi culpa non est, nec mora adesse censeatur. Strein. *hic num. 1. arg. l. Pecunia funebris. 9. ff. de Usur.* atqui ubi justa, & legitima excusatio adest, culpa abest, consequenter & moram abesse, sicque qui se legitimè excusare, seu excipere potest, in mora non esse meritò censetur.

4 Dicitur autem justa causa excusans, & legitima exceptio illa, quæ in jure Divino, naturali, aut humano directè, vel indirectè ita fundatur, ut replicatione elidi non valeat; quia si replicatione elidi potest, pro legitima non habetur. Dyn. *hic n. 3.* Vivianus *hic.* & alii communiter; Nam licet idem est ipso jure non habere actionem, & habere actionem, quæ possit exceptione excludi, textu claro *l. Nihil interest. 112. ff. de Reg. Jur.* sic idem est, omnino non habere exceptionem, & habere exceptionem, quæ per replicationem excludi potest; cum ita se habeat replicatio ad excludendam exceptionem, sicut se habet exceptio ad excludendam actionem. *l. 2. ff. de Except.*

5 Porro causæ justæ, legitimè excusantes, legitimamque reddentes exceptionem, ne quis censeatur esse in mora, plurimæ sunt; ex quibus aliquas in specie subjungimus. Tales namque sunt *Primò*, si solutio pro tempore est impossibilis, aut justò difficilior; quia *nemo potest ad impossibile obligari* juxta *Reg. VI. de Reg. Jur. in 6.* & dicta ad eandem supra. *Secundò*, si debitum provenit ex facto alieno: ut si testator reliquit debitum, quia hujus datur excusans ignorantia juxta *Regulam XIII. de Reg. Jur. in 6. Ignorantia facti, non juris excusat*: & dicta ad eandem supra. *Tertiò*, si creditor debito tempore solutionem oblatam acceptare renuit, per dicta ad *Reg. XXV. n. 2. Quartò*, ubi mali doli, vel metûs gravis injustè incussi contra prætendentem, vel petentem creditorem datur exceptio. *l. Pecuniæ funebris. 9. ff. de Usur.* & totò *Titulò de doli mali, & metûs exceptione. Quintò*, si debitum non est liquidum. *Sextò*, si jam facta est compensatio aliqua ex parte petentis. *Septimò*, si petens ipsemet contractum non implevit. *Octavò*, si exigui temporis dilatio est; quia in hac notabile non sentitur damnum. *l. Si debitori 21. ff. de judiciis.* ibi: *Neque enim magnum damnum, si in mora modici temporis*; nec est necesse statim cum sacro accurrere. *l. Quod dicimus. 105. ff. de Solut.* ibi: *Quod dicimus—debere statim solvere, cum aliquo scilu et temperamento temporis intelligendum est, nec enim cum sacco adire debet.*

6 Objicitur autem contra Regulam 1. Qui excipit contra judicem non suum, legitimè excipit. *l. Contumacia. 53. ff. de Rejudicat. & l. fin. ff. de jurisdictione*, ibi: *Extra territorium jus dicenti impune non paretur. Idem est, & si supra jurisdictionem suam velit jus dicere*: & tamen si citatus à tali judice non comparet, in mora esse & contumax reputatur. *l. Si quis ex aliena. 5. ff. de judiciis* Resp. hoc verum esse, quando dubium, seu notorium non est, judicem esse incompetentem; quia *Prætoris est, æstimare, an sua sit jurisdictio, vocati autem non contemnere authoritatem Prætoris*, uti dicitur *cit. l. Si quis ex aliena.* Hinc citatus venire debet saltem ad ostendendam fori incompetentiam, *cit. l. Si quis.* ibi: *In jus vocati veniant, sua privilegia allegaturi.* junctâ *l. 2 ff Si quis in jus vocatus.* ibi: *Ex quacunque causa ad Prætorem, vel alios, qui jurisdictioni præsunt, in jus vocatus venire debet; ut hoc ipsum sciatur, an jurisdictio ejus sit.* Quare si vocatus contra hoc excipit, legitimam exceptionem non habet per leges citatas. Secus est, si notorium habetur, quòd citans Judex incompetens sit; tunc enim comparere non tenetur, sed legitima exceptione se tueri potest. *cit. l fin. ff de Jur. fisci. & c. fin. de Constit. in 6.* ibi: *Cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè*; patétque in casu, quò Clericus à laico, utpote incompetenti Judice citatur.

Objicitur 2. Debitores ex personali actione con- 7
demnati gaudent legitima exceptione. *l. Debitoribus. 31. ff de Re judicat.* & tamen hæres pro re legata conventus, & condemnatus, non obstante hac legitima exceptione tenetur ad restitutionem fructuum, post litem contestatam perceptorum. *l. In Fideicommissis. 3. ff. de Usur.* Ergo etiam legitima exceptio non excusat à mora. Resp. hæredem in hoc casu ad fructuum restitutionem teneri non propter moram, sed ne ex re legata, tanquam aliena locupletior fiat contra *Reg. XLVIII. de Reg. Jur. in 6.* ibi: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria.* Strein *hic. n. 3.* Salycetus in *cit. l. In fideicommissis.* Cùm enim rei legatæ dominium legatarius statim post mortem legantis acquirat, *l. à Titio. 64. ff. de Furtis.* ibi: *quia ea, quæ legantur, relictâ viâ ab eo, qui legavit, ad eum, cui legata sunt, transeunt*: ex illa tanquam re aliena hæres fructus percipere non potest, & si percipit, legatario restituere tenetur.

Objicitur 3. *l. Nemo 82. ff. de V. O.* pro moroso 8
habetur, qui excipiendo in judicio *litigare maluit, quàm restituere*: ergo exceptio non purgat moram. Resp. ibi sermonem esse non de justa, & legitima, sed injusta exceptione: quæ utique moram non excusat, benè verò exceptio legitima & justa, textu claro *l. Si quis solutioni. 24. pr. ff. de Usur. & fruct.* ibi: *Si quis solutioni quidem moram fecit, judicium autem accipere paratus fuit, non videtur fecisse moram: utique si justè ad judicium provocavit.*

REGULA LXI.

Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Ponitur verus Regulæ sensus.*
3 *Declaratur exemplis Juris.*
Quæ à minoribus fiunt sine authoritate tutoris, valida sunt, si in eorum commodum cedunt, invalida autem, si eis damnosa essent. & n. seq.
5 *Professores plebeia genere nati, evadunt nobiles docendo 20. annis.*
Privilegia antiqua per nova non tolluntur, sed augentur: ibid.
6 *Hæreditatem etiam pinguem nunquam adire potest pupillus sine tutoris authoritate.*
8 *Judæi die Sabbathi non possunt convenire, nec convenire in judicio.*
9 *Prælati Ecclesiastici repudiando hæreditatem, vel legatum, tenentur ad restitutionem.*
Ecclesia gaudet Jure minoris. Ibid.
10 *Sicut vera est Regula præsens; sic vera est eidem à contrario opposita: Quod in pœnam, & odium alicujus est introductum, non debet in ejus utilitatem,*

tatem, & commodum converti: *nisi remotè ac mediatè.*

11 *Regula fallit in gratiis & favoribus non motu proprio, sed ad petitionem concessit.*

1 DEfumitur hæc Regula ex *l. Nulla* 25. *ff. de Legibus.* ibi: *Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.* & *l. Quod favore* 6. *C. eod.* ibi: *Quod favore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum nolumus inventum videri.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. Eam intelligendam esse juxta sequentem sensum, qui proprius illius est: *Quod alicui conceditur ut gratia & favor pro commodo ac utilitate, non ita interpretandum est, ut ei sit oneri, incommodo, vel præjudicio.* Ratio Regulæ est; quia Rescripta accipiunt vires & effectum ab intentione rescribentis *arg. c. Ad aures* 8. *de Rescript.* ibi: *cùm non sit intentionis nostræ*: & quod ad unum effectum atque finem ordinatum est, ita accipi non debet, ut producat effectum contrarium. *l. Cùm & Judices* 2. *§. 9. C. de Jurejur. propter calumn. ibi: ne aliquod contrarium eventus propositio nostro. & quod pro compendio latium introductum est, protinus hoc in adversariam figuram transformetur.* confequenter quod alicui tanquam gratia & favor concessum est, in ejus odium, incommodum, & præjudicium trahendum non est per Jura *n.* 1. allegata: præsertim cùm aliàs gratia & favor concessus, exutâ suâ naturâ, odium & onus evaderet.

3 Declaratur Regula exemplis Juris, & quidem præcipuè in Minore; in hujus siquidem favorem statutum est, quòd non possit stare in judicio sine authoritate tutoris. *l. Clarum* 4. *C. de Authoritate præstanda.* ubi ratio apponitur illis verbis: *ne ex sua imperitia, vel juvenili calore aliquid vel dicant, vel taceant, quod si fuisset prolatum, vel non expressum, prodesse eis potuerat, & à deteriore calculo eos eripere.* junctâ *l. Momentaneæ.* 3. *C. Qui legitimam personam standi &c.* adeò, ut si nihilo minus sine authoritate tutoris litiget, & contra ipsum feratur sententia, hæc de Jure nulla sit *l. 1. C. eod.* ibi: *Si, cùm esses pupillaris ætatis, sine tutoris authoritate cum adversario consistens, Præses Provinciæ adversus te pronuntiaverit, minimè authoritate judicati nititur, quod statutum est. Cum Concord.* Et tamen si sententia in favorem minoris litigantis sine authoritate tutoris fertur, valida existit *l. Non eò minùs* 14. *C. de Procurat.* ubi pariter ratio subjungitur his verbis: *Minoribus enim ætas in damnis subvenire, non in rebus prosperè gestis obesse consuevit.*

4 Rursus in favorem minorum introductum est beneficium in integrum contra venditorem: quò uti si nolit, adversarius petere non potest rescissionem contractûs invitò minore: ne in ejus læsionem, vel damnum retorqueatur, quod in illius favorem introductum est. *l. Si Judex* 41. *ff. de Minor.* Sic pariter in favorem minoris lege introductum habetur, quod si moveatur quæstio de statu, & bonis illorum, judicium differri debeat usque ad annos pubertatis *l. Carbonianus.* 3. *§. 5 ad finem. ff. de Carbonian. Edict.* ibi: *ne de statu periclitentur, antequam se tueri possint,* ut ait lex; & tamen si paratas pro se habent probationes, & causam statim decidi volunt, id fieri debet, ne quod in favorem concessum habetur, in eorum vertatur præjudicium. *cit. l. Carbonianus.* ubi eadem additur ratio; quia *non debet adversus pupillos observari, quod pro ipsis excogitatum est, & pendere status eorum, cùm jam possit indubitatus esse.*

5 Sic ulterius Professores, de plebeio genere nati, etsi 20. annis docendo efficiantur nobiles, *l. un. C. de Profess. qui in urbe Const. antinopolit.* Tamen non perdunt favores, quibus ut plebei gaudebant, ne nova gratia, & favor concessus ei noceat. Et universaliter novæ gratiæ, & favores non extinguunt veteres: nec per nova privilegia tolluntur, vel revocantur antiqua (nisi exprimatur) sed augentur & confirmantur *l. fin. C. de Præpositis agentium in rebus.* ibi: *ita tamen, ut privilegia, quæcunque jam per dispositiones principales imperata, & nunc usque observata esse noscuntur, intacta custodiantur*; addita ratione; *cùm perabsurdum, & perquam temerarium sit, hanc nostræ liberalitatem pietatis, quamquam æstuta interpretatione non ad augmentum anteriorum privilegiorum, sed diminutionem converteres, concedi.*

Objicitur autem contra hanc Regulam *primò*: In 6
pupilli favorem sanctum est, ne valeat adire hæreditatem, quamvis pinguis, & lucrosa sit, textu expresso *§. 1. Instit. de Authorit. tut.* & *l. Obligari* 9. *§. 3. ff. eod.* ibi: *Pupillus hæreditatem adire non potest, quamvis lucrosa sit.* atqui hoc videtur pupillo præjudiciosum: ergo quod in gratiam concessum, etiam in ejus damnum queri potest. Resp. cum Dyno, & Glossa *hic*; id non esse pupillo damnosum, sed favorabile, & utile; quia ordinariè periculum est, ne hæreditas habeat latentia onera, quæ pupillo magis nocere possent, quàm hæreditas prodesse; ad quæ pericula & damna evitanda in favorem pupillorum sanctum est, ut etiam apparentem pinguem hæreditatem adire non valeant sine authoritate tutoris: quæ ratio etiam additur *cit. §. 1. Instit. de Authorit. tut.* ibi: *neque tamen hæreditatem adire—aliter possunt, nisi tutoris authoritate, quamvis illis lucrosa sit;* audi rationem: *ne ullum damnum habeant.*

Hinc benè post Dynum advertit Glossa *cit.* quòd, 7
etsi universaliter loquendo in cunctis, de quibus certum est, conditionem pupilli effici meliorem, valeat factum pupilli etiam sine authoritate tutoris per Jura *n.* 4. & 5. citata; tamen sic non valeat in iis, in quibus ejus conditio vel deterior fit, vel periculum, & dubium est, an deterior, vel melior evadat: prout res se habet in additione hæreditatis.

Objicitur *secundò*: Ex privilegio, & favore Ju- 8
dæis concesso non possunt hi die sabbathi convenire. *l. Die Sabbathi.* 13. *C. de Judæis.* ibi: *Die Sabbathi, vel reliquis, sub tempore, quò Judæi cultûs sui reverentiam servant, neminem aut facere aliquid, aut ulla ex parte conveniri debere præcipimus*: sed hic idem favor illis odiosus est; quia & ipsi propterea etiam Christianos tali tempore convenire non possunt, cum dictis verbis legis statim addatur: *ita tamen, ut nec illis detur licentia, eodem die Christianos Orthodoxos convenire.* Resp. cum Dyno *hic*: Privilegium Judæis datum non fuisse in nuda concessione illis facta, sed additam esse conditionem, ut servetur æqualitas inter litigatores, & vitetur inæqualitas juxta præscripta Juris, sicque Judæos gaudere suo privilegio, prout fuit. Accedit, non tam ex præfata lege, quàm Lege Mosaica principaliter provenire, quòd Judæi in die Sabbathi non possint convenire Christianos: quod verò Christiani ipsos præfata die convenire nequeant, provenire præcise ex privilegio legis, quò plenè fruuntur, sine subsecutione novi oneris. Strein *hic n.* 3.

Objicitur *tertiò*: Officium Prælati Ecclesiastici ex 9
sua institutione ad favorem & indemnitatem Ecclesiæ speciat, & tamen Prælatus potest repudiare hæreditatem, & legatum Ecclesiæ relictum per fusè dicta & probata *Lib. III Tit. 10. §. 2.* atqui hoc videtur Ecclesiæ non rarò præjudiciosum: ergo quod in favorem est concessum, etiam in dispendium retorqueri potest. Resp. per accidens, & contra intentionem Juris esse, quòd per repudiationem hæreditatis vel legati Ecclesiæ præjudicet Prælatus, utpote quia Jure datur Ecclesiæ, ut universaliter etiam in repudiando legato damna

damna Ecclesiæ vitet, non caulet. Eorum autem, quæ per accidens eveniunt, non habetur ratio. Strein. *hic n.* 3. Accedit, quòd, sicut tutor, si sua actione lædat pupillum, tenetur damnum refarcire *l. Quidquid.* 7. *C. arbitr. tutel.* ibi: *Quidquid tutoris dolò, vel lata culpa, aut levi, seu curatoris minores amiserint, vel cùm possent, non acquisierint: hoc in tutelæ, seu negotiorum gestorum utile judicium venire, non est incerti juris.* Sic etiam Prælatus teneatur refarcire damnum causatum Ecclesiæ utpote quæ gaudet Jure minoris. *c. 1. de In integr. restit.* ibi: *Quod si Ecclesia læsa est, & manifestè apparet detrimentum ipsius (cum Episcopo ejus conditionem facere deteriorem non liceat & Ecclesia jure minoris debeat semper illæsa servari) quæ in detrimentum ejus data constiterit, ad ipsius convenii jus, & proprietatem redire.* Casu quo autem Prælatus satisfacere non posset, succurritur Ecclesiæ beneficio restitutionis in integrum. *arg. cit. c. 1. de In integr. restit. & l. 1. ac fin. C. si minor. ab hæredit.*

10 Cæterùm sicut juxta dicta omnino vera manet Regula: *Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus suppendium retorquendum:* sic à sensu contrario vera etiam est Regula, quam illa implicitè continet: Quod in pœnam & odium alicujus est introductum, non debet in ejus utilitatem, vel commodum converti, uti notat & pluribus probat Glossa *hic*, & Dynus, *arg c. 2. de Translat. Episc. circa med.* ibi: *Quod statutum fuit ad quamstruhi non debet ad gratiam, cum Concord.* quam tamen contrariam Regulam cum Dyno sic intellige; quòd idem actus non possit simul esse immediata, & proxima causa pœnæ, & præmii, seu commodi & damni: benè tamen mediata & remota; sic enim licèt in pœnam, & odium suspecti tutoris constitutum sit, ut tanquam suspectus removeatur ab officio: tamen id etiam in commodum illius redundat, quia exinde non tenetur amplius de periculo administrationis negligentiæ. *l. De reto.* 10 *ff. de susp. & Tutor.* Sic etiam, etsi in pœnam & odium militis per ignominiam dimissi, statutum sit, ut *neque in urbe, neque alibi, ubi Imperator est, morari ei liceat,* ut dicitur *l. 2. §. 4 ff. de His, qui notantur infamiâ*, tamen exinde etiam id commodi & utilitatis consequitur, quòd excusetur à tutelis, quæ deseruntur in urbe, & aliis oneribus militum; Nam, ut benè argumentatur Dynus *hic n.* 16. Delictum est causa pœnæ: pœna verò est causa inhabilitatis ad aliquem actum, vel officium: inhabilitas autem est causa remotionis ab actu, remotio est causa exemptionis ab onere incumbente ratione actûs vel officii.

Quæritur II. An, & quas fallentias habeat Regula? 11
LXI. Resp. Eam fallere in gratiis, quæ non motu proprio, sed ad instantiam petentis sunt concessæ. Glossa & Dyn. *hic.* Exemplum habetur in *c. Prudentiam* 2. *de Mutuis petit.* ubi clausula *appellatione remota* in favorem impetrantis obtenta, in ejusdem læsionem retorquetur, si reus ipsum coram eodem Judice reconveniat. Ratio fallentiæ fundatur in illo Juris principio: Quòd quid Juris in alterum quis statuerit, ut ipse eodem Jure utatur. *Tot. Tit. ff. Quod quisque Juris in alterum.* & *c. Cùm omnes. 6. de Constit.*

REGULA LXII.

Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Quomodo intelligenda?*
3 *Verus illius sensus ponitur.*
Sine consilio nil agendum. Ibid.
4 *Procedit Regula etiam in casu, quo consilium noceat tertio.*
5 *Dummodo bona fide detur.*
Consilium fraudulentum non excusat. Ibid.
6 *Fraudulenter consulens subinde tenetur non ipsi, cui su sit, sed tertio, cui damnum inde secutum est, restituere: Quando? & quomodo?*
7 *Ei, qui delictum suadetur, nil debetur.*
8 *Fallit Regula in Assessoribus Advocatis, Medicis, & aliis, qui ex affectu scientiæ, vi officii debitæ, bona fide, sed damnosè suadent.*

1 DEfumitur hæc Regula ex *l. Consilii.* 47. *ff. de R. J.* ibi: *Consilii non fraudulenti nulla obligatio est.* & aliis apud Glossam.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam id velle docere, quòd, cùm ex consiliis etiam optima fide & prudentissimè datis, gravia non raro sequantur damna, iis, qui consilium bona fide dedit, ad refarcienda hujusmodi damna nullatenus obligetur. Hinc

3 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Qui alteri sive petenti, sive non petenti consilium bona fide præbet, nullatenus tenetur ad reparanda damna, vel sustinenda incommoda, quæ ex tali consilio præter intentionem sequuntur.* Ratio est. Tum, quia quamvis ex consilio unius alter ad agendum, vel omittendum efficaciter moveatur, tamen ad id sequendum minimè obligatur. *l. 2. ff. Mandati. §. 6.* ibi: *Neme ex consilio obligatur, etiamsi non expediat ei, cui dabatur: quia liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium.* Unde sibi imputare debet, si ex consilio, quod quis non necessariò, sed liberè sequitur, damnum semiat. Tum, quia si quis ex consilio, etiam bona fide & prudenter dato ad refarcienda damna præter intentionem sæpe sequi solita obligaretur, & à commodis inde secutis excluderetur, nemo foret, qui consilium dare vellet: cùm tamen pro humano commercio optimum, immo exigente charitate sæpe necessarium sit dare, & audire fidele & prudens consilium. Nam ut Spiritus S. loquitur: *ibi salus, ubi multa consilia. Prov. 11. ỳ. 14. & cap. 12. ỳ. 15.* ibi: *qui sapiens est, audit consilia.* Nam *qui omnia agunt cum consilio, reguntur sapientiâ. ibid. cap. 13. v. 10.* unde monet Spiritus S. *Eccles. 32. v. 24. Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.*

Procedit Regula etiam in casu, quò consilium bo- 4
na fide datum in damnum tertii redundat: ut si quis alicui justè suadeat, ut adeat hæreditatem, qua suasione non facta factus fuisset hæres aliquis tertius: vel si consilium justum det, ut instituat actionem de recuperando prædio sibi debito, quod aliàs retinuisset injustus detentor &c.

Dicitur autem in responsione *n.* 2. data: *bona fide* 5
datum; quia ex consilio non bona, sed mala fide, dolo, fraude: vel malitia dato obligationem dari, extra controversiam est, uti patet ex ipsis Regulæ verbis: *dummodo fraudulentum non sit*, ergo à sensu contrario, *si fraudulentum est*, obligatur. Quod idem clarè innuitur *cit. l. Consilii.* 47 *ff. de R. J.* ubi postquam Regula nostra expressa fuit illis verbis *Consilii non fraudulenti nulla obligatio est*: statim altera à contrario sequens additur: *Cæterum si dolus, & calliditas intercessit, de dolo actio competit*; idque non obstante ratione *n.* 2.

allegata, videlicet, quòd *consilium sequi nemo teneatur*: cùm adhuc ratione fraudis teneatur *c. Sedes.* 15. & *c. Ex tenore.* 16. *de Rescriptis.* ibi: *quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent.*

6 Notandum tamen singulariter cum Glossa, Dyno, & Strein. *hîc*, malè consulentem non semper teneri damnum reparare illi, cui consilium dedit, sed subinde etiam tertio, cui damnum suo consilio intulit; Et quidem si consilium circa contractum, vel quasi contractum, v. g. emptionem, venditionem, aut alium contractum dolosè, seu fraudulenter dedit, damnum, quod inde secutum est, illi, cui consilium dolosum dedit, reparare tenetur, per jura hactenus citata. Si verò consilium ad maleficium, seu delictum, vel quasi tale dedit, v. g. ad perpetrandum homicidium, furtum, diffamandum, injuriandum, falsè accusandum, testificandum &c. damnum inde secutum tertio huic reparare debet: idque non ex actione doli mali, sed actione maleficii, aut delicti, quod suasit, *v. g.* si furtum suasit, actione furti tenetur. *l. Si quis.* 52. §. 21 *ff. de Furtis.* & *l. Si quis* 20. *C. eod.* Si injuriam suasit, actione injuriarum. §. *Non solùm.* 11. *Instit. de Injuriis.* ibi: *Non solùm autem is, injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, verùm ille quoque tenetur, qui dolo fecit injuriam, vel qui procuravit, ut cui mala pugno percuteretur.* Quod idem sancitum habetur *l. Non solùm.* 11. *pr. ff. eod.* ibi: *Non solùm is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, hoc est, qui percussit, verùm ille quoque continetur, qui dolo fecit, vel curavit ut cui mala pugno percuteretur.* Si adulterium suasit, tenetur lege Julia de adulterio. *l. Hæc verba legis.* 12. *ff. ad leg. Juliam de adulter. coercend.* ibi: *Hæc verba legis, ne quis posthac stuprum, adulterium facito sciens dolo malo, & ad eum, qui suasit, & ad eum, qui stuprum intulit, pertinent.* & sic de aliis delictis.

7 Ei verò, cui delictum suasit, ad nil obligatur, etiamsi & ille eadem actione teneatur per jura immediatè citata, indéque damnum sentiat. Ratio est, Tum; quia delictum committens ipsemet scivit, & expendere debebat, id sibi non licere. Tum, quia *nemo de improbitate sua consequitur actionem. l. Itaque.* 12. §. 1. *ff. de Furtis.*

8 Quæritur II. An etiam, & quas fallentias habeat hæc Regula? Resp. Eam fallere in Assessoribus, Advocatis, Medicis, & aliis, qui ex officio consilium dare debent; Hi enim, etsi non ex dolo, vel fraude, sed ex imperitia consilium alteri nocivum etiam bona fide præbeant, ad resarcitionem damni inde secuti obligantur. *l. 2. ff. Quod quisque juris in alt.* ibi: *Si assessoris imprudentiâ jus aliter dictum sit, quàm oportuerit, non debet hoc Magistratui officere, sed ipsi assessori.* & *l. Illicitas.* 16. §. 7. *ff. de Officio Præsid.* ibi: *Sicuti Medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet: prætextu humanæ fragilitatis, delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet.* Ratio est; quia hoc ipso, quòd ex officio consilia præbeant, ex quasi contractu obligati existunt, necessariam ad id habere & comparare scientiam; sine qua si officio hujusmodi funguntur, & ex imperitia consilium damnosum subministrant, culpam latam committunt: Culpa lata autem in jure æquiparatur dolo *l. 1. §. 1. ff. Si Mensor falsum modum dixerit.* ibi: *lata culpa planè dolo comparabitur.*

REGULA LXIII.

Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Regula quomodo intelligenda?*
Exceptio *quid? non insinuat confessionem. Ibid.*
3 *Declaratur exemplo juris.*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
5 *Si reus factum, in quo actor suam intentionem fundat, fatetur quidem, sed excipit, onus probandi incumbit Reo.*
6 *Si reus securè confidit, quod Actor factum, in quo suam injustam intentionem fundat, satis probare non valeat, factum illud, etsi realiter contigerit, absolutè negare licet, & expedit.*
7 *Et quare? Ponitur doctrina multùm practica:*
8 *Si reus dubitet, an actor factum probare possit: illud tamen negare expedit, & exceptionem sub conditione apponere: dato, non concesso, si esset factum.*
9 *Nunquam expedit, nudam & simplicem exceptionem facere.*

1 Desumitur hæc Regula ex *l. Non utique* 9. *ff. de Except.* ibi: *Non utique existimatur confiteri de intentione adversarii, cum quo agitur, qui exceptione utitur.* Cui concordat *c. Cùm Venerabilis.* 6. *de Except.* ibi: *Exceptionem objiciens de intentione partis adversæ non intelligitur fuisse confessus.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Eam sic esse intelligendam, quando quis ab alio aliquid petit, vel prætendit, & hic quidem expresè non negat, nec expresè confitetur factum, in quo intentio actoris, seu petentis fundatur, sed tamen excipit, seu ponit exceptionem aliquam contra hujusmodi petitionem, non censetur confiteri intentionem adversarii sui, id est, petentis aliquid ab eo; v. g. Aliquis in judicio accusat quemdam dicens: ego dedi huic mutuam pecuniam mille florenorum, quos necdum solvit; ergo peto, ut solvat: vel vendidi illi domum meam, & ille nondum solvit; peto ergo, ut compellatur ad solvendum: alter verò expresè non negat quidem mille florenos sibi mutuo datos, vel domum sibi esse venditam, neque id expresè fatetur, excipit tamen dicendo: jam pridem solvi: vel, adest pactum de non solvendo: vel, remisisti mihi debitum; hic non censetur fateri intentionem adversarii petentis. Ratio est, quia exceptio est actionis & intentionis exclusio, quâ reus, seu ille, à quo aliquid petitur, id, quod petitur, v.g. solutionem debitam, intendit improbare, & tacitè saltem negare. *arg. l. 2. ff. de Except.* ibi: *Exceptio dicta est, quasi quædam exclusio, quæ interponi actioni cujusque rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve, deductum est.* Ergo per eandem exceptionem fateri non censetur intentionem sui adversarii: Tum, quia hoc est contra essentiam, & intrinsecam naturam exceptionis juxta primùm dicta: Tum quia, si excipiens fateri censeretur, exceptio duos sibi contrarios effectus haberet, confessionem videlicet, & negationem intentionis, quam adversarius prætendit; quod inconveniens est *arg. l. Non omnis.* 19. *ff. de Reb. creditis.* & *l. Legat.* 19. *ff. de Legat. I.*

3 Exemplum Juris habetur *cit. c. Cùm Venerabilis.* 6. *de Except.* ubi orta inter Episcopum Sabinensem, & Monasterium Farfense, lite, agente, & prætendente Episcopo Ecclesiam S. Viti cum spiritualibus, & temporalibus possessionibus & pertinentiis ad se pertinere

quam intentionem suam antequam sufficienter fundaret Episcopus, Procurator Monasterii præproperè excipiendo respondit: Ecclesiam, etsi olim ad Episcopum pertinuisset, de facto tamen ad Monasterium pertinere ex causa permutationis. Quô auditô Episcopus suam intentionem sufficienter fundatam dicebat; quia (ajebat) si Monasterium causâ permutationis Ecclesiam obtinuit, ergo antecedenter ipsa ad Episcopum pertinebat. Quô nonobstante Papa decidit, Episcopum intentionem suam minimè fundasse allegando Regulam nostram, ibi: *Quia exceptionem objiciens de intentione partis adversæ non intelligitur confessus.* Hinc

4 Resp. II. Verus Regulæ sensus sequens est: *Quando Reus contra intentionem actoris exceptionem opponit, adversarii intentionem non censetur fateri, nec huic, sed actori adversario incumbit onus probandi, dummodo factum, in quo intentio actoris fundatur, absolutè non fateatur.* Per Jura, & rationem allegata.

5 Dicitur autem notanter: *dummodo factum, in quo intentio actoris fundatur, absolutè non fateatur*; quia si Reus fatetur, tunc actor suam intentionem jam satis fundâsse in tantum censetur, ut relevetur ab onere probandi, & Reo incumbat onus probandi suam exceptionem. v. g. Si Cajus actor dicat: Titio mutuos dedi mille florenos, quos ut mihi solvat, peto: vel, vendidi Titio meam domum trecentis aureis, quos, quia non solvit, ut ad solvendum compellatur, insto; Vel, Titius meum parentem occidit; ergo peto satisfactionem; Titius verò respondeat: fateor quidem, Cajum mihi mutuos dedisse 1000. florenos; sed nihil ampliùs ei debeo, quia pridem jam solvi vel quia mihi hoc debitum jam dudum condonavit. Vel, Verum quidem est, quod Cajus mihi vendiderit domum, sed pretium non ampliùs debeo; quia locô hujus, ipso volente & instante, Cajo dedi aliud bonum immobile. Vel, verum est, quòd occiderim patrem ipsius, sed ob necessariam mei defensionem. Per hujusmodi enim confessionem facti, in quo intentio Caji actoris fundatur, Cajus, uti dictum, ab onere probationis relevatur, & Titius eô gravatur, ac suam exceptionem probare debet; cùm tali exceptione fiat Actor. *l. 1 ff. de Except.* ibi: *Agere etiam is videtur, qui exceptione utitur; Nam reus in exceptione Actor est.* Et de ista numeri hujus doctrina ampliùs diximus, eamque probavimus *Lib. II. Tit.* 25. §. 3. *à n.* 91. ulteriori argumentô *l. Si quidem.* 9. *C. de Exception.* ibi: *Si verò de hac confitendo exceptione te munitum asseveras, de hac tantùm agi convenit.*

6 Hinc Doctores communiter cum Glossa hîc benè monent, cautè esse procedendum cum exceptionibus, & in praxi observandas cautelas *cit. l. Si quidem.* Et quidem *primò* si reus certus est, vel indubitatè confidit, actorem non posse illud v.g. factum, in quo petitionem, & intentionem fundat, sufficienter probare, non excipere, sed absolutè negare debet factum tale, si (ut benè monet Glossa) cæteroquin securus est in conscientia: v. g. Si quis iniquè à te petat solutionem dati mutui, quod revera fideliter jam solvisti; & bene scis, quod mutuum tibi aliquando datum probare non valeat, prorsus nullam exceptionem opponere, sed absolutè negare debes, quòd mutuum tibi dederit, intelligendo mutuum necdum solutum; quia tunc Actor probare debet mutuum datum: qui si in probando deficiat, tu liber ab alio onere probandi absolveris; nam actore non probante reus absolvendus est. *c. Cùm in Ecclesia.* 3. *de Caus. possess. & propriet.* juncta *l. Qui accusare. C. de Edendo.*

7 Et hæc Doctrina bene notanda, quia sæpissimè, & optimè servit, quando actores duplicem solutionem, vel aliàs injusta inique petunt. Nec committitur in negatione hujusmodi facti, in quo iniquus actor suam injustam intentionem iniquè, & dolosè fundat, aliquod mendacium, sed simplex & nuda profertur veritas; dum enim *v. g.* Actor iniquè petit solutionem mutui jam soluti, dicit mutuum à se datum sibi nondum esse solutum, & consequenter petit solutionem mutui nondum soluti: cùm autem mutuum tale nondum solutum Reus non habeat, cum omni veritate negare, & dicere potest, se mutuum ab actore nunquam accepisse; in eo videlicet sensu, quo Judex interrogat, & actor iniquè petit, mutuum nempe nondum solutum. Et quoniam sic negando absque omni amphibologia, aut restrictione mentali puram dicit veritatem, in casu necessitatis etiam juramentô purgatoriô, si offertur, negationem suam firmare, sicque efficere valet ne ipse injustè patiatur, & ne iniquus actor ex sua malitia, fraude, & dolo commodum reportet contra *c. Sedes.* 15. & *c. Ex tenore.* 16. *de Rescript.* ibi: *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent.* Quod idem dic de malitia, quæ utpote lata culpa, dolo æquiparatur per dicta supra. Et conducit hæc doctrina tunc vel maximè, quando innocens Reus exceptionem suam, quam veram & justam habet, non potest probare: uti sæpe contingit.

8 Secunda cautela, per *cit. l. Si quidem.* insinuata, est: quod si Reus dubitet, an Actor factum, in quo intentionem suam fundat, probare valeat nec ne, possit utrumque cumulare, nempe negare factum, & sub conditione, si probetur, apponere exceptionem, dicendo v.g. nego, datum mihi fuisse mutuum: & si, datô non concessô, datum esset, aut quamvis probaretur, datum fuisse, tamen nulla obligatio ampliùs solvendi existeret; quia jam solutum est, vel quia adest pactum de non solvendo. Quem modum ut tutiorem suadet Glossa, eamque approbant Dynus, Strein, & Canisius *hîc*, dicentes: in tali conditionata confessione facti adhuc remanere onus probandi penes Actorem, eôque non probante, reum absolvi debere. arg. cit. *c. Cùm Venerabilis.* 6. *de Except.* ubi Procurator Monasterii hoc modo negandi factum, & in casu probationis futuræ, exceptionem apponens lucratus est causam: quia Episcopus satis non probavit ibi: *Quòd, etsi dicta Ecclesia dudum fuerit Ecclesiæ Sabinensi subjecta, eam tamen non poterat Episcopus vendicare, quam ex permutationis causa Farfense Monasterium obtinebat.* Ex eo enim, quia Procurator Monasterii factum non absolutè confessus est, (aliàs enim Papa ipsum condemnâsset) sed sub conditione, si forsan subsisteret, exceptionem apposuit, Papa dixit: *Episcopum intentionem suam minimè fundavisse per testium depositiones, vel procuratoris supra dicti responsionem; quia exceptionem objiciens de intentione partis adversæ, non intelligitur fuisse confessus.* indeque pro Monasterio pronuntiavit.

9 Ut proin nunquam consultum sit, exceptionem puram, vel nudam facere, v. g. petente Actore solutionem mutui, puram simplicem exceptionem objicere, dicendo: *non teneor, quia jam solvi, vel, quia adest pactum de non solvendo.* Quamvis enim & hujusmodi nuda exceptio adhuc rejiciat onus probandi, mutuum v. g. datum esse, in actorem per dicta, & probata supra *n.* 4. Tamen quia non desunt Doctores, uti Dynus, Strein, Canisius, & alii dicentes: in tali casu onus probandi exceptionem suam illico incumbere Reo excipienti, idque ex illo fundamento, quòd is, qui fatetur, se jam solvisse, fateatur etiam saltem implicitè, se fuisse debitorem; cùm, qui fatetur unum, per consequens fateri censeatur, quod sequitur ex illo *c. Cùm super.* 23. *de Offic. Delegat.* Hinc meritò pro praxi suadetur, ut nunquam exceptio pura & nuda fiat, sed vel factum absolutè negetur, si satis apparet, id ab Actore sufficienter probari non posse, per dicta *n.* 6. Vel si de hoc dubium existat, ponatur exceptio cum conditione, si factum, in quo intentio Actoris fundatur, sufficienter probetur, aut revera subsistat per dicta *n.* 9.

REGULA

allegata, videlicet, quòd *consilium sequi nemo teneatur*: cùm adhuc ratione fraudis teneatur *c. Sedes.* 15. *& c. Ex tenore.* 16. *de Rescriptis.* ibi: *quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent.*

6 Notandum tamen singulariter cum Glossa, Dyno, & Strein. *hîc*, malè consulentem non semper teneri damnum reparare illi, cui consilium dedit, sed subinde etiam tertio, cui damnum suo consilio intulit; Et quidem si consilium circa contractum, vel quasi contractum, v. g. emptionem, venditionem, aut alium contractum dolosè, seu fraudulenter dedit, damnum, quod inde secutum est, illi, cui consilium dolosum dedit, reparare tenetur, per jura hactenus citata. Si verò consilium ad maleficium, seu delictum, vel quasi tale dedit, v. g. ad perpetrandum homicidium, furtum, diffamandum, injuriandum, falsè accusandum, testificandum &c. damnum inde secutum tertio huic reparare debet: idque non ex actione doli mali, sed actione maleficii, aut delicti, quod suasit, v. g. si furtum suasit, actione furti tenetur. *l. Si quis.* 52. §. 21 *ff. de Furt.* & *l. Si quis* 20. *C. eod.* Si injuriam suasit, actione injuriarum. §. *Non solùm.* 11. *Instit. de Injuriis.* ibi: *Non solùm autem is, injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, verùm ille quoque tenetur, qui dolo fecit injuriam, vel qui procuravit, ut cui mala pugno percuteretur.* Quod idem sancitum habetur *l. Non solùm.* 11. *pr. ff. eod.* ibi: *Non solùm is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, hoc est, qui percussit, verùm ille quoque continetur, qui dolo fecit, vel curavit ut cui mala pugno percuteretur.* Si adulterium suasit, tenetur lege Julia de adulterio. *l. Hæc verba legis.* 12. *ff. ad leg. Juliam de adulter. coercend.* ibi: *Hæc verba legis, ne quis posthac stuprum, adulterium facito sciens dolo malo, & ad eum, qui suasit, & ad eum, qui stuprum intulit, pertinent.* & sic de aliis delictis.

Ei verò, cui delictum suasit, ad nil obligatur, 7
etiamsi & ille eadem actione teneatur per jura immediatè citata, indéque damnum sentiat. Ratio est, Tum; quia delictum committens ipsemet scivit, & expendere debebat, id sibi non licere. Tum, quia *nemo de improbitate sua consequitur actionem. l. Itaque.* 12. §. 1. *ff. de Furtis.*

Quæritur II. An etiam, & quas fallentias habeat 8
hæc Regula? Resp. Eam fallere in Assessoribus, Advocatis, Medicis, & aliis, qui ex officio consilium dare debent; Hi enim, etsi non ex dolo, vel fraude, sed ex imperitia consilium alteri nocivum etiam bona fide præbeant, ad resarcitionem damni inde secuti obligantur. *l. 2. ff. Quod quisque juris in alt.* ibi: *Si assessoris imprudentiâ jus aliter dictum sit, quàm oportuerit, non debet hoc Magistratui officere, sed ipsi assessori.* & *l. Illicitas.* 16. §. 7. *ff. de Officio Præsid.* ibi: *Sicuti Medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet: prætextu humanæ fragilitatis, delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet.* Ratio est; quia hoc ipso, quòd ex officio consilia præbeant, ex quasi contractu obligati existunt, necessariam ad id habere & comparare scientiam; sine qua si officio hujusmodi funguntur, & ex imperitia consilium damnosum subministrant, culpam latam committunt: Culpa lata autem in jure æquiparatur dolo *l. 1. §. 1. ff. Si Mensor falsum modum dixerit.* ibi: *lata culpa planè dolo comparabitur.*

REGULA LXIII.

Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Regula quomodo intelligenda?*
Exceptio *quid? non insinuat confessionem. Ibid.*
3 *Declaratur exemplo juris.*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
5 *Si reus factum, in quo actor suam intentionem fundat, fatetur quidem, sed excipit, onus probandi incumbit Reo.*
6 *Si reus securè confidit, quod Actor factum, in quo suam injustam intentionem fundat, satis probare non valeat, factum illud, etsi realiter contigerit, absolutè negare licet, & expedit.*
7 *Et quare? Ponitur doctrina multùm practica:*
8 *Si reus dubitet, an actor factum probare possit: illud tamen negare expedit, & exceptionem sub conditione apponere: dato, non concesso, si esset factum.*
9 *Nunquam expedit, nudam & simplicem exceptionem facere.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Non utique* 9. *ff. de Except.* ibi: *Non utique existimatur confiteri de intentione adversarii, cum quo agitur, qui exceptione utitur.* Cui concordat *c. Cùm Venerabilis.* 6. *de Except.* ibi: *Exceptionem objiciens de intentione partis adversæ non intelligitur fuisse confessus.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Eam sic esse intelligendam, quando quis ab alio aliquid petit, vel prætendit, & hic quidem expresè non negat, nec expresè confitetur factum, in quo intentio actoris, seu petentis fundatur, sed tamen excipit, seu ponit exceptionem aliquam contra hujusmodi petitionem, non censetur confiteri intentionem adversarii sui, id est, petentis aliquid ab eo; v. g. Aliquis in judicio accusat quemdam dicens: ego dedi huic mutuam pecuniam mille florenorum, quos necdum solvit; ergo peto, ut solvat: vel vendidi illi domum meam, & ille nondum solvit; peto ergo, ut compellatur ad solvendum: alter verò expresè non negat quidem mille florenos sibi mutuo datos, vel domum sibi esse venditam, neque id expresè fatetur, excipit tamen dicendo: jam pridem solvi: vel, adest pactum de non solvendo: vel, remisisti mihi debitum; hic non censetur fateri intentionem adversarii petentis. Ratio est, quia exceptio est actionis & intentionis exclusio, quâ reus, seu ille, à quo aliquid petitur, id, quod petitur, v.g. solutionem debitam, intendit improbare, & tacitè saltem negare. *arg. l. 2. ff. de Except.* ibi: *Exceptio dicta est, quasi quædam exclusio, quæ interponi actioni cujusque rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve, deductum est.* Ergo per eandem exceptionem fateri non censetur intentionem sui adversarii: Tum, quia hoc est contra essentiam, & intrinsecam naturam exceptionis juxta primùm dicta: Tum quia, si excipiens fateri censeretur, exceptio duos sibi contrarios effectus haberet, confessionem videlicet, & negationem intentionis, quam adversarius prætendit; quod inconveniens est *arg. l. Non omnis.* 19. *ff. de Reb. creditis.* & *l. Legat.* 19. *ff. de Legat. I.*

Exemplum Juris habetur *cit. c. Cùm Venerabilis.* 6. 3
de Except. ubi orta inter Episcopum Sabinensem, & Monasterium Farfense, lite, agente, & prætendente Episcopo Ecclesiam S. Viti cum spiritualibus, & temporalibus possessionibus & pertinentiis ad se pertinere

quam

quam intentionem suam antequam sufficienter fundaret Episcopus, Procurator Monasterii præproperè excipiendo respondit: Ecclesiam, etsi olim ad Episcopum pertinuisset, de facto tamen ad Monasterium pertinere ex causa permutationis. Quò auditò Episcopus suam intentionem sufficienter fundatam dicebat; quia (ajebat) si Monasterium causâ permutationis Ecclesiam obtinuit, ergo antecedenter ipsa ad Episcopum pertinebat. Quò nonobstante Papa decidit, Episcopum intentionem suam minimè fundasse allegando Regulam nostram, ibi: *Quia exceptionem objiciens de intentione partis adversæ non intelligitur confessus.* Hinc

4 Resp. II. Verus Regulæ sensus sequens est: *Quando Reus contra intentionem actoris exceptionem opponit, adversarii intentionem non censetur fateri, nec huic, sed actori adversario incumbit onus probandi, dummodo factum, in quo intentio actoris fundatur, absolutè non fateatur.* Per Jura, & rationem allegata.

5 Dicitur autem notanter: *dummodo factum, in quo intentio actoris fundatur, absolutè non fateatur*; quia si Reus fatetur, tunc actor suam intentionem jam satis fundâsse intantum censetur, ut relevetur ab onere probandi, & Reo incumbat onus probandi suam exceptionem. v. g. Si Cajus actor dicat: Titio mutuos dedi mille florenos, quos ut mihi solvat, peto: vel, vendidi Titio meam domum trecentis aureis, quos, quia non solvit, ut ad solvendum compellatur, insto; Vel, Titius meum parentem occidit; ergo peto satisfactionem; Titius verò respondeat: fateor quidem, Cajum mihi mutuos dedisse 1000. florenos; sed nihil ampliùs ei debeo, quia pridem jam solvi vel quia mihi hoc debitum jam dudum condonavit. Vel, Verum quidem est, quod Cajus mihi vendiderit domum, sed pretium non ampliùs debeo; quia locô hujus, ipso volente & instante, Cajo dedi aliud bonum immobile. Vel, verum est, quòd occiderim patrem ipsius, sed ob necessariam mei defensionem. Per hujusmodi enim confessionem facti, in quo intentio Caji actoris fundatur, Cajus, uti dictum, ab onere probationis relevatur, & Titius eô gravatur, ac suam exceptionem probare debet; cùm tali exceptione fiat Actor. *l. 1. ff. de Except.* ibi: *Agere etiam is videtur, qui exceptione utitur; Nam reus in exceptione Actor est.* Et de ista numeri hujus doctrina ampliùs diximus, eamque probavimus *Lib. II. Tit. 25. §. 3. à n. 91.* ulteriori argumentô *l. Si quidem.* 9. *C. de Exception.* ibi: *Si verò de hac confitendo exceptione te munitum asseveras, de hac tantùm agi convenit.*

6 Hinc Doctores communiter cum Glossa hîc benè monent, cautè esse procedendum cum exceptionibus, & in praxi observandas cautelas *cit. l. Si quidem.* Et quidem *primò* si reus certus est, vel indubitatè confidit, actorem non posse illud v.g. factum, in quo petitionem, & intentionem fundat, sufficienter probare, non excipere, sed absolutè negare debet factum tale, si (ut benè monet Glossa) cæteroquin securus est in conscientia: v. g. Si quis iniquè à te petat solutionem dati mutui, quod revera fideliter jam solvisti; & bene scis, quod mutuum tibi aliquando datum probare non valeat, prorsus nullam exceptionem opponere, sed absolutè negare debes, quòd mutuum tibi dederit, intelligendo mutuum necdum solutum; quia tunc Actor probare debet mutuum datum: qui si in probando deficiat, tu liber ab alio onere probandi absolveris; nam actore non probante reus absolvendus est. *c. Cùm in Ecclesia.* 3. *de Caus. possess. & propriet.* juncta *l. Qui accusare. C. de Edendo.*

7 Et hæc Doctrina bene notanda, quia sæpissimè, & optimè servit, quando actores duplicem solutionem, vel aliàs injusta iniquè petunt. Nec committitur in negatione hujusmodi facti, in quo iniquus actor suam injustam intentionem iniquè, & dolosè fundat, aliquod mendacium, sed simplex & nuda profertur veritas; dum enim v. g. Actor iniquè petit solutionem mutui jam soluti, dicit mutuum à se datum sibi nondum esse solutum, & consequenter petit solutionem mutui nondum soluti: cùm autem mutuum tale nondum solutum Reus non habeat, cum omni veritate negare, & dicere potest, se mutuum ab actore nunquam accepisse; in eo videlicet sensu, quo Judex interrogat, & actor iniquè petit, mutuum nempe nondum solutum. Et quoniam sic negando absque omni amphibologia, aut restrictione mentali puram dicit veritatem, in casu necessitatis etiam juramentô purgatoriô, si offertur, negationem suam firmare, sicque efficere valet ne ipse injustè patiatur, & ne iniquus actor ex sua malitia, fraude, & dolo commodum reportet contra *c. Sedes.* 15. & *c. Ex tenore.* 16. *de Rescript.* ibi: *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent.* Quod idem dic de malitia, quæ utpote lata culpa, dolo æquiparatur per dicta supra. Et conducit hæc doctrina tunc vel maximè, quando innocens Reus exceptionem suam, quam veram & justam habet, non potest probare: uti sæpe contingit.

Secunda cautela, per *cit. l. Si quidem.* insinuata, 8
est: quod si Reus dubitet, an Actor factum, in quo intentionem suam fundat, probare valeat nec ne, possit utrumque cumulare, nempe negare factum, & sub conditione, si probetur, apponere exceptionem, dicendo v.g. nego, datum mihi fuisse mutuum: & si, datô non concessô, datum esset, aut quamvis probaretur, datum fuisse, tamen nulla obligatio ampliùs solvendi existeret; quia jam solutum est, vel quia adest pactum de non solvendo. Quem modum ut tutiorem suadet Glossa, eamque approbant Dynus, Strein, & Canisius *hîc.* dicentes: in tali conditionata confessione facti adhuc remanere onus probandi penes Actorem, eôque non probante, reum absolvi debere. *arg. cit. c. Cùm Venerabilis.* 6. *de Except.* ubi Procurator Monasterii hoc modo negandi factum, & in casu probationis futuræ, exceptionem apponens lucratus est causam: quia Episcopus satis non probavit ibi: *Quòd, etsi dicta Ecclesia dudum fuerit Ecclesiæ Sabinensi subjecta, eam tamen non poterat Episcopus vendicare, quam ex permutationis causa Farfense Monasterium obtinebat.* Ex eo enim, quia Procurator Monasterii factum non absolutè confessus est, (aliàs enim Papa ipsum condemnâsset) sed sub conditione, si forsan subsisteret, exceptionem apposuit, Papa dixit: *Episcopum intentionem suam minimè fundavisse per testium depositiones, vel procuratoris supra dicti responsionem; quia exceptionem objiciens de intentione partis adversæ, non intelligitur fuisse confessus.* indeque pro Monasterio pronuntiavit.

Ut proin nunquam consultum sit, exceptionem 9
puram, vel nudam facere, v. g. petente Actore solutionem mutui, puram simplicem exceptionem objicere, dicendo: *non teneor, quia jam solvi, vel, quia adest pactum de non solvendo.* Quamvis enim & hujusmodi nuda exceptio adhuc rejiciat onus probandi, mutuum v. g. datum esse, in actorem per dicta, & probata supra *n. 4.* Tamen quia non desunt Doctores, uti Dynus, Strein, Canisius, & alii dicentes: in tali casu onus probandi exceptionem suam illico incumbere Reo excipienti, idque ex illo fundamento, quòd is, qui fatetur, se jam solvisse, fateatur etiam saltem implicitè, se fuisse debitorem; cùm, qui fatetur unum, per consequens fateri censeatur, quod sequitur ex illo *c. Cùm super.* 23. *de Offic. Delegat.* Hinc meritò pro praxi suadetur, ut nunquam exceptio pura & nuda fiat, sed vel factum absolutè negetur, si satis apparet, id ab Actore sufficienter probari non posse, per dicta *n. 6.* Vel si de hoc dubium existat, ponatur exceptio cum conditione, si factum, in quo intentio Actoris fundatur, sufficienter probetur, aut revera subsistat per dicta *n. 9.*

REGULA

REGULA LXIV.

Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Juxta aliquos Regula intelligenda etiam de illis est, quæ contra legem duntaxat prohibentem fiunt.*
3 *Juxta communem verò solùm de iis, quæ contra irritantem, vel præscribentem formam actûs.*
4 *Quæ sententia & hîc tenetur: ac firmatur exemplis Juris ac n. seq.*
6 *Non servatâ formâ substantiali actûs per legem, actus nullus est.*
7 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
8 *Solvuntur jura contraria.*
9 *Quæ contra legem prohibentem fiunt, etsi valeant, tamen plerumque invalidari possunt.*
10 *Quid censendum in foro interno de eff. ctu actuum jure invalidorum, remissivè.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Non dubium. 5. C. de Legibus.* ibi: *Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos valere volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente: quod ad omnes etiam legum interpretationes, tam veteres, quàm novellas trahi, generaliter imperamus, ut leg slatori. quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat; cæteraque quasi expressa ex legis licentia voluntate colligere: hoc est, ut ea, quæ lege fieri prohibentur si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur; licèt leg slator fieri prohibuerit tantùm, non specialiter dixerit, inutile esse debere. quod sactum est.* Concordat *can. Imperiali. 13. cau. 25. q. 2.* ibi: *Imperiali constitutione apertè sancitum est, ut ea, quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante Responsionem Notandum, quòd Regula hæc in praxi quidem frequentissima, tamen etiam difficillima sit, Doctoribus in ea explicanda, ob utriusque Juris contrarios textus, in diversas partes abeuntibus, & in eo præcipuè hæsitantibus, utrùm Regula non tantùm sit intelligenda de iis, quæ fiunt contra jus, seu leges, vel canones irritantes, sed etiam de iis, quæ fiunt contra jus, seu leges, vel canones simpliciter prohibentes, vel præcipientes aliquid. Abbas siquidem in *c. Nulli. 5. de Reb. Eccles alienand. n. 7.* & plures alii putant, eam etiam de iis, quæ simpliciter duntaxat prohibentur, vel præcipiuntur, intelligendam esse, indeque ea quoque vi Regulæ invalida, & pro infectis censeri debere, quæ contra legem nudè, ac simpliciter tantùm prohibentem, vel præcipientem fiunt. Pro quibus stant clari textus priori num. ex *l. Non dubium. 5. C. de Legibus.* & *can. Imperiali. ibidem allegati.*

3 Econtra communissima DD. sententia est Regulam intelligendam esse solummodo de iis, quæ contra jus, seu leges, & canones irritantes, & non item de iis, quæ contra simpliciter duntaxat prohibentes, vel præcipientes fiunt, nisi per has præscribatur forma actûs; quæ sententia principaliter fundatur in *c. Ad Apostolicam. 16 de Regular.* ibi: *Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* & variis exemplis Juris infra *à n. 4 & seqq.* allegandis. Hòc notatò,

4 Resp. I. Regulam intelligendam esse juxta communissimam DD. sententiam *præc. num.* adductam, adeòque illa pro infectis haberi non debere, quæ contra legem, vel canonem, simpliciter duntaxat prohibentem, vel præcipientem fiunt, nisi per hanc præscribatur substantialis forma actûs, quâ deficiente, actus utique etiam invalidus, & pro infecto habendus est, utpote carens formâ substantiali, seu essentiali. Fundamentum præcipuum responsionis est textus ex *c. Ad Apostolicam. præc. num.* allegatus, variaque Juris exempla. Sic enim licèt matrimonium cum simplici voto castitatis initum sit prohibitum, indeque illicitum, tamen contractum valet, & pro infecto habendum non est. *c. un. de Voto. in 6.* Sic pariter etsi à Jure prohibitum, ac illicitum sit contrahere matrimonium contra interdictum Ecclesiæ, tamen ita contractum validum existit *c. 1. de Matrim. contra interdict. Eccles.* Sic rursus, quamvis universaliter prohibitum habeatur cum impedimento impediente v. g. sponsalibus de futuro cum una, quin altera matrimonium ineat, initum tamen firmiter subsistit, *c. 2. eod.*

5 Sic ulteriùs licèt Episcopis alienos diœcesanos sine proprii Episcopi licentia ordinare gravitet sit prohibitum, tamen ordinatio ab eisdem facta valet. *arg. can. fin. cau. 9. q. 2.* Pariformiter etsi Episcopis prohibitum sit alienas Ecclesias, vel Altaria consecrare, tamen facta ab illis consecratio est valida. *can. Episcopus. 28. cau. 7. q. 1.* Sic denique tacendo plura alia exempla, quamvis prohibitum & illicitum sit Sacerdotibus celebrare Missam, vel alia administrare Sacramenta in statu disgratiæ: nihilo minus celebratio Missæ & confectio, sicut & aliæ administrationes Sacramentorum in tali statu factæ validæ sunt. Exquibus, & aliis hujusmodi exemplis abundè patet, quòd ea, quæ contra jus, seu leges, vel canones simpliciter prohibentes vel præcipientes fiunt, illicita quidem, & peccaminosa, non tamen invalida existant, nec pro infectis haberi debeant: sicque Regula de iis intelligenda non veniat.

6 Dicitur autem notanter in responsione num. 4. data: *nisi per hanc forma ad substantiam actûs pertinens præscribatur*; hæc enim ubi à lege præscribitur, & non servatur, actum pro infecto & invalido haberi debere, extra controversiam est. *arg. c. Cùm dilecta. 22. de Rescript. & c. Quia propter. 42. de Elect. cum Concord.* deficiente enim forma substantiali, & essentiali requisito rei alicujus, rem ipsam corruere per se necesse est. Sic enim alienatio rerum Ecclesiæ contra præscriptam à Jure formam invalida est, & pro infecta habenda, juxta dicta *Lib. III. Tit. 13. de Reb. Eccles. alien. vel non. § 2.* Sic Testamentum, non observatâ præscripta Juris formâ, nullum atque irritum, & pro infecto habetur per dicta, & probata *Lib. III Tit. 26. de Testament.* Sic matrimonium contra præscriptam à Tridentino formam circa assistentiam Parochi, & duorum testium, non tantùm illicitum, sed & invalidum, ac pro infecto habetur. Concil. Trident. *Sess. 24. de Reform. cap. 1.* Sic electiones cum à præscriptam substantialem Ecclesiæ formam celebratæ invalidæ sunt, & pro infectis habentur *cit. c. Quia propter. 42. de Elect. &c.* Hinc

7 Resp. II. Verus, & genuinus Regulæ sensus hic est: *Quidquid agitur contra jus, id est, contra canonem, aut legem, quâ actus irritatur, vel nullus declaratur, aut illius forma substantialis præscribitur, invalidum est, & pro infecto habetur.* per Jura, & rationem jam adductam.

8 Ad Jura, quæ ab adversariis *num. 1.* allegantur, Respondetur, ea non obstare, tum, quia etsi non de lege irritante, tamen de lege firmam præscribente bene intelligi possunt, exigente sic defacto vigente consuetudine, quæ est optima legum interpres. *c. Cùm dilectus. 8 de Consuet.* & aliis textibus atque exemplis Juris contrariis *n. 4. & 5.* allegatis, quæ cum aliis Juribus pro possibili, concordare oportet. *c. Cùm expediat. 29. de Elect. in 6.* Tum, quia quamvis *l. Non dubium. 5 C. de Legibus*, juxta tenorem, & rigorem intelligenda foret, per consuetudinem contrariam modò vigentem abrogata censetur, prout teste Herinx *p. 2. disp. 5. de Legib. n. 34.* plures contestantur authores.

9 Illud tamen notandum, quòd, sicèt ea, quæ contra legem, simpliciter duntaxat prohibentem, fiunt, invalida non sint, tamen plerumque à Judice præsertim ad instantiam partis adversæ annullari valeant *can. Vides fili. 10. dist. 10.* ibi: *quia quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur*: prout idipsum in pluribus casibus præcipitur. Dicitur autem *plerumque*; cùm etsi nonnulli putent, id universaliter fieri posse, hoc tamen verum non sit; quia certum est, quod matrimonium contra legem prohibentem illicitè, validè tamen contractum, annullari amplius nequeat: quod idem dic de ordinatione, consecratione, & aliis *n. 5.* adductis.

10 Cæterùm quid in foro interno censendum sit de effectu illorum, quæ ob legem irritantem nulla, & invalida sunt, vide dicta *Lib. I. Tit. 2. de Constitut. §. 11. à n. 251.*

REGULA LXV.

In pari delicto & causa potior est conditio possidentis.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Ponitur vera intelligentia: & sensus Regulæ. Quare in pari delicto & causa, melior sit conditio possidentis. Ibid.*
3 *Data Judici ob injustam sententiam repeti non possunt.*
4 *Nec data meretrici ob usum corporis.*
5 *Repeti autem potest datum alicui, ne turpe quid committat.*
6 *Ponuntur exempla Juris, quòd etiam in pari causa sine delicto, melior sit conditio possidentis.*
7 *Nec eximuntur ab hac Regula causæ piæ, vel aliàs privilegiatæ.*
8 *Solvitur objectio contra Regulam.*
9 *Fallit Regula 1. in Simonia reali.*
10 *2. In lenocinio viri &c.*

1 PRima pars hujus Regulæ, *in pari delicto*, desumitur ex *l. Cùm par delictum. 154. ff. de R. J.* ibi: *Cùm par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa.* Altera pars, videlicet *in pari causa* absque delicto desumpta habetur ex *l. 1. in pari. 128. ff. eod. In pari causa possessor potior haberi debet.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Regula intelligenda est in sequenti verò illius sensu: *Quando duo in eadem causa rei sunt delicti, v. g. si unus ex delicto dat, & alter ex delicto accipit, melior est conditio possidentis, ita ut restituere amplius non teneatur: Item si duo parem causam absque delicto habent, pariter melior est conditio possidentis adeoque à possessione desisti non potest, donec adversarius legitimè probet, se meliori gaudere jure.* Ratio Regulæ quoad utramque partem est; quia in pari delicto, vel causa possessor duos habet titulos: unum dubium, eundemque, quem habet adversarius, videlicet, num rei proprietas ad se pertineat nec ne: alterum certum, & indubitatum, nempe possessionem; quò titulò quia adversarius caret, meritò Jura magis favent possidenti, præsertim cùm duo vincula plus ligent, quàm unum. *arg. c. 1. de Treuga & Pace.* ac aliàs in judicio petitorio possessor personam rei agat; reus autem ordinariè gaudeat majori favore quàm actor per dicta ad *R. g. XI. de Reg. Jur. in 6.* & *l. Favorabiliores. 125. ff. de R. J.* ibi: *Favorabiliores Rei potiùs quàm Actores habentur.* ac insuper possessio magnæ semper considerationis sit, & inter alios etiam effectum pariat, qui refertur §. *Retinendæ 4. Instit. de Interdict.* ibi: *Commodum autem possidentis in eo est, quòd etiam si ejus res non sit, qui possidet, si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio: propter quam causam cùm obscura sunt utriusque jura, contra petitorem judicari solet.*

3 Exempla Juris pro prima parte sunt *primò*: Si quis Judici pecuniam, vel munera alia dat, ut ferat injustam sententiam, ab eo repetere datum amplius non potest, quia utriusque tam dantis, quam accipientis versatur turpitudo, & Judex in possessione accepti, consequenter melioris conditionis est. *arg. can. Non sanè. 15. cau. 14. q. 5.* & *l. 3 ff. de Condict. ob turp. caus.* ibi: *Ubi autem & dantis & accipientis turpitudo versatur, non posse repeti, dicimus*; veluti si pecunia detur; ut malè judicetur.

4 *Idem est, si ob stuprum datum sit*, ut dicitur *l. 4 pr. ff. eod.* & §. 3. *ibid. quod meretrici datur, repeti non potest.* Concordat. *l. 2. C. eod.* ibi: *Cùm te propter turpem causam domum adversariæ dedisse profiteris, frustra eam tibi restitui desideras: cùm in pari causa possessoris condictio melior habeatur.* Ex quibus legibus Doctores universaliter inferunt, ea, quæ ob turpem quamcunque causam dantur, & absque delicto repeti non amplius posse; cùm ubi par est delictum utriusque, tam malè dantis scilicet, quàm malè accipientis; hujus tanquam possessoris melior sit conditio.

5 Ubi tamen cum Tacano *hîc*, & aliis advertendum; quòd, etsi datum & acceptum ob turpem causam, seu delictum repeti non amplius valeat: tamen id, quod quis dat, ne alter turpe quid, seu delictum committat, v. g. ne injustam sententiam ferat, ne furtum, ne homicidium, ne adulterium, ne proditionem faciat, ab eo, qui accepit, iterum revocare valeat, adeoque in tali casu melior conditio possidentis non sit; cùm non par in utroque, sed in uno duntaxat, volente nempe delinquere, & accipiente versetur delictum, textu claro *l. 1. §. 2. ff. de Condict. ob turp. caus.* ibi: *Si turpis causa accipientis fuerit, etiamsi res secuta sit, repeti potest.* Exemplificatur hoc *l. 2. ff. eod.* illis verbis: *Ut puta, dedi tibi, ne sacrilegium facias; ne furtum; ne hominem occidas: in qua specie Julianus scribit, si tibi dedero, ne hominem occidas, condici posse.* Concordat *l. Idem. 4. § 2 ff. eod.* ibi: *Quoties autem foliat accipientis turpitudo versatur, Celsus ait, repeti posse, veluti si tibi dedero, ne mihi injuriam faciat.*

6 Pro altera parte Regulæ, *In pari causa*, sine delicto, exempla Juris dantur plurima: veluti si duo eandem rem à duobus non dominis bona fide emunt, ille, cui res etiam tradita est, prævalet; quia in hac

pari causa potior est conditio possidentis. *l. Sive autem. 9. §. Si duobus. 4. ff. de Publiciana in rem action.* Item, si duobus eadem res obligatur, & nescitur, cui priùs: melior est conditio possidentis rem. *l. Si debitor. 10. ff. de Pignor.* Sic ulteriùs: *si à Sede Apostolica, vel Legato ipsius uni, & ab Ordinario alteri eidem die idem beneficium conferatur, nec appareat, quæ collatio fuerit primò facta, erit potior conditio possidentis*, sunt verba formalia *c. Si à Sede. 31. de Præbend. & Dignit. in 6.* Sic rursùs, si in judicio utrinque testes æquè idonei & pares sunt, in hac pari causa præferuntur, depositiones testium, qui possessore testantur. *c. Ex litteris. 3. §. Quod si. de Probation.* ibi: *Quod si ambarum partium testes sint æquè idonei, possessoris testes præferentur.* Et si ambo se possidere contendunt, prævalent, qui de antiquiori possessione deponunt. *c. Licèt causam. 9. eod.* ubi summarium sic habet: *si Actor & Reus in interdicto retinendæ possessionis probant, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat &c.* Ut proin semper in pari causa melior sit conditio possidentis, & specialiter attendatur ad possessionem; quod ipsum non ex minimis prærogativis est, quas affert possessio, uti cum aliis benè observat Strein *hic. n. 1.*

7 Porro procedit Regula etiam contra Ecclesiam, aliasque causas pias, & privilegiatas, (nisi sint de quatuor specialiter favorabilibus, videlicet testamento, libertate, conjugio, & dote: de quibus vid. *Lib. II. Tit. 12. à n. 46.*) ita ut, licet harum favor, etiam dum actores existunt, potior sit, quàm Rei, tamen quando causa pia, vel alia privilegiata cum profano litigat, in pari causa potior sit conditio possidentis profani; cùm magis semper attendatur ad titulum possessionis, quàm qualitatem litigantium: ut post Fulgosium *Consil. 138. dubio 1.* & alios bene advertit Strein *hic n. 2.* patetque inter alia etiam in casu, quò quis dubitat, an emiserit votum, nec ne? tunc enim, quia libertas in possessione existit, potior est conditio ipsius. *arg. c. Ex parte. 18. de Censib.*

Nec dicas: ex hac Regula foveri fures, prædones, & raptores, quamprimùm possidere incipiunt. 8
Resp. enim, neque hâc Regulâ, nec alio jure horum possessionem defendi, sed quamprimum de illis ut talibus constiterit, eos, non obstante possessione, ad restitutionem rerum ablatarum, unà cum fructibus, & ad refarcienda damna illata illicò compelli textu claro *c. Gravis. 11. de Restit. Spoliat. cum Concordant.*

Quæritur II. An, & quas Fallentias patiatur Regula LXV.? Resp. Eam fallere 1. In Simonia reali; cùm, etsi par sit delictum dantis & recipientis simoniacè, tamen qui munus taliter recipit, non obstante possessione, teneatur restituere *arg. C. De hoc. 11. de Simon.* ubi etiam Reges, & Principes id, quòd simoniacè receperunt, restituere coguntur: cui autem restitui debeat, vid. *Lib. V. Tit. 3. à n. 295.* 9

Fallit 2. Quando uxor lenocinio viri adulteratur; 10
hoc enim in casu, etsi par videatur delictum utriusque, tamen solutò per mortem uxoris matrimoniò, vir dotem, quam possidet, non potest retinere, sed illis, quibus aliàs ab intestato, vel ex testamento competit, restituere debet. *l. Cùm mulier. 47. ff. Solutò matrim.* ubi legislator etiam rationem sum legis apponit; ibi: *Cùm mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nil ex dote retinetur; cur enim improbet maritus mores, quos ipsemet aut ante corrupit, aut postea probavit.*

REGULA LXVI.

Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quò minùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Ponitur verus sensus, & intelligentia Regulæ.*
3 *Loquitur duntaxat de casu, quo quis impeditur à tali, cujus interest conditionem non impleri.*
4 *Adducitur ratio Regulæ.*
5 *Firmatur exemplis Juris. & duob. seq.*
8 *Solvuntur objectiones Juris. & n. seq.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. In Jure Civili. 161. ff. de Reg. Jur.* ibi: *In Jure Civili receptum est, quoties per eum, cujus interest, conditionem non impleri, fiat, quò minùs impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset: quod ad libertatem, & legata, & ad hæredum institutiones perducitur &c.* Concordat *l. In executione. 85. §. fin. ff. de Verb. Oblig.* ibi: *Quicunque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligetur.*

2 Quæritur: Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Regulam intelligendam esse juxta sensum sequentem, qui proprius illius est: *Quando in lege, contractu, testamento, vel alia dispositione aliquid in alicujus favorem ordinatur sub certa quadam conditione, & is, cui apponitur conditio, facit, quantùm est in se, nihilque prætermittit eorum, quæ ad conditionem implendam spectant, & tamen implere non potest, eò quòd ab illo, cujus interest conditionem non impleri, impediatur, perinde haberi, & favore frui debet, ac si conditionem reipsa adimplesset.* Dicitur notanter: *Quando aliquid in alicujus favorem ordinatur*; quia Regula loquitur, & intelligenda est de illis dispositionibus, *quæ in alicujus favorem fiunt*, appositæ tamen conditione, uti patet ex verbis exemplificatoriis Regulæ civilis *n. 1.* allegatæ, ex qua desumpta fuit Regula canonica, ibi: *Quod ad libertatem legata, & ad hæredum institutiones pertines &c.* quæ cuncta sunt favorabilia pro iis, qui libertatem, legata, vel hæreditatem consequuntur.

Dicitur etiam notanter: *eò quòd ab illo, cujus interest conditionem non impleri, impediatur*; Nam ut post Dynum *hic* benè advertunt Vivianus & alii, Regula per omnia declarari & intelligi debet juxta *Regulam 161. ff. de Reg. Jur. n. 1.* allegatam, utpote ex qua canonicam desumptam diximus; ibi autem expresè habetur: *quoties per eum, cujus interest conditionem non impleri, fit, quò minùs conditio impleatur*: per quod etiam distinguitur hæc à *Regula XLI. Jur. in 6. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non facias, quod per eum fuerat faciendum*; ista siquidem etsi similis videatur præsenti, tamen ab illa differt in eo, quòd Regula 41. loquatur de casu, quò quis impeditur per alicujus casus eventum, vel per tertium, cujus non interest rem fieri, vel non fieri: præsens verò propriè loquatur de casu, quò quis ab implenda conditione sibi imposita impeditur ab eo, cujus interest, conditionem non impleri, puta, quia conditione adimpleta aliquid amissurus est, aut præstare debet. Dynus, & Vivian. *loc. cit.* cui Strein. *hic. n. 1.* & aliam differentiam addit, videlicet, 3

6 Sic pariter: si servo in Testamento legatur libertas conditione, *si hæredi decem solverit pendat*, & servus ea hæredi offerat, hæres autem, cujus interest servò non privari, illa non acceptet, perinde liberta erit, ac si acceptâsset hæres, & conditio fuisset impleta, quia per eum non stetit, quò minùs

videlicet, Regulam *XLI.* duntaxat velle, non debere illi imputari ad culpam, si non facit, quod facere non potest: præsentem verò Regulam non solum à culpa eximere illum, qui apposítam conditionem non adimplet, dum impeditur, sed insuper velle, quòd conditio etiam habeatur pro adimpleta: si quis impeditur à tali, cujus interest conditionem non impleri: quod non dicit Regula XLI. utpote vi cujus quidem excusatur quis à culpa, si non facit, quod facere non potuit, nullum tamen præterea consequitur fructum & effectum, uti contingit quando quis impeditur à conditionibus ad valorem & ultimum Sacramentorum necessariis, ob licèt quis careat culpâ, attamen nullum fructum & effectum habet Sacramentorum: vi præsentis Regulæ autem non solùm à culpa quis immunis est, sed & eundem effectum habet, ac si conditionem reipsa adimpleset. Res magis patebit per exempla Juris infra *à n. 5. & seq.* adducenda.

4 Interea adjicitur Ratio Regulæ, videlicet quòd, quia nemo potest ad impossibile obligari, juxta *Reg. 6. de Reg. Jur. in 6.* legislatores, & aliarum dispositionum auctores non censentur (saltem in ordine ad illos, quorum interest, non impleri conditionem, quam injuste impediunt) conditiones aliter apponere, quàm, si eas implere possibile sit: nec velle favere illis, qui malitiosè impediunt, nec lucrò & favore designatò privare eos, qui nihil omiserunt eorum, quæ ad præscriptum conditionem adimplendam spectant. In quo dicti Auctores divinam imitantur bonitatem, quæ etiam solam voluntatem, & possibilem, licet irritum conatum æquè remuneratur, ac opus ipsum, uti conatat de Abraham *Genes. 22.* qui ex eo, quòd bonam voluntatem, & debitum conatum sacrificandi filium habuerit, idem meritum, eandemque efficacem apud DEUM reportabit, ac si actu filium occidendo sacrificâsset, etsi ab hoc per Angelum impeditus *arg. can. Si quæsibet. 20 can. 22. q. 2.*

5 Declaratur, & firmatur Regula amplius exemplis Juris: Sic enim, si quis instituitur hæres sub hac conditione, ut decem det Titio, qui aliàs ab intestato succederet, & consequenter cujus interest, conditionem non impleri, & instituus hæres conditionem adimplere volens decem offerat Titio, hic autem ea non accipiat, conditio habetur pro impleta, & instituus hæres hæreditate gaudet. Dyn. *hic n. 1.* arg. *l. Si ita hæres. 3. ff. de Condition. instit.* ibi: *Si ita hæres institutus sum; si decem dedero: & accipere nolit, cui dare jussus sum, pro impleta conditione habetur.*

6 Sic pariter: si servo in Testamento legatur libertas conditione, *si hæredi decem solverit pendat*, & servus ea hæredi offerat, hæres autem, cujus interest servò non privari, illa non acceptet, perinde liberta erit, ac si acceptâsset hæres, & conditio fuisset impleta, quia per eum non stetit, quò minùs conditio adimpleretur *l. fin. ff. de Condition. instit.*

Sic etiam: si quis cum altero contrahit, & promittit dare eidem decem, si ascendat in Capitolium, & per promissorem stat, quò minùs alter ascendat, utpote impeditus ab illo, conditio habetur pro impleta, & decem debentur. Dyn. *hic n. 1. l. In Jure 161. ff. de Reg. Jur.* ibi: *quibus exemplis stipulationes quoque communiuntur; cum per promissorem factum esset, quò minùs stipulator conditioni pareret.* 7

Objicies 1. *l. Cùm quidem 7. C. de Condition. insert.* ubi expresè habetur, quòd si servo legatur libertas sub hac conditione, ut tot vel tot solvat hæredi, servus evadat liber, si conditionem impleturus ad hæredem properavit, *sed in medio salvatoris, & hostium incursione, vel alio fortuito casu peremptum est, quod portabat*, cui subjungitur: *ex quacunque igitur causa impeditur, sive per hæredem, sive per eum, cui dare aliquid jussus est, sive per fortuitus casus, in libertatem pervenit.* Ergo Regula non tantùm est intelligenda de casibus, in quibus conditionem adimplere volens impeditur ab eo, cujus interest, conditionem non impleri; sed etiam, si ex alia quacunque causa, vel casu fortuito impeditur, quod est contra supra dicta *n. 3.* Resp. negando consequentiam; quia etsi ex quacunque causa impeditus implere conditionem vi dictæ legis attribuatur libertas, conditio tamen non habetur pro impleta, cùm eandem secuta jam libertate, adhuc adimplere per dictam legem cogatur; ibi: *in libertatem quidem ipse omnino pervenit, nisi ipse servus noluerit adimplere conditionem: obnoxius tamen constituitur, post libertatem hæredi vel e, cui dare aliquid jussus est, (nisi & ipse oblatas pecunias non susceperit: quod enim semel repudiatum ab eo est, reintegrari minimè concedimus) quatenus hoc, quod dare jussus est, omnimodo implere compellatur.* 8

Objicies 2. Si quis Cajo legat mille ea cum conditione, si filiam ejus ducat, & filia ante nuptias moriatur, nil debetur Cajo, etsi per eum non steterit, quò minùs conditio fuerit adimpleta. *l. Legatum 4. C. de Condition. insert.* ibi: *Legatum sive fideicommissum à patruo tuo relictum tibi sub conditione, si filio ejus nupsisses; cùm mortuo filio, antequam matrimonium cum ipso contraheretur, conditio defecerit, nulla actione deberi tibi ex testatu.* Ergo non semper conditio habetur pro impleta, quando non stat per eum, ad quem pertinet, quò minus impleatur. Resp. hanc legem minimè ob ill. Regulæ nostræ latius, quia non loquitur de casu aliquo, quò conditionem implere volens impeditur ab eo, cujus interest, conditionem non impleri; de cujusmodi tamen casibus solummodo intelligenda est Regula per dicta *n. 3.* Unus quia casus in lege ponitur, est unus inter illos, in quibus apponens conditionem absolutè velle præsumitur, ut adimpleatur, eâque ob quamcunque causam non impletâ, conditionate promissum non valeat; in cujusmodi casibus Regulam locum non habere extra controversiam est. 9

REGULA LXVII.

Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Regula in duplici sensu intelligi potest.*
3 *Ponitur verus illius sensus.*
4 *Declaratur exemplis Juris. & duob. seqq.*
Clerico non licet exercere fœnus proprio, vel alieno nomine. Ibid.
5 *Nec alicui excommunicato stare in judicio.*
6 *Nec falsificare litteras Apostolicas suo, vel alieno nomine.*
7 *Fallit Regula in casibus, ubi in propria, & aliena persona non est eadem prohibitionis ratio.*
8 *Declaratur hoc exemplis Juris. & duob. seqq.*

1 DEsumpta videtur hæc Regula ex *l. Non utique. 2 §. 1. ff. de Administrat. rerum ad civitas. pertin.* ibi: *quod quis suo nomine exercere prohibetur,*

id nec per subjectam personam agere debet. & can. Sicut non suo. 10. dist. 46.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Hanc Regulam in duplici sensu procedere, & intelligi posse; & quidem *primò* taliter: quod alicui suo nomine in propria persona facere non licet, nec alieno, id est, nec per alium seu per substitutum eidem licebit. *Secundò* ita: quod quis suo nomine, seu pro seipso licitè facere non potest, id neque alieno nomine id est, nec pro alio poterit. Exempla utriusque sensûs passim habentur in Jure: & procedit potissimùm de maleficiis, seu delictis, non tantùm Jure divino & naturali, sed etiam humano prohibitis; Sic v. g. quia non licet mihi nomine meo, & in propria persona innocentem occidere, vel furtum, aut usuram committere: ita neque alieno nomine, id est, nec per alium pro me nec pro alio committere licebit. Hinc

3 Resp. II. Verus sensus Regulæ sequens est: *Quod quis prohibente Jure divino, naturali, aut humano licite facere non potest suo nomine, id nec alieno nomine, id est, nec per alium pro se, nec in propria persona pro alio licitè facere poterit.* Ratio est, Tum, quia, cùm quis regulariter in quovis negotio ad agendum pro se, & ad se aliquò modò pertinentibus faciliùs admittatur, quàm pro aliis, arg. can. *Prohibentur.* 14. cau. 2. q. 1. consequens est, quòd si quis suo nomine quid agere prohibetur, multò magis id alieno nomine agere prohibitus esse censeatur. Tum, quia, si quod non licet proprio nomine, liceret alieno, admitteretur aliquid unâ viâ, quod aliâ viâ prohibetur contra Reg. 84. de R. J. in 6. ibi: *Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ viâ non debet admitti.*

4 Declaratur, & firmatur Regula ulteriùs exemplis Juris; & quidem, abstrahendo à prohibitis Jure divino, & naturali, de quibus aliqualiter dictum est n. 2. & per se patet, loquendo de prohibitis jure humano: Sicut Clerico non licet nomine suo exercere fœnus, sic idem ei non licet nomine alieno. cit. can. *Sicut non suo. dist.* 46. ibi: *Sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attentet. Indecens est enim crimen suum commodis alienis impendere.*

5 Sic pariter, quia excommunicato non licet proprio nomine agere in judicio, c. *Intelleximus.* 7. de Judiciis. cum Concord. sic etiam alieno, seu procuratorio nomine agere prohibetur c. *Post cessionem* 7. de Probat. ibi: *Cùm igitur per literas judicis ordinarii (quibus standum est, donec probetur contrarium) nobis constiterit, quod N. excommunicatus erat, cùm procurationis officium assumpsit; ipsum tanquam procuratorem non duximus admittendum.*

6 Sic rursus sicut non licet suo nomine literas Apostolicas falsificare, ita nec alieno licet; *Nos enim*, ait Papa c. *Ad falsariorum.* 7. de Crimine falsi *omnes falsarios literarum nostrarum, qui per se, vel alios vitium falsitatis exercent, anathematis vinculô decernimus innodatos.* Sic etiam uti proprio, ita & alieno nomine album Prætoris corrumpere illicitum est l. *Si quis.* 7. ff. de Jurisdict. Sic plurima alia in Jure habentur exempla; ex quibus

7 Quæritur II. An, & quas Fallentias patiatur hæc Regula? Resp. Eam universaliter fallere tunc, quando ratio prohibitionis in mea persona existens cessat, seu non reperitur in aliena, eique non obstat. Ita DD. communiter; Sic enim, etsi mihi non liceat contrahere matrimonium cum mea consanguinea, c. *Non debet.* 8. de Consanguin. & affinit. possum tamen cum ea nomine alieno, seu pro alio non consanguineo vel affine ut procurator ipsius contrahere, c. *Ex parte.* 14. de Restit. Spoliat. & c. fin. de Procurat. in 6. quia ratio prohibitionis, consanguinitas nempe, quæ in mea persona est, non reperitur in alia.

8 Sic etiam, quamvis filiusfamilias sine consensu patris, quantum ad temporalia regulariter loquendo, non possit agere in judicio c. 3. de Judiciis. in 6. tamen nomine alieno, seu pro alio agere potest. c. *Qui generaliter.* 5. de Procurat. in 6. ibi: *Ne dum verò ad negotia, sed etiam ad judicia potest filiusfamilias absque patris assensu fieri procurator.* quia ratio prohibitionis, ne filiusfamilias juvenili suâ imprudentiâ sibi, vel patri circa temporalia noceat, cessat in alieno negotio, in quo ut procurator nec sibi, nec patri præjudicat; cùm judex non contra procuratorem, sed contra principalem proferat sententiam, & hic sibi imputare debeat, quod sciens talem constituerit procuratorem. Dynus hic n. 2.

9 Sic ulterius, quamvis per fundum alienum, in quo jus servitutis non habeo, nomine meo ire, vel jumentum agere non valeam: tamen id mihi licebit facere nomine alieno jus servitutis in præfato fundo habentis. l. *Si stipulatus.* 111. ff. de Verb. Oblig. quia ratio, quæ me prohibet, alium non prohibet, qui jus servitutis in fundo habet, quo jure per se, vel per alium uti potest juxta Regulam statim sequentem: *Potest quis par alium, quod potest facere per seipsum.*

10 Sic rursus, etsi Episcopo non liceat suo nomine alienos diœcesanos ordinare: tamen id ei licet ex commissione, & nomine Papæ, vel ordinarii loci. c. 1. de Tempor. Ordinat. in 6. quia ratio prohibitionis, carentia nempe jurisdictionis in alienos subditos, cessat in Ordinario loci, cujus nomine & commissione Episcopus alienus ordinat. Sic pariter, licèt munere & potestate carens, judicare aliquem nomine suo non valeat, nomine tamen alieno, causam & jurisdictionem delegante de causa sibi commissa cognoscere, judicare, & sententiare potest, integro Tit. ff. de Officio & potest. Judicis delegati.

REGULA LXVIII.

Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Quomodò intelligenda?*
3 *Ponitur verus sensus illius.*
4 *Alius, per quem quis agit, debet ad id esse debitè qualificatus.*
5 *Declaratur Regula exemplis.*
6 *Sunt plura, quæ per alios fieri debent.*
Nobiles non per se, sed per procuratores litigare debent. Ibid.
7 *Idem est de Episcopis & Sacerdotibus.*
8 *Fallit Regula 1. quando adest industria personæ.*
9 *Fallit 2. in iis, quæ naturâ suâ, vel dispositione Juris per alios fieri nequeunt. & n. seq.*
10 *Uti in specie sunt Testamenta, nisi ad pias causas fiant.*
11. 3. *Quando nudum ministerium sine jurisdictione committitur.*
12. 4. *Quando aliter inter partes conventum est.*

Hæc

1 HÆc Regula juxta Glossam hic desumitur ex l. *Quod jussu* 180. ff. de Reg. Jur. ibi: *Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset.* & l. 1. §. 12. ff. de Vi & vi armata, quibus affinis etiam est Reg. 72. de R. J. in 6. *qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam id velle dicere; quòd, cùm in commercio humano plurimæ sint causæ, actus, & negotia, quæ quis ipsemet in persona agere, aut tractare, vel impeditus non potest, vel ex quacunque causa non vult, possit alterius, ad rem idonei, ac debitè qualificati operâ & auxiliò uti, & per eum tam in, quàm extra judicium facere, quod ipsemet licitè, ac legitimè facere potest, hîc & nunc autem ex causâ sibi nota facere non vult, vel impeditus non potest. Quæ Regula potissimùm delegatos, substitutos, procuratores, ministros & officiales concernit, per quos causas & negotia sua principales agunt, ac pertractant. Hinc

3 Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Qui aliquid, v. g. contractum actum, negotium, causam &c. per seipsum validè & licitè facere, vel tractare potest, valet id ipsum etiam per alium ad hoc idoneum, & debitè qualificatum validè & licitè facere.* Ratio Regulæ est; quia, cùm juxta jam dicta hominum negotia plurima, & varia sint, quæ quantumvis ad se spectantia quivis per seipsum peragere sæpe non potest, utpote vel aliis magis urgentibus, vel infirmitate, vel necessariâ absentiâ, aut alia ratione impeditus: vel quia ex causa sibi nota peragere non vult: vel quia actus, labor, aut negotium per seipsum agere ejus personæ non congruit, maximum non raró quis pateretur in rebus suis damnum & præjudicium, si per alium facere non posset, quod ipse quidem, absolutè loquendo, per seipsum agere valeret, hîc & nunc tamen impeditus vel non potest, vel ex causa non vult peragere. Ob quam etiam rationem procuratorum, & similium hominum, aliena negotia agentium, usus ab ipso Jure omnino necessarius agnoscitur l. 1. § 2. ff. de Procurat. ibi: *Usus autem Procuratoris perquam necessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios possint vel agere, vel conveniri.* Quod ipsum etiam utilissimum, & maximè commodum ideo meritò reputatur, quia juxta dispositionem Juris quod quis facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum. cit. Reg. 72. de R. J. in 6.

4 Dicitur autem notanter: *per alium ad hoc idoneum &c.* Id est, necessariâ ad id scientiâ, potestate, ordine, aliâque requisita qualitate præditum; enimverò ubi hoc non est, utique Regula non procedit, arg. can. fin. cau. 5. q. 3. Hinc licèt Episcopus uti per se, ita & per alium Episcopum ordinare suos subditos possit, non tamen id potest per simplicem Sacerdotem, cùm hic ad id non sit idoneus, utpote carens potestate ordinandi.

5 Exempla Juris Regulam declarantia, & confirmantia ferè innumera existunt, ac cuivis vel obiter consideranti facilè patent; nam ut statim ad hominem exemplificat Dynus hic n. 1. Sicut possum per me ipsum emere, vendere, locare, litigare, dare eleemosinam, acceptare beneficium: ita idem possum facere per alium. arg. cit. l. 1. §. *Usus.* 2. ff. de Procurator. & l. *Sed si unius.* 17. §. 19. & 20. ff. de injur. & famos. libell. cum Concord.

6 Quin immo sunt plura, quæ licèt per seipsas certæ personæ ob dignitatis statum, defectum virium, scientiæ, ætatis, vel ob delictum, aut aliam inhabilitatem facere non possint, per alios tamen ea facere valent & debent. Sic personæ nobiles, ac illustres non per seipsas, sed per procuratores in judicio litigare debent. l. *Quicunque.* 25. pr. C. de Procurat. ibi: *Quicunque prætorianæ, vel urbanæ præfecturæ sublime fastigium, vel magisterium militare, vel Consistorianæ comitivæ insignia meruerit dignitatis, vel proconsulare jus dixerit, aut Vicarii fuerit administratione suffultus, si quod ab eo infertur jurgium vel refertur, procuratoris personam in negotii sui jura substituat.* Sic etiam pupilli, mente capti, & alii hujusmodi ex natura inhabiles, non per seipsos, sed per alios in judicio litigant. arg. c. *Pastoralis.* 14. in fin. de Judiciis. ubi *indiscretæ*, id est, carentes debita discretione appellantur ejusmodi personæ. Sic etiam, etsi propter delictum excommunicatus per se in judicio stare non possit, conventus tamen potest & debet per alium respondere, c. *Intelleximus.* 7. de Judiciis. ibi: *Quia postulâsti à nobis, utrum excommunicatus in judicio stare possit; respondemus, quod conveniri potest, & debet per alium respondere in judicio, ne videatur de sua malitia commodum reportare.*

7 Sic Episcopi, & alii Sacerdotes non per seipsos, sed per advocatum, vel procuratorem litigare in judicio debent. can. fin. cau. 5. q. 3. ibi: *quia Episcopus universique Sacerdotes ad solam laudem Dei bonorumque operum actiones constituuntur. debet unusquisque eorum tam pro Ecclesiasticis, quàm etiam pro suis actionibus (excepto publico videlicet crimine) habere advocatum non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis, & laudabilis artis inventum.* Sic iidem Episcopi, Prælati & Clerici habentes altam jurisdictionem de causa sanguinis non per se, sed per alios cognoscere, ac judicare possunt & debent c. fin. *Ne Clerici, vel Monachi.* in 6. ibi: *Nam licèt Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cùm jurisdictionem obtinent temporalem) debent & possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare.*

8 Quæritur II. An, & quas fallentias habeat Regula præsens? Resp. Eam fallere in pluribus veluti 1. quando ad negotium aliquod, vel causam expediendam specialiter electa est industria & fides certæ personæ; hæc enim non nisi per seipsam, minimè verò per aliam negotium expedire potest. c. fin. §. *Is autem* de Offic. Jud. deleg. ibi: *præterquam si inquisitionem fieri, vel Ecclesiæ de Prælatis, vel aliis ministris provideri mandaremus: cùm in his omnibus casibus industriam, & fidem personæ, cui talia committimus, eligere videamur.* Concordat c. *Is cui.* 12. eod. in 6. & l. un. §. 9. C. de Caducis tollend.

9 Fallit 2. In iis, quæ ex ipsa natura, & institutione sua, vel speciali Juris dispositione factum propriæ personæ requirunt, uti sunt residentia Episcoporum, Parochorum, & Canonicorum, c. *Quia nonnulli.* 3. de Cleric. resident. ibi: *Cùm igitur Ecclesia, vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere* junctô Concil. Trident. Sess. 23. cap. 1. de Reform. & Sess. 24. cap. 12. eod. ubi specialiter de necessaria residentia personali: item & de officio divino recitando, ac de pœnitentia peragenda; hæc enim ex natura sua non per alium, sed per seipsum pœnitens exequi debet, & corporali præsentiâ sunt peccata confitenda. can. *Quem pœnitet.* 88. dist. 1. de Pœnitent. Idem dic de susceptione aliorum Sacramentorum, exceptô Matrimoniô, utpote quod per alium contrahi potest. c. fin. de Procurat.

10 Idem ex natura & institutione sua, Jurisque dispositione requirit confectio Testamenti, & hæredis institutio, utpote quam testator per seipsum facere debet, & alterius arbitrio, seu dispositioni committere non valet. l. *Illa institutio.* 32. ff. de Hæred. instit. ibi: *Illa institutio ideo vitiosa est, quia alieno arbitrio permissa est: nam satis constanter veteres*

decreverunt, testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere Nec obijcias *c. Cum tibi. 13. de Testament.* cujus textus videtur contrarius textui primùm citato; ibi: *In secunda quæstione dicimus, quod, qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus.* Resp enim cum Gloss. *in cit. Cùm tibi. v. dispositionem.* quòd etsi de benignitate canonica *videatur* non decedere intestatus, qui ultimam voluntatem alterius dispositioni committit, tamen revera testatus non decedat; cùm prorsus nullum sit testamentum, ubi hæres per scripturam, vel vocem ipsius testatoris non est expressus, textu claro *l. Jubemus, 29. C. de Testam.* ibi: *Quod si non fuerit observatum, & nomen hæredis, vel hæredum non fuerit manu testatoris scriptum, vel voce coram testibus nuncupatum, hoc testamentum stare minimè patimur.* cùm Concord. Vel dic cum Innocent. Panormit. Viviano in *cit. cap.* & pluribus aliis, textum loqui de Testamentis ad pias causas; cujusmodi testamentum quis alterius dispositioni committere, & dicere potest: committo tibi, ut post mortem omnia mea bona pauperibus, Ecclesiis, Monasteriis, vel aliis piis causis pro tuo arbitrio distribuas. Quod etiam Summarium Capituli habet illis verbis: *Tenet Testamentum, si quis extremam voluntatem suam alterius dispositioni committit, & dicitur testatus ad pias causas secundùm tutelam notabilitorem.* Ratio illorum est, quia testamentum ad pias causas etiam aliis solemnitatibus civilibus carens valet; dummodo constet de voluntate testatoris. *c. fin. de Succeff. ab intest.* cum Concord. Et inhærendo huic sententiæ, quæ omnino probabilis est, tamen manet fallentia Regulæ in Testamentis ad causas profanas: quam fallentiam Jura quoque specialiter de adoptione, & arrogatione statuêre *l. Post mortem. 25. §. 1. ff. de Adopt.* ibi: *neque adoptare, neque arrogare quis absens, neque per alium hujusmodi solemnitatem peragere potest.*

Fallit 3. Quando alicui nudum ministerium, seu executio sine jurisdictione specialiter committitur, v. g. injunctio pœnitentiæ, dispensatio in irregularitate, excommunicatio, vel absolutio ab eadem, prædicatio crucis &c. hæc siquidem delegatus (exceptô Sedis Apostolicæ Legatô) per alium præstare nequit, textu claro *c. fin. §. Cæterùm de Offic. deleg.* ibi: *Cæterùm (salva Legatorum Sedis Apostolicæ authoritate) nulli, cui commissum fuerit prædicare crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, liceat hæc de cætero aliis demandare; quia non sibi jurisdictio, sed cæterum ministerium potius committitur in hac parte.* 11

Fallit 4. Quando inter partes specialiter conventum est, ut non per alium, sed per seipsum res fiat: uti & in casibus, ubi ex speciali loci consuetudine, aut statuto, vel testatoris voluntate, exclusô alienô, personale ministerium specialiter requiritur Tusch. *L. f. Concl.* 7. Fachinæ. *Lib. 1. Controv. cap.* 24. Strein. & Canis. *hic n. fin.* 12

REGULA LXIX.

In malis promissis fidem non expedit observari.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Mala promissa in duplici sensu accipiuntur.*
3 *In quo Regula loquatur, est controversia.*
4 *Verisimilius de utroque sensu loquitur.*
5 *Satisfit fundamentis contrariis.*
6 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
7 *Promissa, fraude, vel dolo, aut metu injustè excusso extorta, nec obligant, nec ea servare expedit:*
8 *Nisi juramentô fuerint firmata.*
9 *Datum meretrici ob concessum usum corporis repeti non potest.*
10 *Num autem propterea promissum servari debeat in foro conscientiæ, controversia est inter Doctores, aliis affirmantibus, aliis negantibus. Ponuntur fundamenta negantium*
Pacta & promissa de re turpi nullius sunt momenti. Ibid.
11 *Solvuntur fundamenta affirmantium.*
12 *Negantium opinio præcipuè in Regibus & Principibus, excessivè magna promittentibus, procedere videtur.*
13 *Eadem negantium sententia omnino etiam probabilis: immo quoad Reges & Principes, excessivè promittentes, probabilior, & quasi moraliter certa.*

1 Hæc Regula censetur ex parte desumpta ex *can. In malis. 5. cau. 22. q. 4.* ibi: *In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incautè vovisti, ne facias. Impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.* Et *l. Filius. 15. ff. de Condit. instit.* ibi: *Quæ factа lædunt pietatem, existimationem verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec fucere nos posse credendum est.* cui concordat *Regula 78. de R. J. in 6. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.*

2 Quæritur, Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem Notandum cum Glossa *hic*, Dyno, Viviano, & aliis: verba Regulæ, *In malis promissis*, dupliciter posse intelligi, unô videlicet modô, ut significant rem malam, turpem, peccaminosam, quæ promittitur, v. g. homicidium, furtum, adulterium, simoniam &c. quæ si quis promittit, utique nec expedit, nec licet fidem servare. Alterô modô, prout indicant malè promissa, seu malè concepta, malitiâ se habente non ex parte promittentis, nec ex parte rei promissæ, sed promissarii duntaxat, qualia censentur illa promissa, quæ ex dolo, metu injustè incusso, à promittente extorquentur, vel aliàs contra Juris præscriptum obtinentur.

3 De quo autem modo Regula loquatur, & intelligenda sit, plenè non conveniunt Doctores; Strein enim cum Barbosa *hic*, & aliis vult, eam intelligi debere de malis promissis in secundo sensu acceptis: Tum, quia si in primo sensu intelligeretur, non differret à *Regula* 78. sed in ea jam continetur, sicque superflua videretur; quod de Papa Regulas condente præsumendum non est; hôc ipsô enim, quòd promissum malum in primo sensu, seu de re mala, turpi, peccaminosa factum, etiam juramentô firmatum observandum non sit, necessariò sequitur, multò minùs observandum esse nudum, seu simplex promissum sine juramento de hujusmodi re mala factum. Tum quia, cùm Papa in hac Regula utatur terminô *non expedit* servare fidem, & non dicat, *non licet* servare fidem, seu *non potest* servari fides: non videtur Regula intelligenda de malis promissis in primo sensu, utpote quæ servare non tantùm non expedit, sed prohibitum, ac illicitum, sicque in sensu Juris etiam impossibile est; sed de malis, seu potiùs malè promissis in secundo

secundo sensu, utpote quibus propriè competit terminus *non expedit*; cum etsi ex parte promittentis licitè servari valeant, ea tamen servare non expediat juxta dicenda infra. Ita in re præfati Doctores, nec absque fundamento. Alii econtra cum Taccino *hic* docent, præmissa verba, *In malis promissis* intelligenda duntaxat esse in primo sensu. Sed

4 Resp. I. Regulam intelligendam esse de malis promissis in utroque sensu acceptis. Sic sentire satis clarè apparet Glossa, Dynus Vivianus, quos immeritò pro se allegant alii; hôc ipsô enim, quòd pro declaranda Regula adducant exempla Juris de malis promissis in utroque sensu sumptis, in utroque sensu Regulam intelligi volunt. Dynus siquidem *hic. n. 1.* cum Glossa sic exemplificat: *Si promitto tibi occidere hominem, committere furtum, simoniam, vel quid aliud turpe, non expedit servari fidem.* Ecce Exemplum *de malis promissis* in primo sensu. Dein ulteriùs dicit: Si interveniente dolo, vel metu fit promissum, seu malè promittitur, tunc licèt promissum teneat de Juris rigore, non expedit tamen fidem servare; quia promissori datur exceptio. *l. Si quis cùm aliter. 36. ff. de Verb. Oblig.* En exemplum de malis promissis, in secundo sensu.

5 Nec obstat responsioni ratio à Barbosa, & Strein. allata, quali Regula de malis promissis, in primo sensu acceptis, videatur superflua, utpote jam contenta in Regula LVIII. Nam contra est, quòd præsens Regula plus dicat, quam LVIII. hæc etenim, spectando verba illius, solùm dicit, *Non est obligatorium* contra bonos mores præstitum juramentum, vel promissum: præsens verò Regula non solùm vult & dicit, *Non esse obligatorium*, sed *nec expedire*: qui terminus in duplici sensu sumi potest, ita, ut idem significet, ac, non est consultum: vel non est licitum: sicque loquendo de promissa re turpi *le non expedit*, idem sit ac, *non licet* servare promissum contra bonos mores, id est, de turpi, vel peccaminosa re factum, *cit. can. In malis. 5. cau. 22. q. 2.* ibi: *Impia est enim promissio, quæ scelere adimpletur.* Nam, ut benè advertit hic Peck. Regula per verbum, *non expedit*, idem vult dicere, ac *non licet* servare fidem in promissis contra bonos mores, seu de re mala & peccaminosa factis. Per quod patet etiam ad alterum rationem ex verbis *non expedit*, desumptum. Hinc

6 Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *In promissis malis, quæ contra bonos mores, aut de re mala, seu peccaminosa fiunt, non tantùm nulla est obligatio servandi fidem, sed nec licet servare fidem: In illis verò malis, seu malè promissis, quæ ex parte promissoris non contra bonos mores, ex parte promissarii tamen malè, dolô v. g metu injustè incusso extorta, vel malitiosè obtenta sunt, quamvis fidem servare liceat, & valeat, tamen non expedit, nec conducit eam observare.* Ratio Regulæ quoad primam partem de promissis contra bonos mores, quòd non obligent, patet ex dictis ad cit. Regulam 58. *n. 2.* Et quòd etiam non liceant, constat ex *cit. can. In malis promissis. 5. can. 22. q. 2. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur.*

7 Quoad secundam verò Regulæ partem de aliis malis, seu malè promissis, quod, etsi in iis fidem servare liceat, & valeat, tamen non expediat, nec conducat, Ratio est, quia etiam in his fidem servare tam promissori, quàm promissario, & Reipublicæ præjudicialium, consequenter nulli expediens est: Non promissori; quia servans in his fidem, ex aliena fraude & malitia, rerum suarum promissarum jacturam, seu præjudicium patitur. Non promissario; quia accipiendo, & retinendo promissa, dolo malo, vel injusto metu extorta, lædit conscientiam, agitque contra Regulam, quod Fraus & dolus nulli patrocinari debeat. Non Reipublicæ; quia hujus interest, ne fraudes & malitiæ hominum foveantur, neve ex fraude, dolo, injuria, & malitia innocens præjudicium, & damnum, iniquus verò lucrum reportet contra primùm citatas Regulas. Hinc licèt hujusmodi ex dolo, vel alia malitia, facta mala promissa de rigore, & subtilitate Juris valeant, & in tantum obligent, ut contra promittentem detur actio: tamen contra eandem actionem promittenti competit exceptio, hicque, non ille in judicio causam lucratur. §. 1. *Instit. de Except.* ibi: *Si metu coactus, aut dolô inductus, aut errore lapsus stipulanti Tatio promisisti, quod non deberas promittere, palam est, jure civili te obligatum esse, & actio, quâ intenditur, dare te oportere, efficax est, sed iniquum est, te condemnari. Ideoque datur tibi exceptio, quâ à metûs causâ, aut doli mali, aut in factum compositis ad impugnandam actionem.* Et *l. Si quis cum aliter. 36 ff. de Verb. Oblig.* ibi: *Si quis cùm aliter eum convenisset obligari, aliter per machinationem obligatus est, erit quidem subtilitati Juris obstrictus, sed doli exceptione uti potest; quia enim per dolum obligatus est, competit ei exceptio.* Concordat *l. Dolo. 5. C. de Inutil. stipul.* Hinc quia mali promissarii actio in Jure nil obtinet, cùm per exceptionem eliditur, suadet Regula, ne in his promissis fides servetur, sed contra promissarium agentem excipiatur; quia *in malis promissis fidem non expedit observari*, per dicta.

8 Illud tamen notandum, quòd si hujusmodi in secundo sensu acceptis malis, vel malè promissis, quæ contra bonos mores non sunt, consequenter observari valent, adjicitur juramentum, etiam in conscientia observari debeat, per dicta ad Regulam 58. *n. 4. & seqq.*

9 Objicies contra Regulam. Quod meretrici promittitur, si præbeat usum corporis, post concessum usum servari debet. *l. Idem. 4. §. 3. ff. de Condict. ob turpem caus.* & *l. 2. C. eod.* Ergo etiam in malis promissis fides servanda est. Resp. Nec præfatas leges, nec aliam dicere, ut, quod meretrici ob corporis usum fuit promissum, servari, & dari debeat; sed si jam datum fuit, reperi non amplius possit: *Quod meretrici datur, reperi non potest*, sunt verba *cit. l. Idem.* quod pariter dicitur *cit. l. 2. C. eod.* ubi etiam additur ratio, videlicet; quia in pari causa, & delicto melior est conditio possidentis, prout magis dictum fuit *ad Reg. 61.* Nullibi autem habetur, ut, si res promissa data non est, dari debeat: immò contrarium statui videtur in Jure, eò quòd lex meretrici deneget actionem ad obtinendum id, quod ob illicitum usum corporis ei fuit promissum. *l. Mercatem. 5. C. eod.* ubi absolutè statuitur, *ob turpem causam exactioni locum non esse. Quamvis enim*, pergit ibidem textus, *utrinque turpitudo versetur, ac solutæ quantitatis cesset repetitio, tamen ex ejusmodi stipulatione contra bonos mores interposita.* (erat ea Lenonis cum adultero de danda mercede pro concessa uxore ad usum illicitum) *denegandas esse actiones, Juris authoritate demonstratur.*

10 Quid autem de Jure naturali, & in foro conscientiæ, post conditionem turpem jam impletam, puta, post corporis usum actu jam concessum, sentiendum, non conveniunt Doctores; aliqui, quos & nos secuti sumus *Lib. IV. Tr. 4. d n. 58.* volunt, post actu jam concessum illicitum usum corporis teneri promittentem dare, quod promisit: alii verò, iique non pauci contrarium docent cum Sanchez *de Matrim. Lib 5. disp. 17.* idque variè probare conantur tam ex Jure, quàm ratione: ex Jure quidem; Nam *l. Generaliter. 26. ff. de Verb. Oblig.* habetur: *Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti.* Idem habetur *l. Pacta. 6. C. de*

de Pactis. ibi: *Pacta, quæ contra bonos mores sunt, nullam vim habere, indubitati Juris est.* Ergo, inferunt, si nullius momenti, nullius valoris sunt, nullamque vim habent, etiam in conscientia non obligant; præsertim cùm hujusmodi pacta turpia, & contra bonos mores esse, nemo neget, prout etiam ut talia in Jure expressè nominantur *cit. l. Mercalem.* Ex ratione autem: tacendo enim alias, dicunt, ex doctrina contraria plurima sequi peccata, eamque esse scandalosam, & ad peccata inducentem; si enim meretrices sciunt, eum, qui ob usum corporis aliquid promittit, teneri post concessionem ejusdem in conscientia, ut id præstet, alliciuntur, & inducuntur ad peccatum, quod tam facilè non committerent, si scirent, promittentem non teneri stare promisso; idem dicendum si quis alicui promittit, ut innocentem injustè occidat.

11 Solvunt etiam fundamenta adversariorum: & quidem illud, quò dicitur, promissum meretrici factum post usum corporis obligare ex jure naturali, præsertim cùm absque dantis & recipientis peccato servari possit; negant enim absolutè, ex promisso, quoad utramque partem turpi & peccaminoso, oriri obligationem ex Jure naturali. Nec refert, si dicatur, quòd dare non sit peccatum; Nam admisso etiam, quòd non foret peccatum, dare, tamen neque foret obligatorium; cùm hujusmodi promissum dandi, ex quo obligatio oriri deberet, à Jure absolutè annulletur, sicque obligare non possit. Dein etiam negant suppositum, volentes, promissum meretrici factum non tantùm non esse obligatorium, sed etiam illicitum esse, illud servare, juxta Regulam nostram: *In malis promissis fidem non expedit*, id est, *non licet servare*, quia sunt scandalosa & inductiva ad peccatum. Ex quibus, & aliis rationibus meritò arbitramur, hanc Doctorum sententiam omnino etiam probabilem, & in foro conscientiæ tutam esse. Profectò consuetudo, quæ alias maximam, & quidem etiam legis vim habet, si est nutritiva peccati, vel Reipublicæ præjudiciosa, tanquam irrationabilis à Jure rejicitur, invalidaque & illicita declaratur, prout dictum & probatum habetur *Lib. I. Tit. 4. § 2.* Ergo multò magis nudum promissum ad peccata efficaciter inducens, & Reipublicæ præjudiciosum existens.

REGULA LXX.

In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.

SUMMARIUM.

1 *Regula, quæ duas habet partes, unde?*
In alternativis sufficit unum: in copulativis necesse est utrumque verificari. Ibid.
2 *Alternativa, & disjunctiva idem sunt:*
3 *Suntque varia: Alia Personarum.*
4 *Alia Rerum: alia locorum.*
5 *Alia Temporum.*
6 *Alia Remediorum: & alia pœnarum.*
7 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
Probatur quoad primam partem. Ibid.
8 *Probatur quoad secundam partem.*
9 *Declaratur exemplis.*
10 *Potestas, seu libertas eligendi transit etiam ad hæredes.*
11 *Nec cessat, etsi unum ex alternativis pereat.*
12 *Si debitor ex errore utrumque solvit, repetere potest, quod lubet.*
13 *Fallit Regula quoad primam partem, Primò in alternativis remediorum.*
14 *Secundò in alternativis pœnarum.*
15 *Tertiò in Gratiis & beneficiis à Principe concessis.*
16 *Quartò in alternativis locorum.*
17 *Quintò in legatis, quando testator ad legatarium verba dirigit.*
Ordinariè penes hæredem est, quid ex alternativè legatis præstare velit. Ibid.
18 *In dubio, ad quem verba sint directa, electio legatarii est.*
19 *Quoad alteram partem, quòd sufficiat unum præstare, Fallit Regula Primò in alternativis certarum personarum: Et quarum?*
20 *Secundò, quando adhibetur particula seu: hæc plerumque pro conjunctiva sumitur.*
21 *Tertiò in alternativis inter genus & speciem.*
22 *Et quartò fallit quoad utramque partem, quando aliunde de mente disponentis aliter constat.*

1 PRænotandum cum Dyno, & aliis post ipsum, hanc Regulam duas habere partes: Prima est, quòd in alternativis sit debitoris electio: Secunda, quòd in alternativis sufficiat unum impleri. Prima pars desumitur ex *l. Plerumque. 10. in fin. ff. de Jure Dotis.* ibi: *Nam & cùm illa, aut illa res promittitur, rei electio est, utrem præstet.* Et *l. Si ita 25. ff. de Contrah. empt.* ibi: *Si ita distrahatur, illa, aut illa res, utram eliget venditor, hæc erit empta.* ac *l. Si in emptione 34. §. 6. ff. eod.* ibi: *Si emptio ita perfecta fuerit; est mihi emptus Stychus, vel Pamphylus, in potestate esse venditoris, quem velit dare, sicut in stipulationibus.* Altera pars desumitur ex *l. In eo 110. §. 3. ff. de Reg. Jur.* ibi: *ubi verba conjuncta non sunt, sufficit, alterutrum esse factum.* & *l. Si hæredi. 5. ff. de Condit. instit.* ibi: *Si hæredi plures conditiones conjunctim datæ sint, omnibus parendum est, quia universæ habentur: si disjunctim, cuilibet.* & *l. Si quis ita 129. ff. de Verb. Oblig.* ubi Summarium sic habet: *Ad veritatem copulativæ requiritur, utrumque esse factum: ad veritatem disjunctivæ sufficit alterutrum tantùm.*

Quæritur I. Quomodo hæc Regula (quæ summè practica est) sit intelligenda? Et quis verus illius sensus? Ante responsionem Notandum 1. cum DD. verbum *Alternativa*: idem esse, & significare, ac *disjunctiva*: suntque illa, quæ cum disjunctione, interposita dictione, *vel*, *aut*, aliâve hujusmodi significationem innuente proferuntur. *Alternativa, seu disjunctiva* opponuntur *Copulativis*, quæ interposita dictione *&*, *ac*, *atque*, aut simili idem significante exprimuntur. 2

Notandum 2. cum Barbosa *hic* (qui hanc Regulam fusè, & exactè pertractat) Strein. & aliis: Alternativorum, seu disjunctivorum varia, potissimùm verò quatuor esse genera, vel species, ad quas referuntur reliquæ. Prima species est *personarum*; dum nempe plures personæ disjunctivè proponuntur, uti fit *cit. l. Si in emptione.* ibi: *Est mihi emptus Stychus, vel Pamphylus.* & *l. Cùm quidam. 4. C. de Verb. & Rer. Signif.* 3

Secunda species, seu genus est *Rerum*, quando nempe in contractu, ultima, vel alia dispositione plures res sub disjunctiva dictione *vel, aut*, adducuntur, uti apparet ex *cit. l. Plerumque.* ibi: *Nam & cùm illa, vel illa res promittitur.* Tertia species est *Locorum*, dum videlicet diversa loca disjunctivè proponuntur, v. g. Romæ, vel Viennæ, prout fit *l. 2. ff. de Eo, quod certo loco.* 4

Quarta species est *Temporum*, dum scilicet diversa 5

diversa tempora sub disjunctione exprimuntur, uti reperire est *l. Si ita stipulatus. 109. ff. de Verb. oblig.* ibi: *post annum aut biennium dabis.*

6 Præfatis principalibus speciebus annumerantur adhuc aliæ, veluti alternativa, seu disjunctiva *Remediorum*, quæ alicui nomine ejusdem rei in judicio competunt, uti videre est *l. Rescriptum. 10. §. 1. ff. de Pactis.* Item alternativa *Summarum, seu quantitatum*; de quibus exemplum habetur *l. Si ita relictum. 43. §. fin. ff. de Legat. II.* & alternativa *Pœnarum*, quando plures pœnæ eidem delicto disjunctivè imponuntur à Jure, uti de servis fugitivis legendum *l. Si fugitivi. 3. C. de Servis fugit.* ibi: *Si fugitivi servi deprehendantur ad barbaros transeuntes, aut pede amputato debilitentur, aut metallo dentur, aut qualibet aliâ pœnâ afficiantur.* His notatis

7 Resp. ad quæstionem *n. 2.* positam; Regula intelligenda est juxta sequentem sensum, qui proprius illius est: *Quando in contractibus, ultimis voluntatibus, vel aliis dispositionibus plura alternativè, seu disjunctivè adimplenda, aut præstanda continentur, regulariter in libero arbitrio debitoris, seu illius est, qui adimplere, & præstare debet, quid ex illis præstare velit: Et sufficit, si unum ex illis faciat, aut præstet.* Prima pars patet ex *cit. l. Plerumque. l. Si ita. 25.* & *l. In Emptione.* quarum textus adduximus. *n. 1.* Ratio Regulæ est; quia alternativa dispositio ex mente disponentis in favorem debitoris est, ut, qui in uno, in eo videlicet, quod solvere, facere, adimplere, aut præstare debet, gravatur, in alio sublevetur, in eo nempe, quòd saltem ex alternativè præstandis, minùs gravans, si velit, aut quod lubet, eligere valeat, juxta *Reg. Semper. 9. ff. de R. J. Semper in obscuris, quod minimum est,* (seu quod minùs gravat) *sequimur.* Vivianus *hic.*

8 Altera pars probatur ex textibus Juris pro eadem *n. 1.* allegatis, junctâ *l. Si quis ita. 129. ℣. At si sic. ff. de Verb. Oblig.* cum Concord. Et Ratio est; quia, si ex alternativis unum præstatur, sufficienter verificatur propositio, & satisfit disponenti *arg. cit. l. Si quis ita.* junctâ *l. Cùm pupillus. 78. §. 1. ff. de Condit. & demonstrat.* cum Concord. differtque in hoc disjunctiva à copulativa propositione, eo quod hæc ad sui verificationem requirat præstationem utriusque, vel plurium copulativè contentorum *§. Si plures. 11. Instit. de Hæred. instit.* ibi: *Si plures conditiones institutionibus adscriptæ sunt: si quidem conjunctim, utputà si illud & illud factum fuerit, omnibus parendum est; si separatim, veluti, si illud, aut illud factum erit, cuilibet conditioni obtemperare satis est.*

9 Exempla plurima & obvia ad hominem sunt, quorum aliqua affert Strein. hic *n. 1.* Sic enim 1. si quis promittit alicui dare pecuniam, vel frumentum in promittentis, tanquam debitoris arbitrio est, utrùm pecuniam vel frumentum dare velit, & satisfacit dando unum ex his pro libitu. 2. Si quis promittit alteri unam ex tribus filiabus in matrimonium dare, hic contentus esse debet, quamcunque dein promittens dederit. 3. Si permuto tecum pro tua domo duos ex meis agris, penes me erit, quos agros tibi dare velim. 4. Si testator pecuniam, vel prædium alicui leget, liberum erit eidem tanquam debitori, utrum ex his dare velit. 5. Si pro centum florenis unum ex equis meis promitto, penes me erit, quem dare velim, & satisfacio unum dando pro meo libitu. Et sic de aliis per Jura & rationes.

10 Porro libertas dandi, solvendi, vel præstandi inter alternativè, seu disjunctivè debita in debitore se eo usque extendit, ut, si ante mortem; quid præstaret, necdum elegerit, libertas & electio transeat etiam ad hæredem, hujusque in arbitrio sit, quid ex disjunctivè debitis à defuncto relictis dare vel præstare velit. *l. Si stipulatus fuerim. 76. ff. de Verb. Oblig.* Ratio est; quia hujusmodi electio est accessoria ad obligationem dandi, aut præstandi: consequenter, cùm ipsa obligatio ad hæredem transeat, etiam accessoria eligendi libertas, indéque proveniens præstandi commoditas ad eundem transire debet. Barbos. *hic n. 5.* Strein. *hic. n. 2.*

Nec cessat hæc eligendi facultas, si unum ex alternativè debitis periit, vel destructum fuit; quia nihilominus in potestate debitoris est, vel id præstare, quod adhuc extat, vel æstimationem illius, quod interea periit. *l. Cùm res. 47. §. 3. ff. de Legat. I.* 11

Libera hæc optio & electio dandi, vel præstandi unum ex disjunctivè debitis ulterius se extendit, quòd, si debitor, vel hæres illius ex alternativè debitis per errorem præstitit utrumque, in arbitrio ejus maneat, quid ex utroque velit repetere, sicut priùs erat in optione ipsius, quid vellet præstare: textu, & casu expresso *l. penult. C. de Condict. indeb.* 12

Quæritur II. An, & quas fallentias habeat Regula LXX? Resp. Eam fallere in pluribus, ita ut propterea dictum sit in sensu Regulæ *n. 6.* posito: *regulariter loquendo:* Et quidem quoad primam partem, quòd in disjunctivis debitoris sit electio. Fallit 1. in alternativis, seu disjunctivis *remediorum* sive actionum judicialium; nam in his electio actori, non debitori competit, quâ actione vel experiri, & convenire debitorem velit. Barbos. *hic n. 18.* Strein. *hic n. 4. arg. l. Rescriptum. 10. §. 1. ff. de Pactis.* & *l. Cùm filius. 76. §. 8. ff. de Legat. II.* cum Concord. Ratio assignatur in *l. 2. §. 3. ff. de eo, quod certo loco.* quia videlicet, si penes debitorem esset electio actionis, in manu ipsius foret pro libitu, & continuò eludere intentionem actoris. Accedit, quòd alternativa remediorum introducta sint pro favore Actorum, consequenter eisdem competere debeat electio. 13

Fallit 2. in alternativis *Pœnarum* à Jure pro delictis impositarum; quia circa has electio non ad delinquentem, tanquam debitorem, sed ad Judicem spectat: hujus enim tanquam ministri legis & justitiæ est pro qualitate personæ & delicti pœnam eligere, & imponere. *c. & §. fin. Ut lite non contestata.* Et *l. 1. C. de his, qui latrones.* ibi: *supplicio corporali, aut dispendiô facultatum, pro qualitate personæ, & Judicis æstimatione, plectetur.* 14

Fallit 3. in *Gratiis*, beneficiis, & favoribus à Principe alternativè, seu disjunctivè concessis, vel promissis; in his siquidem non Principis, tanquam debitoris, sed recipientis, seu promissarii ceu creditoris est electio, juxta communem DD. apud Barbos. *hic n. 6. arg. l. 2. C. de Castrensib. & ministr.* Ratio est; quia in beneficiis Principum plenissima in favorem recipientis facienda est interpretatio. *c. Cùm Dilecti. 6. in fine. de Donat.* & *l. Beneficium. 3. ff. de Constit. Princip.* ibi: *Beneficium Imperatoris, quod à Divina scilicet ejus indulgentia proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus.* Nec refert, utrùm beneficium motu proprio, an ad instantiam sit concessum; quia Jura non distinguunt, nisi quòd sola beneficia Ecclesiastica ad instantiam obtenta, utpote ambitionem sapientia, à lata interpretatione excludant. *c. Quamvis. 4. pr.* & *c. Si à pluribus. 24. de Præb. in 6.* 15

Fallit 4. in alternativis *locorum:* ut si quis promittit, se Romæ, vel Viennæ soluturum, non penes debitorem, sed penes creditorem eligere est locum, in quo solvatur, tum, quia interest creditoris, ut in loco sibi commodo, & absque sui damno ei solvatur debitum; tum quia aliàs, si penes debitorem esset electio, posset hic semper alium, atque alium locum eligere, sicque eludere creditorem. *l. 2. §. 3.* 16

ff. de ea, quod certo loco. Hanc tamen fallentiam intellige, nisi debitor solvendo præveniat antequam creditor eligat, & in quo loco solutionem sibi fieri petat; tunc enim utique in electione debitoris est, ubi solvat. *arg. cit. l. 2. ff. de eo, quod certo loco.* Barbos. *hic. n.* 23. Strein *hic.* Canif. *hic.*

17 Fallit 5. in Legatis, quando testator verba ad ipsum legatarium, & non ad hæredem dirigit; quamvis enim aliàs, & plerumque ad hæredem tanquam debitorem legati electio spectet, præsertim si testator ad hæredem verba dirigat, *l. Si ita relictum 43. in fine. ff.* de Legat. 2. ibi: *si ita scriptum sit, decem aut quindecim hæres dato: pro eo est, ac si decem sola legata, aut si ita sit: post annum, aut biennium, quàm ego decessero, hæres dato: post biennium videtur legatum; quia hæredis esset potestas in eligendo.* junctâ *l. Si quando. 109. ff. de Legat. I. & l. Titio. 21. ff. de Usu, & Usufruct. Legat.* cum Concord. Tamen, quando testator ad ipsum Legatarium verba dirigit, v. g. Titius pro suo legato accipiat, vel habeat domum, aut mille florenos: vel sic: Titio lego prædium, vel domum: legatarii, tanquam creditoris est ex alternativè legatis eligere: quod libuerit. *l. Planè. 34. §. 14. ff. de Legat. I.* ibi; *si ita Titio legetur: Fundum Scianum, aut usumfructum sibi habeto; duo esse legata, & arbitrio ejus esse, an velit usumfructum vindicare.* Item & adhuc clariùs habetur *l. Lucio Titio 23. ff. de Legat. II. Lucio Titio fundum Scianum, vel usumfructum fundi Seiani lego, potest legatarius vel fundum vindicare, vel fructum.* cum Concord. Ratio utriusque est; quia testator illum, ad quem verba dirigit, magis respicere videtur, indèque velle, ut ei electio competat. Et ita distinguendo inter legata concil iantur Doctores, qui ob diversitatem textuum in diversas opiniones abeunt, uti post Dynum *hic* plures benè advertunt.

18 Quod si testator verba simpliciter proferat, ita, ut non appareat, ad quem verba direxerit, & exinde dubium maneat: electio legatario tanquam debitori competit. Dynus *hic n.* 4. Barb. *hic n.* 15. cum communi aliorum. *arg. cit. l. Lucio Titio.* ubi Summarium sic habet: *In alternativis in dubio electio est legatarii.* junctô §. 22. *Instit. de Legat.* ibi: *Si generaliter servus, vel alia res legetur, electio legatarii est: nisi aliud testator dixerit.* Et ratio est, quia *in testamentis plenius voluntates testantium interpretantur*, sunt verba *l. 12. ff. de Reg. Jur.* Barbos. & Dyn. *loc. cit.*

Quoad alterum partem Regulæ, quòd *sufficiat* 19
unum ex alternativis implere, Fallit Regula 1. In alternativis Personarum, quæ testamentis, legatis, libertatibus, & tutorum assignationibus inseruntur, ut *cùm quidam sic, vel institutionem, vel legatum, vel fideicommissum, vel libertatem, vel tutelam scripsisset: ille, aut ille mihi hæres esto: aut illi vel illi lego, do, vel dari volo: vel illum, vel istum liberum, aut tutorem esse volo, vel jubeo*; uti exemplificat ipsa *l. Cùm quidam. 4. C. de Verb. signif.* quia in his disjunctiva dictio, *vel, aut,* in copulativam *&, ac,* resolvitur, indèque non sufficit unum, sed requiritur utrumque impleri *cit. l. Cùm quidam. ỳ. Melius.* ubi universaliter disponitur, quòd in hujusmodi dispositionibus plures disjunctivè nominati, non disjunctivè, sed copulativè accipiendi sint, ne aliquis eorum commodò testatoris privetur; ibi: *Melius itaque nobis visum est, omni hujusmodi verbositate explosa, conjunctionem aut, pro & accipi, ut videatur copulativò modò esse prolata—ut & primam personam inducat, & secundam non repellat.* Barbos. hic n. 30. Strein. *hic.* & alii.

Fallit 2. quando alternativa concipiuntur per dic- 20
tionem *Seu*; quia hæc dictio plerumque plus copulandi, quàm disjungendi vim habet *l. Si quis ita. 30. ff. de Auro & Argent. Legat.* ibi: *Si quis ita legaverit: uxori meæ mundum, ornamenta, seu, quæ ejus causâ paravi, do, lego: placet omnia deberi, sicut cùm ita legatur: Titio vina, quæ in urbe habeo, seu in portu, do, lego, omnia deberi. Hoc enim verbum seu ampliandi legati gratiâ positum est.* Quæ fallentia in favorabilibus, uti testamentis, legatis, & aliis, quæ amplam interpretationem recipiunt, potissimùm procedit juxta Abbatem; cùm verò universaliter non currat, in reliquis ex subjecta materia, & aliis circumstantiis num dictio *seu* copulativè, vel disjunctivè accipienda sit, judicium formandum erit. Strein. *hic.*

Fallit 3. in alternativis inter genus & speciem; 21
quia in his propositio disjunctiva pro copulativa sumitur. Strein. *hic n.* 32. cum communi aliorum. *l. Sæpe ita. 53. v. Et cùm dicimus. ff. de Verb. Signif.* cum Concord.

Fallit 5. Regula quoad utramque partem, quan- 22
do mens disponentis ex subjecta materia, scopo, vel fine dispositionis alia esse apparet: vel alias iniquitas, aut absurdum sequeretur. Barbos. *hic. n. 34. arg. l. Generaliter. 6. C. de Instit. & Substit. & l. Lucius 2. ff. de Hæred. instit. cum Concord.*

REGULA LXXI.

Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Quomodo intelligenda?*
3 *Ponitur verus sensus illius.*
4 *Declaratur exemplis Juris.*
5 *Fallit primò in spolio.*
6 *Secundò, in casu electionis jam confirmatæ.*
7 *Tertiò in casu Solutionis usurarum juramentò firmatarum.*
8 *Quartò, in casu depositi: & quomodo?*

1 DEsumpta habetur hæc Regula ex *l. 1. §. 4. ff. de Superficiebus.* ibi: *Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.* quod idem dicitur *l. Invitus. 156. §. 1. ff. de Reg. Jur. Cui damus actiones, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.*

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? 2
Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam intelligendam esse, & procedere tunc solummodo, quando de eodem, & ad idem agitur, ac excipitur, ut benè advertit Glossa marginalis *hic*, communiter recepta. Item quando non adest ratio specialis exceptionem magis, quàm actionem repellens, prout patebit ex fallentiis infrà *à nu. 5.* adducendis. Hinc

Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Quando* 3
alicui de Jure competit actio pro re aliqua acquirenda, eidem etiam, & multò magis competit exceptio pro eadem, si habet retinenda ad excludendam actionem, quam alius pro eadem re instituit. Ratio est, Tum, quia *cui licet quod est plus, licet utique, quod est minus*, juxta *Reg. 53. de R. J. in 6.* Plus autem est agere, quàm excipere; cùm non rarò, cui denegatur actio, concedatur exceptio *arg. c. Cùm*

Cùm inter. 5. de Except. utpote quæ tanquam lui defensio in majore æquitate fundatur *l. Qui æquitate 12. ff. de Doli mali except.* Tum, quia exceptio tendit ad rei retentionem, quæ facilius conceditur, quàm acquisitio illius, qualem intendit actio. *l. Fer retentionem. 4. C. de Usur.* Tum, quia exceptione utens repræsentat personam Rei, actionem verò instituens personam Actoris: sed *Favorabiliores Rei potiùs, quàm Actores habentur. l. 125. ff. de R. J.* ergo. Quibus accedit, Jura promptiora esse ad absolvendum, & liberandum, quod quærit excipiens, quàm condemnandum, & obligandum, quod intendit actionem instituens. *l. Arianus. 47. ff. de Oblig. & Action.* consequenter, cui de Jure competit actio pro aliqua re acquirenda, multò magis ei competit exceptio pro illa retinenda.

4 Declaratur, & firmatur Regula, ejusque sensus exemplis Juris: Sic enim, uti exemplificat Glossa *hic*, quia ei, qui post legitimam rei præscriptionem dejicitur à possessione, competit actio: multò magis ei competit exceptio pro eadem re retinenda, dum eam possidet *arg. can. Placuit. 15. can. 26. q. 3.* junctis *l. Si quis. 8. C. de Præscript. triginta vel quadrag. annor.* Sic pariter, si alicui competit actio, & vindicatio contra possessorem, multò magis competit exceptio, si rem possidet, contra alium actorem, eandem rem vindicare volentem. *l. 1. §. 4. ff. de Superficiebus.* Sic rursus, quia conductori rei alienæ ad longum tempus competit actio, & vindicatio utilis in rem contra possessorem etiam dominum: sic eidem quoque competit exceptio contra eundem dominum. *arg. cit. l. 1. §. 3. ff. eod.* Sic ulteriùs, quia viro contra uxorem adulteram competit actio ad divortium *c. Ex litteris. 5. de Divortiis.* sic contra eandem ei competit exceptio pro reditu ad virum actionem instituentem, *c. 4. eod.*

5 Quæritur II. An, & quas fallentias habeat Regula LXXI.? Resp. Eam fallere in pluribus, veluti 1. Si quis vi spoliatur possessione, & agendo restitutionem petit, non competit spoliatori exceptio dominii, dicendo, se esse rei dominum, & alterum injustum possessorem, licèt facta restitutione possit contra spoliatum agere. *c. 1. & c. In litteris. 5. de Restit. Spoliat.* prout amplius diximus *Lib. II. Tit. 13. de Restit. Spoliat.*

Fallit 2. in casu Electionis jam confirmatæ, in 6
quo non datur exceptio contra missionem Prælati in possessionem, etsi contra eundem in possessionem jam missi detur actio. *c. Constitutis. 46. de Appellat. & c. Indemnitatibus. 43. §. Cæterùm. de Elect. in 6.* Idque speciali ratione ob favorem Ecclesiæ, vel Monasterii, utpote quibus diuturna Prælati carentia, quam exceptio admissa causaret, est præjudiciosa Eccl-siæ, & animabus periculosa.

Fallit 3. in casu Solutionis usurarum, quas fol- 7
vere debitor jurejurando promisit; in tali enim casu, licèt post solutionem jam factam competat actio ad obtinendam restitutionem usurarum jam solutarum, tamen eidem non competit exceptio contra solutionem præstandam, textu claro *c. Debitores. 6. de Jurejurando.* Ratio specialis est; quia ob virtutem Religionis juramentum, quod sine dispendio salutis animæ, & præjudicio tertii servari potest, semper servari debet. *c. Cùm contingat. 28. de Jurejur. & c. Quamvis. 2. de Pactis. in 6.* ubi pactum, etiam à Jure Civili reprobatum observari juberur, si juramento fuit firmatum; *cùm non vergat in æternæ salutis dispendium, nec in alterius detrimentum*, uti dicitur ibidem.

Fallit 4. in casu depositi; licèt enim depositarius 8
habeat actionem contra deponentem, si ei debeat: exceptione tamen uti non potest titulò compensationis, si deponens repetat depositum. *c. fin. v. Sanè. de Depositis. & l. Si quis. 11. C. Depositi.* ibi: *Si quis vel pecunias, vel res quasdam per depositionis acceperit titulum, eas volenti ei, qui deposuit, reddere illico modis omnibus compellatur, nullamque compensationem, vel dedu ctionem vel doli exceptionem opponat, quasi & ipse contra eum, qui deposuit, actiones personales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens.* Ratio in utroque Jure specialis allegatur illa: ne contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur.

REGULA LXXII.

Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Differt à Regula: Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum: & quomodo?*
3 *Ponitur Regulæ sensus.*
4 *Declarantur exemplis: in bonis,*
5 *Et in malis.*
6 *Solvitur objectio.*
7 *Obstetrix an, & quando delinquat præbendo, vel suadendo medicinam?*
8 *Fallit Regula in iis, in quibus fallit LXVIII.*

1 DEsumitur Regula ex *l. Quod jussu alterius. 180. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Quod jussu alterius solvitur, perinde est, quasi ipsi solutum esset.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus ipsius sensus sit? Resp. quamvis ista Regula conferre videatur cum Regula 68. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum:* tamen ab ea differt. Tum, quia prima dicta Regula loquitur de potestate faciendi per alium: præsens verò de vi, & effectu actus per alium jam facti. Tum, quia illa hæc Regula loquitur generali-

ter, ut etiam comprehendat maleficia, quatenus non solùm ille, qui bona, sed etiam qui mala & iniqua per alium facit, v. g. hominem occidit, vulnerat &c. perinde est, homicidii reus habetur, ac si ipse in persona occidisset. *arg. l. Is damnum. 169. ff. de R. J. Is damnum dat, qui jubet dare.* & patebit per exempla Juris infrà *nu.* 4. adducenda. Non sic Regula 68. utpote quæ de licitis loquitur, uti patet ex dictis ad eandem. Verbum autem *perinde* non est intelligendum, quasi esset idem utriusque actus, sed quia fictione, & interpretatione quoad effectum pro eodem habetur. Et concernit hæc Regula potissimùm mandatarios, procuratores substitutos, delegatos, ministros, officiales, servos, utpote per quos sæpissimè negotia nostra & alia facimus, & quod per hos facimus, quoad Juris effectum pro eodem habeatur, ac si ipsi faceremus. Hinc

Resp. II. Verus Regulæ sensus sequens est: *Quod* 3
quis per alium sive benè, sive malè facit, quoad Juris effectum pro eodem habetur, ac si faceret per se ipsum. Ratio Regulæ est; quia ille, qui mandat, delegat, substituit &c. ut quid per alium fiat, est principalis causa & origo facti secuti: hoc ipsò, quòd factum

ff. de ea, quod certo loco. Hanc tamen fallentiam intellige, nisi debitor solvendo præveniat antequam creditor eligat, & in quo loco solutionem sibi fieri petat; tunc enim utique in electione debitoris est, ubi solvat. *arg. cit. l. 2. ff. de eo, quod certo loco.* Barbos. *hic. n.* 23. Strein *hic.* Canif. *hic.*

17 Fallit 5. in Legatis, quando testator verba ad ipsum legatarium, & non ad hæredem dirigit; quamvis enim aliàs, & plerumque ad hæredem tanquam debitorem legati electio spectet, præsertim si testator ad hæredem verba dirigat, *l. Si ita relictum 43. in fine. ff.* de Legat. 2. ibi: *si ita scriptum sit, decem aut quindecim hæres dato: pro eo est, ac si decem sola legata, aut si ita sit: post annum, aut biennium, quàm ego decessero, hæres dato: post biennium videtur legatum; quia hæredis esset potestas in eligendo.* junctâ *l. Si quando. 109. ff. de Legat. I. & l. Titio. 21. ff. de Usu, & Usufruct. Legat.* cum Concord. Tamen, quando testator ad ipsum Legatarium verba dirigit, v. g. Titius pro suo legato accipiat, vel habeat domum, aut mille florenos: vel sic: Titio lego prædium, vel domum: legatarii, tanquam creditoris est ex alternativè legatis eligere: quod libuerit. *l. Planè. 34. §. 14. ff. de Legat. I.* ibi; *si ita Titio legetur: Fundum Scianum, aut usumfructum sibi habeto; duo esse legata, & arbitrio ejus esse, an velit usumfructum vindicare.* Item & adhuc clariùs habetur *l. Lucio Titio 23. ff. de Legat. II. Lucio Titio fundum Scianum, vel usumfructum fundi Seiani lego, potest legatarius vel fundum vindicare, vel fructum.* cum Concord. Ratio utriusque est; quia testator illum, ad quem verba dirigit, magis respicere videtur, indèque velle, ut ei electio competat. Et ita distinguendo inter legata concil iantur Doctores, qui ob diversitatem textuum in diversas opiniones abeunt, uti post Dynum *hic* plures benè advertunt.

18 Quod si testator verba simpliciter proferat, ita, ut non appareat, ad quem verba direxerit, & exinde dubium maneat: electio legatario tanquam debitori competit. Dynus *hic n.* 4. Barb. *hic n.* 15. cum communi aliorum. *arg. cit. l. Lucio Titio.* ubi Summarium sic habet: *In alternativis in dubio electio est legatarii.* junctô §. 22. *Instit. de Legat.* ibi: *Si generaliter servus, vel alia res legetur, electio legatarii est: nisi aliud testator dixerit.* Et ratio est, quia *in testamentis plenius voluntates testantium interpretantur*, sunt verba *l. 12. ff. de Reg. Jur.* Barbos. & Dyn. *loc. cit.*

Quoad alterum partem Regulæ, quòd *sufficiat* 19
unum ex alternativis implere, Fallit Regula 1. In alternativis Personarum, quæ testamentis, legatis, libertatibus, & tutorum assignationibus inseruntur, ut *cùm quidam sic, vel institutionem, vel legatum, vel fideicommissum, vel libertatem, vel tutelam scripsisset: ille, aut ille mihi hæres esto: aut illi vel illi lego, do, vel dari volo: vel illum, vel istum liberum, aut tutorem esse volo, vel jubeo*; uti exemplificat ipsa *l. Cùm quidam. 4. C. de Verb. signif.* quia in his disjunctiva dictio, *vel, aut,* in copulativam *&, ac,* resolvitur, indèque non sufficit unum, sed requiritur utrumque impleri *cit. l. Cùm quidam. ỳ. Melius.* ubi universaliter disponitur, quòd in hujusmodi dispositionibus plures disjunctivè nominati, non disjunctivè, sed copulativè accipiendi sint, ne aliquis eorum commodò testatoris privetur; ibi: *Melius itaque nobis visum est, omni hujusmodi verbositate explosa, conjunctionem aut, pro & accipi, ut videatur copulativò modò esse prolata—ut & primam personam inducat, & secundam non repellat.* Barbos. hic n. 30. Strein. *hic.* & alii.

Fallit 2. quando alternativa concipiuntur per dic- 20
tionem *Seu*; quia hæc dictio plerumque plus copulandi, quàm disjungendi vim habet *l. Si quis ita. 30. ff. de Auro & Argent. Legat.* ibi: *Si quis ita legaverit: uxori meæ mundum, ornamenta, seu, quæ ejus causâ paravi, do, lego: placet omnia deberi, sicut cùm ita legatur: Titio vina, quæ in urbe habeo, seu in portu, do, lego, omnia deberi. Hoc enim verbum seu ampliandi legati gratiâ positum est.* Quæ fallentia in favorabilibus, uti testamentis, legatis, & aliis, quæ amplam interpretationem recipiunt, potissimùm procedit juxta Abbatem; cùm verò universaliter non currat, in reliquis ex subjecta materia, & aliis circumstantiis num dictio *seu* copulativè, vel disjunctivè accipienda sit, judicium formandum erit. Strein. *hic.*

Fallit 3. in alternativis inter genus & speciem; 21
quia in his propositio disjunctiva pro copulativa sumitur. Strein. *hic n.* 32. cum communi aliorum. *l. Sæpe ita. 53. v. Et cùm dicimus. ff. de Verb. Signif.* cum Concord.

Fallit 5. Regula quoad utramque partem, quan- 22
do mens disponentis ex subjecta materia, scopo, vel fine dispositionis alia esse apparet: vel alias iniquitas, aut absurdum sequeretur. Barbos. *hic. n. 34. arg. l. Generaliter. 6. C. de Instit. & Substit. & l. Lucius 2. ff. de Hæred. instit. cum Concord.*

REGULA LXXI.

Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Quomodo intelligenda?*
3 *Ponitur verus sensus illius.*
4 *Declaratur exemplis Juris.*
5 *Fallit primò in spolio.*
6 *Secundò, in casu electionis jam confirmatæ.*
7 *Tertiò in casu Solutionis usurarum juramentò firmatarum.*
8 *Quartò, in casu depositi: & quomodo?*

1 DEsumpta habetur hæc Regula ex *l. 1. §. 4. ff. de Superficiebus.* ibi: *Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.* quod idem dicitur *l. Invitus. 156. §. 1. ff. de Reg. Jur. Cui damus actiones, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.*

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? 2
Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam intelligendam esse, & procedere tunc solummodo, quando de eodem, & ad idem agitur, ac excipitur, ut benè advertit Glossa marginalis *hic*, communiter recepta. Item quando non adest ratio specialis exceptionem magis, quàm actionem repellens, prout patebit ex fallentiis infrà *à nu. 5.* adducendis. Hinc

Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Quando* 3
alicui de Jure competit actio pro re aliqua acquirenda, eidem etiam, & multò magis competit exceptio pro eadem, si habet retinenda ad excludendam actionem, quam alius pro eadem re instituit. Ratio est, Tum, quia *cui licet quod est plus, licet utique, quod est minus*, juxta *Reg. 53. de R. J. in 6.* Plus autem est agere, quàm excipere; cùm non rarò, cui denegatur actio, concedatur exceptio *arg. c. Cùm*

Cùm inter. 5. de Except. utpote quæ tanquam lui defensio in majore æquitate fundatur *l. Qui æquitate 12. ff. de Doli mali except.* Tum, quia exceptio tendit ad rei retentionem, quæ facilius conceditur, quàm acquisitio illius, qualem intendit actio. *l. Fer retentionem. 4. C. de Usur.* Tum, quia exceptione utens repræsentat personam Rei, actionem verò instituens personam Actoris: sed *Favorabiliores Rei potiùs, quàm Actores habentur. l. 125. ff. de R. J.* ergo. Quibus accedit, Jura promptiora esse ad absolvendum, & liberandum, quod quærit excipiens, quàm condemnandum, & obligandum, quod intendit actionem instituens. *l. Arianus. 47. ff. de Oblig. & Action.* consequenter, cui de Jure competit actio pro aliqua re acquirenda, multò magis ei competit exceptio pro illa retinenda.

4 Declaratur, & firmatur Regula, ejusque sensus exemplis Juris: Sic enim, uti exemplificat Glossa *hic*, quia ei, qui post legitimam rei præscriptionem dejicitur à possessione, competit actio: multò magis ei competit exceptio pro eadem re retinenda, dum eam possidet *arg. can. Placuit. 15. can. 26. q. 3.* junctis *l. Si quis. 8. C. de Præscript. triginta vel quadrag. annor.* Sic pariter, si alicui competit actio, & vindicatio contra possessorem, multò magis competit exceptio, si rem possidet, contra alium actorem, eandem rem vindicare volentem. *l. 1. §. 4. ff. de Superficiebus.* Sic rursus, quia conductori rei alienæ ad longum tempus competit actio, & vindicatio utilis in rem contra possessorem etiam dominum: sic eidem quoque competit exceptio contra eundem dominum. *arg. cit. l. 1. §. 3. ff. eod.* Sic ulteriùs, quia viro contra uxorem adulteram competit actio ad divortium *c. Ex litteris. 5. de Divortiis.* sic contra eandem ei competit exceptio pro reditu ad virum actionem instituentem, *c. 4. eod.*

5 Quæritur II. An, & quas fallentias habeat Regula LXXI.? Resp. Eam fallere in pluribus, veluti 1. Si quis vi spoliatur possessione, & agendo restitutionem petit, non competit spoliatori exceptio dominii, dicendo, se esse rei dominum, & alterum injustum possessorem, licèt facta restitutione possit contra spoliatum agere. *c. 1. & c. In litteris. 5. de Restit. Spoliat.* prout amplius diximus *Lib. II. Tit. 13. de Restit. Spoliat.*

Fallit 2. in casu Electionis jam confirmatæ, in 6
quo non datur exceptio contra missionem Prælati in possessionem, etsi contra eundem in possessionem jam missi detur actio. *c. Constitutis. 46. de Appellat. & c. Indemnitatibus. 43. §. Cæterùm. de Elect. in 6.* Idque speciali ratione ob favorem Ecclesiæ, vel Monasterii, utpote quibus diuturna Prælati carentia, quam exceptio admissa causaret, est præjudiciosa Eccl-siæ, & animabus periculosa.

Fallit 3. in casu Solutionis usurarum, quas fol- 7
vere debitor jurejurando promisit; in tali enim casu, licèt post solutionem jam factam competat actio ad obtinendam restitutionem usurarum jam solutarum, tamen eidem non competit exceptio contra solutionem præstandam, textu claro *c. Debitores. 6. de Jurejurando.* Ratio specialis est; quia ob virtutem Religionis juramentum, quod sine dispendio salutis animæ, & præjudicio tertii servari potest, semper servari debet. *c. Cùm contingat. 28. de Jurejur. & c. Quamvis. 2. de Pactis. in 6.* ubi pactum, etiam à Jure Civili reprobatum observari juberur, si juramento fuit firmatum; *cùm non vergat in æternæ salutis dispendium, nec in alterius detrimentum*, uti dicitur ibidem.

Fallit 4. in casu depositi; licèt enim depositarius 8
habeat actionem contra deponentem, si ei debeat: exceptione tamen uti non potest titulò compensationis, si deponens repetat depositum. *c. fin. v. Sanè. de Depositis. & l. Si quis. 11. C. Depositi.* ibi: *Si quis vel pecunias, vel res quasdam per depositionis acceperit titulum, eas volenti ei, qui deposuit, reddere illico modis omnibus compellatur, nullamque compensationem, vel dedu ctionem vel doli exceptionem opponat, quasi & ipse contra eum, qui deposuit, actiones personales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens.* Ratio in utroque Jure specialis allegatur illa: ne contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur.

REGULA LXXII.

Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Differt à Regula: Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum: & quomodo?*
3 *Ponitur Regulæ sensus.*
4 *Declarantur exemplis: in bonis,*
5 *Et in malis.*
6 *Solvitur objectio.*
7 *Obstetrix an, & quando delinquat præbendo, vel suadendo medicinam?*
8 *Fallit Regula in iis, in quibus fallit LXVIII.*

1 DEsumitur Regula ex *l. Quod jussu alterius. 180. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Quod jussu alterius solvitur, perinde est, quasi ipsi solutum esset.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus ipsius sensus sit? Resp. quamvis ista Regula conferre videatur cum Regula 68. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum:* tamen ab ea differt. Tum, quia prima dicta Regula loquitur de potestate faciendi per alium: præsens verò de vi, & effectu actus per alium jam facti. Tum, quia illa hæc Regula loquitur generali-

ter, ut etiam comprehendat maleficia, quatenus non solùm ille, qui bona, sed etiam qui mala & iniqua per alium facit, v. g. hominem occidit, vulnerat &c. perinde est, homicidii reus habetur, ac si ipse in persona occidisset. *arg. l. Is damnum. 169. ff. de R. J. Is damnum dat, qui jubet dare.* & patebit per exempla Juris infrà *nu.* 4. adducenda. Non sic Regula 68. utpote quæ de licitis loquitur, uti patet ex dictis ad eandem. Verbum autem *perinde* non est intelligendum, quasi esset idem utriusque actus, sed quia fictione, & interpretatione quoad effectum pro eodem habetur. Et concernit hæc Regula potissimùm mandatarios, procuratores substitutos, delegatos, ministros, officiales, servos, utpote per quos sæpissimè negotia nostra & alia facimus, & quod per hos facimus, quoad Juris effectum pro eodem habeatur, ac si ipsi faceremus. Hinc

Resp. II. Verus Regulæ sensus sequens est: *Quod* 3
quis per alium sive benè, sive malè facit, quoad Juris effectum pro eodem habetur, ac si faceret per se ipsum. Ratio Regulæ est; quia ille, qui mandat, delegat, substituit &c. ut quid per alium fiat, est principalis causa & origo facti secuti: hoc ipsò, quòd factum

non esset, si ipse non mandâsset; consequenter factum tale eidem meritò ita imputatur, ac si ipse fecisset. *argum. cit. l. Is damnum.* 169 *ff. de Reg. Jur.* & *l. Hæc actio.* 4. *ff. Si Mensor fals. mod. dixer.*

4 Declaratur Regula exemplis Juris: Sic enim, qui debitum sum per alium solvit, perinde habetur, ac ipse solvisset. *cit. l. Quod jussu.* 180. *ff. de Reg. Jur.* Sic etiam, qui mandat, ut suus debitor id, quod debet, solvat mandatus creditori, perinde est, ac si ipse solviset. *l. Cum jussu.* 64. *ff. de Solut.* ibi: *Cum jussu meo id, quod mihi debet, solvis creditori meo, & tu à me, & ego à creditore meo liberor.* & *l. Singularia.* 15. *ff. de Reb. creditis si certum.* Sic pariter, si quis per procuratorem juramentum deponit, perinde est, ac si ipse juràsset. *Clem.* 1. *de Jurejur.* Sic rursus, qui per delegatum fert sententiam, perinde est, ac si ipse eam tulisset. *l. Eth.* 3 *de Offic. ejus, cui mandat.* Sic ulteriùs, si quis per procuratorem contrahat matrimonium, perinde est, ac si ipse in persona illud contraxisset *c. fin. de Procurat. in* 6. Sic alia innumera exempla passim habentur in Jure.

5 Ponuntur etiam exempla Juris ex Dyno de maleficiis, seu malè factis per alium; Sic enim qui alium vi dejicit à possessione, perinde est, & tenetur edicto *Unde vi*; ac si ipse in persona eum dejecisset *l.* 1. §. 12. *ff. de Vi, & vi armat.* ibi: *Dejecisse autem etiam videtur, qui mandavit, vel jussit.* Sic etiam actione injuriarum tenetur, sive per se, sive per alium calumniam quis inferat. *l. Non solùm* 11. *ff. de Injuriis.* Sic rursus æquè pro homicida habetur, & ut talis punitur, qui per alium occidit, ac si per se ipsum occidisset. *l. Non ideo.* 5. *C. de Accus.* cum Concord. Sic insuper qui per alium percutit Clericum, vel manus violentas injicit, æquè incurrit excommunicationem, ac si per se ipsum percussisset. *c. Mulieres.* 6. §. *fin. de Sentent. Excomm.* ubi etiam ratio additur illis verbis; *cùm is committat verè, cujus authoritate, vel mandato delictum committi probatur.* Sic plurima alia in Jure habentur exempla.

6 Objicies 1. Si Mævius Stycho mandavit, ut jubeat fieri opus aliquod, & id fieri Stychus juffit; in casu emergentiæ non Stychus jubens, sed Mævius est conveniendus. *l. Aut qui aliter.* 5. § 12 *ff. Quod vi, aut clam.* ibi: *Si tibi mandavero, ut opus fieri juberes, & in ære mihi parueris, mecum, inquit, non tecum erit actio.* ergo non semper, quod per alium quis facit, per se ipsum facere censetur. Resp. neg. conseq. quia Regula intelligenda est duntaxat de principali mandante, jubente, volente, ut quid per alium fiat: non de intermedijs personis, quæ non proprio, sed principalis mandantis nomine quid fieri jubent, uti apertè patet ex ipsa *l. Aut qui aliter.* in contrarium citata. Hoc tamen intellige de contractibus, & aliis apparentibus licitis per alium factis; Secus est, si à Mævio principali maleficium, v. g. Rapina, furtum, aut homicidium mandetur; tunc enim non solùm principalis mandans, & delictum actu perpetrans, sed etiam concurrentes, & consentientes rei reputantur, ac pœnâ plectuntur. *can. Omnes.* 5. *cau.* 17 *q.* 4 ibi: *Omnes Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores à liminibus S. Matris Ecclesiæ anathemat. amus, authoritate Apostolica pellimus, & damnamus, atque sacrilegos esse judicamus: & non solùm eos, sed omnes consentientes eis, quia non solùm qui faciunt, rei judicantur, sed etiam qui consentiunt facientibus. Par enim pœna & agentes, & consentientes comprehendit.*

Objicitur 2. *l. Item, si obstetrix.* 9. *pr. ff. ad Legem Aquilium* ubi apertè statui videtur, quòd non idem sit, homicidium committere, & causam homicidii præbere. ibi: *Si obstetrix medicamentum dederit, & mulier perierit, Labeo distinguit: ut si quidem suis manibus supposuit, videatur occidisse: sin verò dedit, ut sibi mulier offerret, in factum actionem dandam. Quæ sententia vera est; magis enim causam mortis præstitit, quàm occidit.* Resp. In hac objectione, & lege solvenda multùm desudare Doctores: vel enim obstetrix occidendi animò medicamentum dedit, aut fusit: vel bonâ, & medendi intentione, mortis periculò nullatenus prævisò; si modo posteriori contigit, obstetrix absque culpa & pœna est; quia *In malefic is voluntas spectatur, non exitus*; ut dicitur *l. Divus.* 14. *ff. ad Legem Cornel. de Sicariis.* Si verò priori modo contigit: homicidii, & pœnarum illius rea erit; quia sive per se, sive per alium quis occidat, vel mortis causam culpabiliter præbeat, de homicidio tenetur, tum per Jura citata, tum per textum satis clarum *l. Nihil interest.* 15. *ff. ad Legem Cornel. de Sicar.* ibi: *Nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat.* Hinc, quia *cit. l. Item, si obstetrix.* si nudus verborum sensus spectetur, primùm dictæ legi, & aliis Juribus apertè videtur contraria, Streinius dicere non dubitavit, quod *Labeonis* per eam allegata sententia dura, & minùs vera, nec tam *Labeonis*, quàm judicio labentis & errantis dicenda sit, nisi benigna interpretatione, Jura concordante, corrigatur. 7

Quæritur II. An, & quas fallentias habeat hæc Regula? Resp. Eam in iis omnibus fallere, in quibus fallit Regula 68. hoc ipso, quòd in casibus ibidem à n. 8. allegatis non possit quis facere per alium, quod facere in persona propria debet: non perinde habetur, si tale quid per alium facit, quod ipsemet in persona facere tenetur. 8

REGULA LXXIII.

Factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Quomodo intelligenda?*
Declaratur exemplis Juris: ibid. & seqq.
6 *Non nisi de actibus legitimè factis, & completis procedit: idque docetur exemplis Juris & seq.*
8 *Ponitur verus Regulæ sensus.*
9 *Solvitur textus ei contrarius.*
10 *Supervenientes causæ quæ ab initio existentes actui obstitissent, etsi actum perfectum non ampliùs impediant, tamen sæpe impediunt effectum illius.*

DEsumitur hæc Regula ex *l. In ambiguis.* 85. *ff. de Reg. Jur.* ibi: *Non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licèt ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt.* & *l. Nec enim.* 2. *ff. de Itinere*, actuque privato. ibi: *Nec enim corrumpi, aut mutari, quod rectè transactum est, superveniente delicto potest.* 1

Quæritur, Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. 1. Eam sic esse intelligendam: quando aliquid legitimè, id est, juxta præscriptum legum validè fit, valorem non amittit, nec retractoris, vel annullari potest, aut debet, etiamsi postea superveniat casus, aut circumstantiæ, qui, si priùs, & antequam actus fuit factus, extitissent, inchoari, & fieri non potuisset. Sic v. g. Matrimonium validè & legitimè contractum valorem non amittit, nec retractari, aut annullari potest vel debet, si postea unus vel uterque conjugum incidat in amentiam, quæ antea existens matrimonium validè contrahere impedivisset. *can. Neque furiosus.* 26 *cau.* 32 *q.* 7 ibi: *Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separantur.* Idem est, si infirmitas superveniat, uti si vir cognoscat sororem uxoris suæ; quia etsi hujusmodi affinitas sit impedimentum dirimens, & ante matrimonium existens faciat, quod inchoari, & validè contrahi non queat: tamen post matrimonium primùm veniens, hoc non diffolvit. *c. Diffinitionem* 6. *c. penult.* & *ult. de Eo, qui cognovit consanguin. uxor. suæ.*

3 Sic pariter, licèt furiosi testamentum facere non valeant, tamen si furor testatoris primùm post testamentum eveniat, testamentum non invalidatur. §. 1. *Instit. Quibus non est permissum facere testamentum.* ibi: *Testamentum facere non possunt furiosi, quia mente carent.* & infrà; *cæteri eo, quod ante furorem fecerint, testamento valente.* Ratio additur; *Nam neque testamentum rectè factum, neque ullum aliud negotium rectè gestum, postea furor intervenions perimit.*

4 Sic rursus, si quis rem legitimè præscripsit, potest eam validè & licitè, totâque conscientiâ retinere, etiam si post completam præscriptionem certò sciat, rem fuisse alienam; quia licèt hujusmodi scientia, si ante inchoatam, vel completam præscriptionem extitisset, præscriptio inchoari, aut continuari non potuisset *c. Vigilanti.* 5 & *c. fin. de Præscript.* superveniens verò eam legitimè jam completam non invalidat, aut vitiat, sed in utroque foro adhuc validam relinquit, prout jam diximus *Lib. II. Tit.* 26. *à n.* 21.

5 Sic ulteriùs, si quis à Patrono, in possessione existente, ad beneficium præsentatus canonicè instituitur, beneficium validè & licitè retinet. licèt Patronus postea jus patronatûs in judicio perdat. *c. Consultationibus.* 19 *de Jure Patronat.* ubi Summarium sic habet: *Institutus ad præsentationem ejus, qui tunc jus patronatûs Ecclesiæ possidebat, removeri non debet, licèt illud jus ab eo postmodum evincatur.* quæ evictio si ante præsentationem extitisset, utique nec præsentatio à Patrono, nec institutio fieri potuisset. Sic innumera alia exempla reperiuntur in Jure.

6 Singulariter tamen notandum, Regulam nostram solummodo intelligendam esse de actibus legitimè factis, perfectis, & consummatis; quia si actus legitimè non fit, subintrat alia Regula: *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit. c. Non firmatur* 18. *de Reg. Jur. in* 6. Dein si legitimè inchoatur quidem, attamen substantialiter non perficitur & completur, regulariter invalidatur actus, si supervenit casus, vel circumstantia, quæ si ante initium actûs extitisset, hic inchoari non potuisset, ut pluribus ostendit Dyn. *hic. arg. l. Pluribus.* 140. *ff. de Verb. Obligat.* Sic Testamentum legitimè quidem inchoatum, sed ob amentiam testatoris non perfectum, invalidum existit ob talem supervenientem amentiam, utpote; quæ si priùs extitisset, nec inchoationem testamenti promisisset. *cit.* §. 1. *Instit. Quibus non est permiss. facere Testam.* Sic etiam Præscriptio legitimè inchoata, & continuata, sed debito tempore nondum completa evanescit per supervenientem nottiam, rem esse alienam; cùm hæc scientia, si ab initio penes præscribere volentem fuisset, præscriptionem inchoare non permisisset

ex defectu bonæ fidei. *c. Vigilanti.* 5. & *c. fin. de Præscript.*

Sic ulteriùs stipulatio servitutis, viæ, vel itineris in fundo evanescit, si ante completam stipulationem fundus alienatur. *l. Pro parte.* 11. *ff. de Servitut.* Sic rursus sponsalia, seu promissio de futuro matrimonio tollitur, si, antequam matrimonium de præsenti actu contrahitur, superveniat causa, quæ priùs existente, sponsalia contrahere non licuisset; veluti si post sponsalia de futuro unus sponsorum cum alio contrahit matrimonium de præsenti, vel impedimentum dirimens affinitatis contrahit. *c. Sicut,* 22. & *c. Si inter.* 31. *de Sponsi. & Matrim.* 7

Resp. II. Verus Regulæ sensus sequens est: *Quidquid aliquando legitimè factum, & in suo genere substantialiter perfectum, seu completum est, nec à facientibus, nec ab aliis retractari, vel aliunde invalidari potest, nec invalidum evadit, etiamsi casus, vel circumstantiæ supervenient, quæ, si prius extitissent, inchoationi ejusdem, & valori obstitissent.* Per Jura, & exempla Juris jam allegata. Ratio est bonum commune Reipublicæ, quæ utique graviter pateretur, & in gravem confusionem, litiumque nocivam copiam incideret, si actus, contractus, sententiæ, & alia negotia, legitimè gesta, completa, & absoluta rescissioni adhæc subjacerent, vel ex se invalida evaderent, casu quò causæ, vel circumstantiæ emergunt, quibus ante initium actûs existentibus, actus inchoari non potuisset; præsertim cùm exinde graviter præjudicaretur necessario commercio humano, canctis diffidentibus, & contractus, atque alia negotia horrentibus, si rerum dominia, jura, & emolumenta legitimè obtenia forent incerta, & futuris casibus, ac circumstantiis emergentibus, quæ ab initio obstitissent, iterum perirent. Boni communis autem, & Reipublicæ summa ratio est habenda, *arg. can. Scias frater.* 35. *cau.* 7. *q.* 1. cum Concord. 8

Contra Regulam principaliter objicitur *l. Pluribus* 140. §. 2 *de Verb. Obl g.* ubi videtur adesse textus nostræ Regulæ apertè contrarius; sic enim sonat: *Placeat extingui obligationem, si in eum casum inciderit, à quo incipere non potest. Non tamen hoc in omnibus verum est.* qui & alii Juris textus ferè floriles DD. præsertim verò Peckium adeo fatigant, ut dicere hic non dubitârit, nihil circa hoc in toto Jure magis incertum, & perplexum esse. Dynus autem mitiùs sentiendo ait, conciliari posse præfatum, & alios Juris textus Regulæ nostræ apparenter contrarios, si dicatur, eos loqui de actibus substantialiter necdum perfectis & completis, quos superveniente casu, vel circumstantiâ, inchoationi actûs obsistente, retractari posse, vel ex se ipsis evanescere, quod Regula nostra ipsamet vult per dicta suprà *n.* 6. Fundaturque hæc responsio in eo, quòd textui Regulæ apparenter contrario statim subjungatur: *Non tamen hoc in omnibus verum est.* Streinius verò non multùm se fatigans ait; le textus Juris civilis in eo, ubi non concordant cum nostra Regula Juris Canonici, pro non insertis habere, eosque profani Juris studiosis committere. 9

Notandum tamen, quòd, licèt juxta hactenus dicta, legitimè facta & completa retractari nequeant, nec invalida evadant ob supervenientem causam, quæ priùs existens inchoationem actûs impediisset: tamen nonnunquam per hujusmodi superveniemtem causam impediatur effectus actûs validè, & legitimè peracti, ac perfecti, uti patet in arreptitiis, & epilepticis; cùm licet eorum superveniens infirmitas Ordines legitimè collatos non invalidet, effectum tamen eorum impediat; quia hujusmodi infirmitate gravati Sacris Altaribus ministrare & Ordines exercere non valent. *can. Communiter.* 3. *dist.* 33. ibi: *Communiter diffi-* 10

finimus, ut nullus de iis, qui aut in terram arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modò vexationis incursibus efferuntur, vel Sacris Altaribus audeant ministrare, vel indiscussè se ingerant Sacramentis Divinis, exceptis illis, qui corporis incommoditatibus dediti, sine huiusmodi passionibus in terram probantur elisi, qui tamen & ipsi tamdiu erunt ab officii sui Ordine, & loco suspensi, quo usque unius anni spatio per discretionem Episcopi inventantur ab incursu dæmonum liberati. Qui textus circa tales infirmos benè est notandus. Idem cum proportione dic de Presbytero, cui medietas palmæ est abscissa, vel qui est leprosus, textu claro *Presbyterum. 2. & c. Tua nos. 4. de Clerico ægrotante.*

REGULA LXXIV.

Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Quomodo intelligenda?*
3 *Ponitur verus sensus illius.*
4 *Declaratur Juris exemplis.*
5 *Solvitur Objectio.*

1 DEsumptam ajunt hanc Regulam ex *l. 1. ff. de Const. Princip.* ibi: *Nam quod Princeps alicui ob meritа indulsit, vel si quam pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur.* Concordat, & affinis est Regula 7 *de Reg. Jur. in 6. Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona. & Reg. 28 eod. Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* De quibus vide suprà suo locò, & applicanda etiam hic applica.

2 Quæritur, quomodò hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam loqui, & intelligendam esse de iis favoribus, gratiis &c. quæ à Papa, vel alio supremo Principe alicui in specie, ex speciali ratione, vel beneplacito conceduntur contra, vel ultra jus commune: & velle, ne hæc in exemplum, vel consequentiam, etiam ob paritatem rationis ab aliis trahantur. Hinc

3 Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: *Quod alicui in singulari ex speciali favore, & gratia à Papa, vel alio supremo Principe contra, vel ultra jus conceditur, ab aliis trahi non debet in exemplum, vel consequentiam, ita, ut existiment, id sibi quoque in simili casu, & existente eadem ratione licitum.* Per Jura, & Juris Regulas *n. 1.* allegatas. Ratio Regulæ est; quia favores & gratiæ speciales contra jus, vires suas præcisè recipiunt ab intentione & voluntate concedentis. Vivianus *hic arg. c. 2. de Rescript.* intentio autem, & voluntas concedentis non est, ut quod alicui in singulari ex speciali favore & gratia impertitur, ad alios extendatur, sed tanquam favor, & privilegium personale personam duntaxat sequatur, & cum ea extinguatur; consequenter ab aliis in exemplum trahi non possit: præsertim cùm per similes speciales favores & privilegia personalia, non ea, quæ juris communis, & per consequens aliis etiam in simili communia sunt, sed quæ contra jus, vel ultra id, quod vi illorum permittitur, concedantur; siquidem *Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* juxta *c. Reg. 28. de R. J. in 6.*

Exempla in Jure, & in praxi habentur plurima; 4
Sic enim, uti benè specificat Dynus *hic.* si Papa ex gratia speciali concedit, quòd quis habere possit plura beneficia curata: percipere fructus sine residentia: vel si quem eximit à solvendis decimis. Aut si Princeps aliquem declarat à solvendis tributis, vel aliis oneribus publicis immunem, hoc non potest ab aliis trahi in exemplum, ita ut tali speciali favore sine speciali concessione & ipsi fruantur. Speciale etiam exemplum habetur *can. Petitisti. 17. cau. 7. q. 1.* ubi Zacharias Papa ex speciali gratia concessit quidem Episcopo Moguntino, ut sibi ipsi possit designare successorem, tamen addidit: *Hoc nulli concedi alii patimur, quodtibi charitate cogente largiri censuimus.* Simile quid habetur *can. Contra morem. 8. dist. 100.* ubi Gregorius arguit, Archi-Episcopum Ravennatensem, quòd intuitu privilegiorum aliis Ecclesiis specialiter concessorum, usus fuerit pallio extra Missarum solemnia, eumque adegit, ut vel probet, etiam suæ Ecclesiæ simile speciale privilegium esse concessum, vel in defectu probationis, universali Ecclesiarum Metropolitanarum mori, jurique communi se accommodet. ibi: *Aut enim mos omnium Metropolitanorum etiam à tua est fraternitate servandus, aut si tuæ Ecclesiæ aliquid specialiter dicis esse concessum, præceptumve à prioribus Romanæ urbis Pontificibus, quòd hæc Ravennati Ecclesiæ sunt concessa, à vobis oportet ostendi.*

Objicies contra Regulam *l. 1. §. 2. C. de Novo Codice faciendo.* ubi satis clarè contineri videtur, etiam 5
ea, quæ personæ conceduntur, generalis constitutionis vim habere, & ab aliis in exemplum trahi posse. Resp. Legem hanc de illis loqui Rescriptis, quæ quidem ab initio speciali personæ, aut communitati sunt inscripta, postea verò propter utilitatem communem Codici, vel Juri communi Canonico, aut Civili, tanquam leges communes fuerunt inserta, sicque meritò ad exemplum trahenda. Ita enim sonant verba legis præfatæ: *Sicut & illas* (intellige constitutiones) *vim generalis constitutionis obtinere palam est, quæ ad certas personas rescriptæ, vel per pragmaticam sanctionem ab initio datæ; eidem novo Codici, propter utilitatem Sanctionis inserta fuerunt*: cujusmodi Rescriptis Jus commune plenum est.

REGULA LXXV.

Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.

SUMMARIUM.

1 *Frangenti fidem, fides frangetur eidem.*
2 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
3 *Quæ procedit, etiamsi in modico duntaxat fides violetur:*
4 *Et quamvis violans per æquivalens velit satisfacere:*
5 *Aut à præstando promisso fuerit legitimè impeditus.*
6 *Licet pars adversa juramento firmâsset suam fidem.*
7 *Declaratur Regula exemplis Juris. & n. seq.*

9 *Violante uno fidem, in arbitrio servantis est, utrùm pariter velit eam frangere, vel continuare contractum, & pœnam petere.*
10 *Etiam hosti est servanda fides.*
11 *Ambobus conjugibus pari consensu continentiam voventibus, si unus eorum illam violat, tenetur nihilo minus alter servare.*
12 *Fallit Regula in contractu cum pupillo.*

1 COncordat cum Regula illud tritissimum & verum Brocardicum versiculo expressum: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. Eam esse intelligendam juxta sequentem proprium illius sensum. *Is, qui fidem in contractu, vel quacunque conventione alteri datam non servat, id est, non præstat, quod promisit, non potest ab altero prætendere, ut sibi datam, circa idem factum fidem observet, seu, quod reciprocè promisit, præstet.* Ratio Regulæ est; quia omni contractui tacitè inest hæc conditio: *si fidem datam alter servârit. arg. l. Cùm proponas. 21. C. de Pactis.* consequenter, si una pars contrahentium fidem de re, materia, vel facto aliquo non servat, nec pars altera suam de eodem datam fidem servare tenetur.

3 Procedit Regula, etsi in modico duntaxat ab una parte frangatur fides; quia etiam tunc ab altera observandam fidem prætendere nequit, & petens exceptione de prius violata fide removeri potest; quemadmodum si in emptione emptor etiam modicam partem pretii stipulati non solvit, venditor fidem servare, & rem venditam tradere non tenetur. *l. Julianus. 13. §. 8 ff. de Action Empti* Strein. *hic. n 2.* Baldus ad *l. Pacta ff. de Contrah. empt.* Nisi forsan id, quod desideratur, tam modicum sit, ut meritò præsumi possit, ad hujusmodi minutias noluisse respicere contrahentes. *l. 1. §. 8. ff. de Ædilit. Edicto.*

4 Procedit insuper Regula, etiamsi fidem violans velit per aliquid æquivalens satisfacere; quia *aliud pro alio, invito creditori, solvi non potest*, ut dicitur *l. 2. §. 1. ff. de R. b. credit. si cert. pet.* Sic v. g. si mutuam alicui dedisti pecuniam cum conditione, ut ipse iterùm in parata pecunia solvat, non teneris aliam rem ejusdem pretii accipere, immo nec acceptare, si mutuum acciptens velit suum debitorem, qui solvat, substituere. *l. Eum, à quo. 16. C. de Solution.* ibi: *Eum, à quo mutuum sumpsisti pecuniam, in solutum, nolentem accipere nomen debitoris tui, compelli Juris ratio non permittit.*

5 Procedit ulteriùs Regula, etiam si pars una fidem servare ex causa necessaria impediatur, sicque absque culpa existat; quia licèt in tali casu excutiatur à mora, & pœna. *l. Si vehenda. 10 §. 1. ff. de Lege Rhodia de Jactu.* Tamen exinde alteram partem obligare non potest ad servandam fidem, vel actionem propterea contra ipsam instituere. *l. Ex conducto. 15. §. 6. ff. Locati.*

6 Procedit rursus, etsi una pars juramento firmârit suum promissum, & fidem; quia etiam hujusmodi juramento facta promissio vel contractus tacitam continet conditionem: si pars altera fidem, & promissum servet, conditionem impositam, & susceptam adimpleat. *c. Perveni. 3. de Jurejur.* ibi: *Nec tu ei, etiamsi promissum tuum juramento, vel fidei obligatione, interposita conditione firmasses, aliquatenus teneris; si constat, eum conditioni minimè paruisse.*

7 Declaratur Regula, & firmatur ulteriùs exemplis Juris: Sic enim si Petrus per viam tranlactionis litis, ea cum conditione, renuntiavit, ut Paulus intrà mensis spatium certam pecuniæ quantitatem solvat: & Paulus intrà dictum mensem pecuniam non solvit, Petrus renuntiationi fiare non tenetur, sed ad litem redire potest, *arg. l. Cùm proponas. 21. C. de Pactis.*

Sic pariter si duo fratres habentes plura prædia, 8
vel domos in communi cum mutua conventione sub certa pœna, ne alienentur, & unus eorum aliquid alienavit, non potest hic prætendere ab altero fratre, ne ipse alienet. *arg. l. Cùm Pater 77. §. Libertis. 27. ff. de Legat. II.* Sic quoque, si quis pro certa pensione annua alteri ad certos annos locavit domum suam sub certa pœna, quod eum expellere non velit, nec possit: potest locatarium liberè expellere, & pœnam subire non tenetur, si pensionem juxta promissum non solvit, textu, & casu expresso *l. Quæro. 54. §. 1. ff. Locati.*

Notandum tamen cum Glossa *hic*, quòd si duæ 9
partes sub certa pœna mutua sibi invicem promittunt, & una pars priùs fidem violet, in libertate non frangentis fidem sit, vel ulteriùs servare pactum, si melius ei videbitur, ac interea petere solutionem pœnæ. *arg. l. Cùm par. 154. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Illi debet permitti petere pœnam, qui in ipsam non incidit*: vel fidem pariter frangere; quò casu tamen hinc inde fit mutua compensatio pœnæ: *c. Constitutus. 7. De Pœnis* ibi: *Licèt autem in instrumento Episcopi expressa fuerit certa pœna, quam pars contractum non servans solvere observanti: cùm tamen utraque pars venisse contra illum ex confessione propria convincatur, utramque partem ab eo reddimus absolutam.*

Objicitur autem contra Regulam 1. *can. Noli exi-* 10
stimare. 3 cau. 23. q. 1. ubi habetur: *Fides enim, quando promittitur, etiam hosti servanda est*: atqui hostis non servat fidem; ergo. Resp. cum Glossa, fidem omnino etiam hosti servandam esse, si & ipse eam servat: secus si hic eam violat. Idem dic in similibus *arg. can. Sta subjectus. 7. dist. 95.* ibi: *Scitum est illud oratoris Domitii: cur ego te, inquit, habeam ut Principem, cùm tu me non habeas ut senatorem.*

Objicitur 2. Si conjuges mutuo consensu conti- 11
nentiam vovent, & unus eorum adulteratur, tamen pars innocens adhuc tenetur ad servandam continentiam. *can. Quod Deo. 4. cau. 33. q. 5.* ibi: *Quod Deo pari consensu voveratis, perseveranter vedere ambo usque in finem debuistis: à quo proposito, si lapsus est ille, tu saltem inst. nissimè persevera.* Resp. hoc verum esse, quia in hoc casu fides non fuit promissa homini, sed Deo, qui fidem nunquam violat. Et hinc licèt pars una adulteretur, tamen innocens votum Deo factum servare debet: quamvis adulteram ad thorum, & cohabitationem admittere, & debitum ei reddere haud amplius oblicetur, nisi & ipsa postea adulteretur. *c. Significasti. 4. de Divort.*

Quæritur II. An, & quas fallentias patiatur Re- 12
gula LXXV? Resp. Eam fallere in contractu cum pupillo, inito sine authoritate tutoris. *l. Julianus. 13. §. 29 ff. de Action. empt.* hunc enim contractum pro libitu frangere potest pupillus, alter verò eundem servare tenetur. ibi: *Si quis à pupillo sine authoritate tutoris emerit, ex uno latere constat contractus; nàm qui emit, obligatus est pupillo: pupillum sibi non obligat.* Et hoc in favorem ætatis pupillaris à Jure specialiter sanctum est: quod cùm emens à pupillo scire potuit & debuit, sibi imputare debet, quòd cum illo sine authoritate tutoris contraxerit.

REGULA LXXVI.

Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.

SUMMARIUM.

1 *Quid nomine* perſonæ *intelligatur in Regula?*
2 *Ponitur verus ſenſus Regulæ.*
3 *Declaratur exemplis Juris.*
4 *Solvuntur objectiones.*
5 *Fallit Regula primò in delictis omiſſionis.*
6 *Secundò, quando Prælatus cum conſenſu Capituli delinquit.*
7 *Tertiò, in Interdicto.*
8 *Quando ex delicto perſonæ aliquid ad Eccleſiam pervenit, hæque inde facta eſt ditior.*

1 QUæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius ſenſus ſit? Reſp. I. Nomine *perſonæ* in hac Regula intelliguntur non tantùm Prælati Eccleſiarum, tam Regularium, quàm ſæcularium: ſed etiam omnes illi, ſive ſæculares Laici, ſive Clerici, qui Eccleſiæ, vel Monaſterio ſerviunt, ejuſque res aut Jura adminiſtrant, vel membra Eccleſiæ, monaſterive exiſtunt. De quibus Regula dicit, quòd eorum qualiacunque delicta, ſive falſum committant, ſive occidant, ſive furentur, aut aliàs damnificent, vel injuriâ afficiant &c. in detrimentum Eccleſiæ redundare non debeat, conſequenter Eccleſia ad reparationem damni illati, vel pœnam delicto impoſitam non obligetur, nec ipſamet in bonis ſuis damnum pati habeat. Hinc

2 Reſp. II. Genuinus Regulæ ſenſus ſequens eſt: *Si perſonæ, quæ Eccleſiæ ſive regulari, ſive ſæculari deſerviunt, ejuſque res, aut jura adminiſtrant, vel membra illius exiſtunt, quales ſunt Prælati, privati Clerici, aut Religioſi, Officiales ſive regulares, ſive ſæculares, puta Grunarii, Cellarii, œconomi, procuratores &c. delictum committunt, non debet illud in detrimentum Eccleſiæ redundare, nec ei quomodolibet præjudicare, conſequenter non tenetur Eccleſia damna exinde aliis illata reſarcire, aut pœnam aliquam ſubire, nec damnum ſibi illatum ſuſtinere.* Ratio Regulæ eſt, Tum, quia delicta ſuos tenere debent authores, c. *Quæſivit. 2. de His, quæ à majori parte Capit*, ibi: *Cùm peccata ſuos authores tenere debeant, nec pœna ſit ulteriùs protrahenda, quàm delictum fuerit in excedente repertum.* junctâ *l. Sanctimus. 22. C. de Pœnis.* conſequenter, cùm præfatæ perſonæ, ſi delinquunt, id non Eccleſiæ, ſed ſuo nomine faciant, eorum delicta illis ſolis, non Eccleſiæ nocere debent. Tum, quia Eccleſia gaudet favore & jure minoris. c. 1. *de In integr. reſtit.* ibi: *Et Eccleſia jure minoris debeat ſemper illeſa ſervari:* Minor autem ex alieno, etiam tutoris delicto, non tenetur, *arg. l. penult. ff. de Tabulis exhibendis.* Accedit, quòd Eccleſiæ Prælatus, vel alius adminiſtrator illius meliorem quidem reddere poſſit conditionem Eccleſiæ, ſed deteriorem facere non debeat, cit. c. 1. *de In Integr. reſtit.* & c. 2. *de Donationibus.* ibi: *Cùm Epiſcopus, & quilibet Prælatus Eccleſiaſticarum rerum ſit procurator, & non dominus, conditionem Eccleſiæ meliorare poteſt, facere verò deteriorem non debet.*

3 Declaratur Regula exemplis Juris, ubi plurima inveniuntur; Sic enim, ſi Epiſcopus tam grave delictum committit, ut meritò deponatur, bona Eccleſiæ non confiſcantur. *can. Si Epiſcopum. 3. cau. 16. q. 6.* ubi pro ratione affertur Regula noſtra, ibi: *quia delictum perſonæ in damnum Eccleſiæ non eſt convertendum.* Sic etiam, ſi procurator, aut Syndicus producit falſum inſtrumentum, ab ipſo Prælato confectum, id Eccleſiæ non præjudicat, c. *Cùm Venerabilis. 6. §. ad hæc de Except.* Siculteriùs res Eccleſiæ malè alienatas revocare poteſt non tantùm ſucceſſor Superior, & capitulum, ſed ipſe Prælatus malè alienans, allegando etiam, & fatendo propriam turpitudinem, etiamſi jurâſſet non repetere: prout ampliùs dictum, & probatum habetur *Lib. III. Tit. 13. §. 3.* Adducit Dynus plura alia exempla de variis delictis per perſonas commiſſis, & univerſaliter concludit, quòd vi Regulæ nullum horum præjudicare valeat Eccleſiæ, prout etiam *n. 1.* jam diximus.

Objicitur autem 1. contra Regulam *l. Jubemus 10. C. de Sacroſ. Eccleſiis.* vi cujus etiam navis Eccleſiæ fiſco addicitur ob delictum Prælati, quòd eam publicæ tranſvectioni ſubtraxit. Reſp. Leges Civiles, ſacris canonibus manifeſtè obviantes, eſſe nullas; cùm Legiſlatores civiles careant poteſtate aliquid ſtatuendi in præjudicium Eccleſiarum. c. *Quæ in Eccleſiarum 7. & c. Eccleſia. 10. de Conſtit.* ibi: *Nos attendentes, quòd Laicis — ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas, quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi.* Vel dic cum Dyno & Gloſſa delictum ibidem circa navem commiſſum fuiſſe cum conſenſu & conſilio capituli: in cujuſmodi caſibus Regula non procedit juxta mox dicenda *n. 6.* Objicitur 2. Repudiatio Legati à Prælato facta cenſetur in Jure valida: ergo factum perſonæ nocet Eccleſiæ: Reſp. negando conſequentiam; quia in repudiatione non agitur de damno vitando, ſed tantùm de lucro non captando: non autem eſt par ratio, lucra non facere, & quæſita perdere; prout ampliùs de hac materia dictum habetur *Lib. III. Tit. 10. §. 2.*

5 Quæritur II. An, & quas fallentias patiatur Regula LXXVI.? Reſp. Eam fallere 1. in delictis omiſſionis à Prælato, vel aliis perſonis factis; hæc ſiquidem etiam Eccleſiæ præjudicant *arg. can. Placuit. 15. cau. 16. q. 3.* Item c. 1. *& ſeqq. de Præſcript.* ex quibus clarè patet, quòd delictum Prælati, omittentis repetere rem eccleſiaſticam, noceat Eccleſiæ eatenus, quatenus contra eundem debito tempore currit præſcriptio.

6 Fallit 2. Quando Prælatus delinquit cum conſenſu Capituli, & communicato conſilio, *arg. c. Cùm dilectus. 2. de Ordin. cognit* junctâ Gloſſâ ibidem: ubi exceptio ſpoliationis à Prælato factæ propterea etiam Eccleſiæ nocet. Vivianus *hic.* Et ratio eſt; quia, etſi Prælatus ſolus delinquendo non repræſentet Eccleſiam, ſicque ei non noceat: tamen, quia cum Capitulo, vel Collegio eam verè repræſentat, eidem etiam nocet, ſi cum conſilio & conſenſu eorum delinquit, quia ſic totam Eccleſiam deliquiſſe cenſetur. Et procedit hæc fallentia ſive omittendo, ſive committendo fiat delictum, ob pariatem rationis.

7 Fallit 3. in Interdicto, c. *Cùm dilectus. 8. de Religioſis domibus.* ubi propter delictum Prælati Monaſterium interdicto ſubjicitur; quod, etſi ſpeciale, non tamen adeò durum cenſet D. Thomas *4. diſt. 18. q. 2. art. 3. q. 2. ad ſecundum* dicens; *quia interdictum non eſt tanta pœna, quanta excommunicatio; quia interdicti non fraudantur ſuffragiis Eccleſiæ, ſicut excommunicati.*

8 Fallit 4. quando ex dolo, vel delicto Prælati, aut alterius ex recenſitis n. 2. perſonis aliquid ad Eccleſiam pervenit, & hæc inde facta eſt ditior; Dynus *hic*, quia ſicut Jure cavetur, ut pupillus teneatur de dolo, aut delicto tutoris, ſi inde ad eum aliquid pervenit, *l. 4. ff. de Tribut. act.* cum Concord. & dominus de delicto ſervi: ac Pater de delicto filii, ſi quid ex horum de delictis aliquid ad eos pervenit *l. 1. §. 15. 19. & 20. ff. de Vi, & vi armat.* ſic etiam Eccleſia eatenus tenetur, quatenus id, quod ex delicto perſonæ ad ſe pervenit, reſtituere debet. Fallit 5. in confeſſione judiciali Prælati. de quo fuſiùs *Lib. II. Tit. 18. §. 4.*

REGULA LXXVII.

Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.

SUMMARIUM.

1 *In quo differat hæc Regula à Regula LV.?*
2 *Ponitur verus ſenſus Regulæ.*
3 *Et ratio illius.*
4 *Declaratur exemplis Juris, & duobus ſeqq.*
5 *Patronus Eccleſiæ quæ prærogativa honoris, & quæ onera habeat.*
6 *Succeſſor Prælatus tenetur ſolvere Anteceſſoris debita, pro utilitate Eccleſiæ contracta.*
7 *Conditio onerosa adhærens perſonæ non transfertur ad Succeſſorem.*

1 PRæſens Regula in ſubſtantia omnino concordat cum Regula LV. de Reg. Jur. in 6. ac in hoc ſolo differre videtur, quòd hæc poſterior univerſaliter, & indiſtinctè dicat: *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra.* Præſens verò Regula loquatur ſpecificè de caſu ſucceſſionis in honore, velitque, ut, qui in honore ſuccedit, ſuccedat etiam in onere honori annexo.

2 Quæritur itaque, quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius ſenſus ſit? Reſp. Eam eſſe intelligendam juxta ſequentem geminum illius ſenſum: *Quicunque alicui ſuccedit in dignitate, vel alio munere honorifico, aut prærogativa quadam, eidem etiam ſuccedit in onere, ſeu in obligationibus tali dignitati, vel muneri honorifico annexis; eaſque uti anteceſſor adimplere, & præſtare debet.* Fundatur Regula in ratione, & æquitate naturali, prout ipſa Regula innuit illis verbis: *Rationi congruit:* quam adeò æquam duxit Imperator, ut intolerabilem minimè ferendum pronuntiârit illum, qui eidem non acquieſcit. *l. un. §. 4. C. de Caduc. tollend.* ibi: *Neque enim ferendus eſt is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit.* Ad propoſitum etiam ſervit effatum Gregorii Papæ *can. Rationis ordo. 9. diſt. 100.* ibi: *cum honoris augmento cura etiam ſollicitudinis debet accreſcere, ut cultui veſtium actionis quoque ornamenta conveniant.*

3 Rationis locò ſtat etiam, quòd ſucceſſor in munere honorifico habeatur quaſi pro hærede anteceſſoris, uti advertit Gloſſa in c. 1. *de Solut. v. Prædeceſſoris.* conſequenter, ſicut hæres in univerſum jus tam paſſivum, quàm activum ſuccedit, indéque onera & debita hæreditari annexa præſtare debet, ſic idem facere oportet eum, qui quaſi hæres alteri in honore ſuccedit *cit. c. 1. de Solut.*

Declaratur & firmatur Regula ulteriùs exemplis Juris. Primum adducit Dynus de ſubſtituto hærede; quia hæreditas in Jure honor vocatur. *l. Filium 5. §. 5. ff. de Legat. præſt.* Sicut enim hæres inſtitutus, ſic etiam ſubſtitutus unà cum honore in onere, puta, ſolvendi legata, & alia debita, ſuccedit; quia relicta ab inſtituente videntur legis poteſtate tacitè repetita ab inſtituto. *l. Licèt Imperator. 74. ff. de Legatis. I.* 4

Sic filius, qui jure hæreditario ſuccedit in jus Patronatûs, indéque honorem & commoda reportet, puta, honoratiorem locum in proceſſione, præcedentiam in acceptanda thurificatione, in capiendo modeſto auxilio, ſi ad inopiam vergat. c. *Nobis. 25. de Jure Patronatûs.* ibi: *Pro fundatione quoque Eccleſiæ honor proceſſionis fundatori ſervatur: & ſi ad inopiam vergat, ab Eccleſia illi modeſtè ſuccurritur, ſicut in Sacris eſt canonibus inſtitutum. cum Concord.* idem in oneribus quoque, & obligationibus, defendendi videlicet Eccleſiam, &, quantum poſſibile, curandi, ne ullò modò injuſtè patiatur, aut bona illius ad alium, quàm deſtinatum uſum, applicentur, ſuccedit. *arg. can. Filiis, vel neptibus. 31. & can. Decernimus. 32. cau. 16. q. 7.* 5

Sic Prælatus ſuccedens in honore, ſuccedit etiam in onere & obligatione ſolvendi debita ab anteceſſore ob utilitatem Eccleſiæ contracta c. *de Solut.* ibi: *Sicut filius debita patris ſolvere tenetur, ita Prælatus ſui prædeceſſoris pro Eccleſiæ utilitate contracta.* Et ille, qui honorifico mortui Judicis officio ſubſtituitur, onus & obligationem habet, ſequendi judicium, quod ipſe ferre debeat. arg. c. *Quoniam Abbas. 14. de Offic. & poteſt. Jud. deleg.* 6

Illud tamen cum Dyno *hic n. 5.* & aliis notandum, quòd, ſi onus, vel conditio onerosa adhæret perſonæ anteceſſoris, ſuccedens in honore illius, non ſuccedat in tali onere. *arg. l. Legatum. 24. ff. de Adimend. legat.* ibi: *Legatum ſub conditione datum, cùm transfertur, ſub eadem conditione transferri videtur, ſi non conditio priori perſonæ cohæreat.* 7

REGULA LXXVIII.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde? & quibus à quaſi ſimilibus differat?*
2 *Ponitur verus ſenſus Regulæ.*
Conceſſa propter neceſſitatem, ceſſante neceſſitate, ceſſant. ibid.
3 *Beneficia ſæcularia, extra caſum neceſſitatis, Regularibus non ſunt conferenda.*
4 *Pater ob nimiam inopiam vendere poteſt filium.*
5 *Ubi omnino ſimilis, vel major ratio habetur, ſi extenſio conceſſionis: & quare?*

1 DEſumitur hæc Regula ex *l. Quæ propter. 162. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Quæ propter neceſſitatem recepta ſunt, non debent in argumentum trahi.* Concordare videntur Reg. XXVIII. *Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.* & Reg. LXXIV. *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* A quibus tamen differt, & propterea ſuperflua non videtur, quòd præſens Regula ſpecialiter loquatur de eo, quod *ob neceſſitatem*: præcedentes verò de eo, quod ex ſpeciali favore & gratia conceditur, ut notat Gloſſa *hic.*

Quæritur, Quomodo Regula intelligenda? Et quis verus illius ſenſus ſit? Reſp. Regulam intelligendam eſſe in ſenſu ſequenti, tanquam proprio ejuſdem: *Id, quod intuitu urgentis alicujus gravis neceſſitatis ſubinde conceditur, aut permittitur, ab aliis ſumi non debet pro argumento, quaſi & illis in hujuſmodi* 2

jusmodi casu permissum, aut concessum esset. Ratio Regulæ est; quia, cùm hujusmodi concessiones à Jure communi exorbitent, in consequentiam non sint trahendæ juxta Regulas n. 1. allegatas: immò non tantùm non trahendæ in exemplum, sed in ipso etiam, cui factæ sunt, cessare debent, necessitate tanquam causâ concessionis, cessante. *can. Quod pro. 41. cau. 1. q. 1.* ibi: *Quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate debet utique cessare.* Quod idem reperitur *can. Quod pro remedio 7. cau. 1. q. 7.* Et meritò; *Cùm cessante causa cesset effectus. c. Cùm cessante. 60. de Appellat.*

3 Declaratur Regula, & firmatur exemplis Juris: Sic etsi in necessitate ob inopiam Sacerdotum beneficia sæcularia, & Parochiæ etiamsi Religiosis conferri valeant; id tamen cessante tali inopia, vel alia vera necessitate practicari non debet: prout ex illo trito: *Sæcularia beneficia sæcularibus, & Regularia Regularibus sunt conferenda:* ampliùs diximus *Lib. III. Tit. 5. §. 2. n. 26.* Sic pariter, quando ob inopiam Sacerdotum conceditur unio duarum parochiarum, ea cessare debet, quando habetur copia Sacerdotum. Sic rursus, si ob certam gravem necessitatem tempore quadragesimæ conceditur esus carnium, ad aliud tempus, necessitate vacans, trahi non debet. Sic, etsi Bavaris tempore belli Suevici ob varias necessitates universaliter fuerit concessum in quadragesima edere carnes, uti post Caramuel refert Strein. *hic* tamen, quia necessitates tunc existentes non amplius extant, id eis non ampliùs licet, per Jura & rationes allegatas.

4 Sic, licèt pater ob nimiam paupertatem & egestatem victûs causâ vendere possit filium, vel filiam. *l. 2. C. de Patribus, qui filios.* tamen in simili casu id non licet matri, vel avo paterno, ut cum aliis docet Brunneman in *cit. l. n. 1.*

5 Notandum tamen cum Glossa, & Dyno *hic*, quòd, etsi regulariter loquendo, alius pro argumento & exemplo sumere non debeat id, quod aliquando intuitu necessitatis fuit concessum, tamen id fieri possit & debeat in casu, ubi eadem gravis, vel major urget necessitas; quia argumentum a simili ad penitus simile procedit; cùm ea, quæ conveniunt in identitate rationis, non debeant separari, secundùm constitutionem Juris, ut habet Summarium in *l. Illud. 32. ff. ad Leg. Aquiliam.* cui concordat *c. Inter corporalis. 2. de Translat. Episc.* ibi: *Propter expressam tamen similitudinem, vel potiùs identitatem-cùm de similibus idem judicium sit habendum.* Et quamvis argumentum à paritate rationis desumptum, *ubi est eadem ratio, eadem est legis dispositio*, non semper procedat, ac præsertim locum non habet in iis, quæ à Jure communi exorbitant: tamen, ubi rationis loco stat gravis necessitas, & hæc in aliis eadem, omnino procedit; eò quòd necessitas gravis aliàs ordinariè excuset à servanda lege humana juxta Regulam IV. *de Reg. Jur. in Quinto Decret. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum* &c. & dicta ad eandem Regulam suprà. Addit nihilominus Dynus: nisi in concessione reperiatur expressa, vel æquipollens prohibitio in contrarium, uti fit in *cit. l. 2. C. de Patribus, qui filios.* ibi: *Venditione in hoc tantummodo casu valente.*

REGULA LXXIX.

Nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi ipsi competere dignoscatur.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Ponitur verus sensus illius:*
3 *Et declaratur exemplis Juris.*
4 *Solvuntur objectiones. & duob. seqq.*
5 *Patronus laicus quadrimestre, Ecclesiasticus semestre habet ad præsentandum.*
6 *Alieno, sed non suo nomine dare quis potest, quod non habet.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Nemo plus juris. 54. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Nemo plus juris ad alium transferre potest, quàm ipse haberet.* Et *l. Nemo plus commodi 120. ff. eod. Nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quàm ipse habuit.* cui concordat etiam *c. Nuper. 6. de Donat. inter virum & uxor.* ibi: *Cùm regulariter nullus in alium plus juris transferre possit, quàm eum constat habere.* & *c. Is, qui. 46. de Reg. Jur. in 6.* ibi: *Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit:* consequenter non majori.

2 Quæritur. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. Regula, ex se clara, hunc proprium sensum habet: *Quantumvis aliquis sive per contractum, vel dispositionem inter vivos, sive mortis causâ alicui suo nomine dat, assignat, relinquit, aut transfert, plus Juris in eum transferre non potest, quàm ipse habuit.* Ratio Regulæ manifesta; quia nemo dare potest, quod non habet, *can. Daibertum. 24. cau. 1. q. 7.* ibi: *Qui nihil habuit, nihil dare potuit.*

3 Declaratur Regula, aliàs ex se clara, exemplis Juris. Primum ponit Dynus *hic n. 1.* si vendo tibi rem aliquam, illud juris, quod ego venditor in eandem habeo, & tu emptor habebis: si ego nihil juris habui, & tu nihil habebis: si ego directum, sed non utile: vel utile, sed non directum: vel si liberam, aut servitute, vel alio onere affectam, tu quoque taliter, & non aliter habebis, claro textu *l. Traditio. 20. ff. de Adquirendo rer. Domin.* ibi: *Traditio nihil ampliùs transferre debet, vel potest ad eum, qui accipit, quàm est apud eum, qui tradit. Si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert; si non habuit, ad eum, qui accipit, nihil transfert. Quoties autem tale dominium transfertur, ad eum, qui accipit, tale transfertur, quale fuit apud eum, qui tradit: si servus fuit fundus, cum servitutibus transit: si liber, uti fuit. Et si fortè servitutes debebantur fundo, qui traditus est, cum jure servitutum debitarum transfertur.* Idem est de aliis contractibus, & actibus inter vivos, quibus res transferuntur; universaliter enim, & meritò dicitur *l. In his. 175. ff. de R. J. Non debeo melioris conditionis esse, quàm author meus, à quo jus in me transit.* De dispositionibus mortis causâ, patet ex *cit. Reg. 120. ff. de Reg. Jur. Nemo plus &c.*

4 Objicitur tamen contra Regulam 1. Patronus laicus, etsi quatuor duntaxat menses ad præsentandum habeat, tamen si jus patronatûs in Ecclesiam, vel Monasterium transfertur, huic illico competunt sex menses ad præsentandum. *c. un. de Jure Patron. in 6.* ibi: *licèt Patronus laicus ad præsentandum tempus habeat quadrimestre duntaxat; Ecclesia tamen, vel Monasterium, cui facta est à Laico Juris patronatûs collatio, tempus habet semestre.* Ergo Patronus laicus in tali casu plus juris transfert, quàm ipse habuit. Resp. negando consequentiam; quia patronus laicus simpliciter suum jus, quod habet, transfert: quòd autem novus patronus, utpote Ecclesiasticus, plus temporis acquirat, non à patrono laico transferente, sed à Juris dispositione provenit, quæ Patronis Ecclesiasticis sex menses ad præsentandum concedit. *cit. c. un. de Jure Patron. in 6.*

5 Objicitur 2. Capitulum, sede vacante, potest dare licentiam ordinandi subditos diœcesanos *c. Cùm nullus 3. de Tempor. Ordinat. in 6* quâ tamen ipsum caret: ergo dat, quod non habet. Resp. Capitulum non nisi jurisdictionem, quam habet, tribuere, ut alius potestate Ordinis aliàs jam præditus in præfatos subditos uti valeat.

6 Objicitur 3. in *l. Non est novum. 46. ff. de adquirend. rer. Domin.* habetur textus, qui videtur Regulæ apertè contrarius; sic enim sonat: *Non est novum, ut, qui dominium non habet, alii dominium præbeat; Nam & creditor pignus vendendo, causam dominii præstat, quam ipse non habuit.* Sic etiam tutores, curatores, procuratores &c. licèt dominium rerum non habeant, illud nihilominus in alios transferunt. *§. Nihil. 42. Instit. de Rerum division.* cum Concord. Ergo plus juris transferre quis potest, quàm ipse habet. Resp. negando rursus consequentiam, quia omnes recensiti transferentes alienum dominium non suo proprio, sed aliorum, verorum videlicet dominorum nomine transferunt: etiam creditor rem oppignoratam vendens, utpote cui dominus per contractum ad id potestatem tribuit, ut si tempore debito non solvat, creditor pignus vendere valeat. *§. 1. Inst. Quibus alienare.* ibi: *Creditor pignus ex pactione, quamvis ejus ea res non sit, alienare potest. Sed hoc forsitan ideo videtur fieri, quòd voluntate debitoris intelligitur pignus alienari; qui ab initio contractus pactus est, ut liceret creditori pignus vendere, si pecunia non solvatur.* Regula autem nostra de iis duntaxat loquitur, qui proprio nomine jus transferunt. Plures objectiones adducit, & solvit Glossa *hic.*

REGULA LXXX.

In toto partem non est dubium contineri.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Ponitur verus sensus Regulæ:*
3 *Et declaratur exemplis Juris.*
4 *Solvuntur objectiones. & n. seqq.*
Quando legatur omne aurum & argentum, non comprehenduntur pecuniæ, & nummi, nec ejus nomine veniunt.
5 *Quando materia transit in materiatam, censetur assumere aliam speciem.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. In toto. 113. ff. de Reg. Jur.* ibi: *In toto & pars continetur.* Et concordat supra jam explicata Regula XXXV. *de R. J. in 6. Plus semper in se continet, quod est minus.* consequenter, quia totum plus est, quàm pars illius, hæc in illo continetur.

2 Quæritur, Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Regulæ, ex ipsis verbis claræ, & lumine naturæ notæ, sensus hic est: *Certum est, quòd in toto etiam pars illius contineatur.* Cùm, si in eo non contineretur, jam hoc ipso pars illius non esset. Tendit autem Regula eò præcipuè, ut intelligatur, credatur, & firmiter teneatur, ac judicetur, eum, qui totum habet, emit, vendit, lucratur, in testamento acquirit, vel perdit, amittit &c. etiam partem hujusmodi totius habere, emere, vendere, lucrari, acquirere, perdere, amittere &c. Et qui jus ad totum habet, etiam ad partem illius habere.

3 Idque patet exemplis Juris: Sic enim, si quis in judicio totam v. g. domum petit, & succumbit, etiam quoad partes illius succubuisse censetur: indeque, si postea petat partem ejusdem ex eadem causa (secùs si ex diversa causa) obstat exceptio rei judicatæ. *l. Si quis cum totum. 7. pr. ff. de Exception. rei judicat. Nam pars in toto est*, ut dicitur ibidem. Et econtra ob eandem rationem, qui totam domum lucratur, etiam partes illius, tectum, parietes &c. lucratur. Sic etiam, qui fundum totum stipulatur, etiam usumfructum, tanquam partem illius, stipulari censetur, sicque nihil agit, si, postquam totum fundum stipulatus est, postea usumfructum ejus stipulatur. Sic etiam nihil agit, qui priùs usumfructum fundi, & postea ex eadem causa totum fundum stipulatur. *l. Qui Usumfructum. 58. ff. de Verb. Oblig.* ibi: *Qui usumfructum fundi stipulatur deinde fundum, similis est ei, qui partem fundi stipulatur, deinde totum; quia fundus dari non intelligitur, si ususfructus detrahitur. Et è contrario, qui fundum stipulatus est, deinde usumfructum, similis est ei, qui totum stipulatur, deinde partem.* Sic rursus, cui de jure competit vindicatio pro tota re priùs possessa, etiam pro partibus illius eidem competit vindicatio. *l. Quæ de tota 76. ff. de Rei vindicat.* ibi: *Quæ de tota re vindicanda dicta sunt, eadem & de parte intelligenda sunt.* Plura hujusmodi Juris exempla, sicut & alia ad propositum vide in *cit. Reg. XXXV. Plus semper &c. de R. J. in 6.* utpote quæ cum præsenti plurimùm concordat.

4 Cæterùm quantumvis clara appareat hæc Regula, nihilominus contra eam fieri solent à Juristis objectiones, solutu tamen faciles. Sic enim Objicitur 1. Licèt alicui omne aurum, & argentum legetur, tamen nummi, & pecuniæ ex auro & argento cusæ non censentur legatæ: cùm tamen videantur species, & pars illius. *l. Cùm aurum. 19. pr. ff. de Auro, argento &c. legato.* ibi: *Cùm aurum, vel argentum legatum est, quidquid auri, argentique relictum sit, legato continetur.--- Pecuniam autem signatam placet eo legato non contineri.* Ergo pars non semper continetur in toto. Resp. negando, quòd pecunia & nummi cusi sint species & pars auri, vel argenti massivi, cùm hoc nomine in Jure ordinariè non veniant. *l. Quintus. 27. §. 1. ff. eod.* ibi: *An, cui omne argentum legatum est, et nummi quoque legati videantur, quæritur; Et ego puto, non contineri.* Audi rationem; *Non facilè enim quisquam argenti numero nummos computat. Item argento facto legato, puto, nisi evidenter contra sensisse testatorem appareat nummos non contineri.* Vel, nisi aliud aurum aut argentum non haberet, quàm pecuniam & nummos; tunc enim de voluntate testatoris satìs constaret: uti benè advertunt Doctores. *arg. l. Pediculis. 32. §. 4. ff. eod.* ibi: *Si testatrix habuit proprium argentum ad usum suum paratum, non videri id legatum, quod negotiandi causâ venale proponi solebat.*

5 Objicitur 2. *l. Si convenerit. 18. §. 3. ff. de Pignor. actione* habetur, quòd si quis pro pignore dedit sylvam, navis ex arboribus sylvæ fabricata non censeatur oppignorata; ibi: *Si quis caverit, ut sylva sibi pignori esset, navem ex ea materia factam, non esse pignoris, Cassius ait: quia aliud est materia, aliud navis.* ergo Resp. cum Gloss. in *cit. l. § 3.* quando materia transit in materiatam, id est, si ex rudi materia fiat artificiosa, uti ex rudibus arboribus fabricata navis est, assumit novam speciem, non eadem cum rudi

rudi materia species, nec pars illius ampliùs esse censetur: uti videre est in pecuniis ex auro vel argento causa, utpote quæ juxta dicta n. 4. cum auro & argento massivo eadem species, & pars illius non ampliùs reputatur, consequenter Regulæ nostræ non obstat.

REGULA LXXXI.

In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Quomodo intelligenda?*
3 *Ponitur verus sensus illius.*
4 *Declaratur exemplis Juris. & n. seq.*
Administrator rerum non potest donare. Ibid.
5 *Vicarius generalis non potest conferre beneficia.*
6 *Solvitur objectio contra Regulam. & n. seq.*
7 *Transactio generalis extendit se etiam ad incogni-ta, & ignorata.*

1 DEsumitur hæc Regula ex c. 2. *de Pœnit. & Remiss. in* 6. ibi: *Cùm in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis verisimiliter concessurus.*

2 Quæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam præsentem ita intelligi debere, & intendere, quòd, etsi juxta claras Juris Regulas, *Semper specialia generalibus insunt, l. Semper. 137. ff. de Reg. Jur.* consequenter specialia sub generalibus comprehendantur: & *In toto partem non est dubium contineri*, juxta immediatè præcedentem Regulam: Generale autem sit aliquod totum, specialia sub illo contenta habeantur pro partibus ejusdem: tamen ista, & concordantes Juris Regulæ non adeò universaliter, & illimitatè procedant, quin patiantur suas limitationes; & quidem vi præsentis Regulæ specialiter illam, quòd sub concessione, quantumvis generali, venire, & comprehendi non censeantur illa specialia, quæ concedere verisimiliter non intendit generaliter concedens. Hinc

3 Resp. II. Verus sensus Regulæ sequens est: *Quando aliqua in genere conceduntur, non intelliguntur concessa etiam illa, quæ quidem tanquam species sub tali generali sùb comprehenduntur, tamen talia sunt, de quibus verisimile est, quòd ea in specie concedere nullatenus intenderit generaliter concedens.* Ratio Regulæ est; quia verisimile non est, ea, quæ speciali notâ digna sunt, sub generali concessione comprehendi, nisi experimentur: cujusmodi sunt prorsus extraordinaria, insolita, & de quibus nec in genere quidem cogitatum est, ut ait Layman ad c. *Sedes 15. de Rescript.* vel quæ habent impossibilem, aut inhumanam, sive duram à generaliter concedente, vel se obligante, separationem, ut inquit Gloss. *hic.* Cùm enim concessiones generales non nisi confusâ aliquâ prævia cognitione specialium, & quidem eorum, quæ ferè ordinariè, & facilè concedi consuevêre, fieri soleant: ad prorsus extraordinaria autem, insolita, & difficillima, in iis ordinarie reflexio non fiat; mens & intentio concedentis ad ea se non extendisse verisimiliter præsumitur. Tum, quia sicut aliàs *Inspicimus in obscuris, quod verisimilius est: c. Inspicimus 45. de Reg Jur. in* 6. idem inspicere debemus in obscuris concessionibus generalibus. Quibus accedit, quòd ea, quæ speciali notâ sunt digna, si specialiter non notantur, ex industria censeantur omissa. *l. Item apud. 15. §. 26. ff. de Injur.* ibi: *Ea enim, quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videantur quasi neglecta.*

Declaratur Regula & firmatur amplius exemplis
4 Juris: Sic enim in generali concessione administrationis bonorum non censetur venire donationis potestas *c. fin. de Offic. Vicar. in* 6. ibi: *Cum nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa.* etiamsi talis administratio filio familias committetur *l. Filius familias 7. pr. ff. de Donat.* ibi: *Filius familias donare non potest, neque, si liberam peculii administrationem habeat; non enim ad hoc ei conceditur libera peculii administratio, ut perdat.* Sic etiam sub generali obligatione pignoris non venit uxor, nec alumni, nec ea, de quibus verisimile est, quòd se obligare quis non velit. *l. 1. C. Quæ Res pignor. Oblig.* ibi: *Alumnos tuos, & cæteras res, quas nemo tam credibile pignori specialiter datorum fuisse, generali pacti conventione, quæ de rebus tuis facta est, in casu pignoris non fuisse, rationis est.*

Sic rursus generalis commissio facta legato Sedis 5
Apostolicæ se non extendit ad causas fidei. Strein. *hic. arg. can. Frater noster. 50. can. 16. q. 1.* Nec ad translationem Episcoporum, *c. Nisi specialis. 3.* nec ad unionem, vel divisionem Episcopatuum, *c. Quod translationem. 4. de Officio legati.* Sic insuper in generali concessione officii Vicarii Episcopi non comprehenditur libera collatio beneficiorum, *c. fin. de Officio Vicar. in* 6. ubi etiam Regula nostra pro ratione adducitur illis verbis: *Cùm in generali concessione nequaquam illa veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus: Officialis, aut Vicarius generalis Episcopi beneficia conferre non possunt; nisi benefactorum collatio ipsis specialiter sit commissa.* Ex eadem ratione allegata, seu vi Regulæ: *Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem, ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem.* uti habetur *c. 2. de Pœnitent. & remission. pr.*

Objicitur autem contra Regulam 1. à Dyno. Il- 6
lud operatur generale quantum ad omnia, quantum operatur speciale in qualibet specie. *l. Si chorus. 79. ff. de Legat. III.* ibi: *Si chorus, aut familia legetur, perinde est, quasi singuli homines legati sint*, junctô *l. Si duo. 52. ff. de Administrat. tutor.* cui concordat *c. Solitæ. 6. de Majorit. & obedient.* circa finem cum Glossa ibidem: *Qui dicit omnia, nihil excipit.* Resp. cum eodem Dyno, talia locum habere in illis, quæ verisimiliter in specie quis esset concessurus, puta, quæ non sunt extraordinaria, insolita, vel concedenti grave damnum afferentia &c. ad alia verò concessio generalis non extenditur; quia derogatur eis per præsumptionem contrariam, uti patet ex Juribus citatis.

Objicitur 2. Generalis transactio de remissione 7
omnium jurium extendit se etiam ad incogitata, & ignorata; cùm non ampliùs liceat recurrere ad novas species postea apparentes, vel instrumenta noviter reperta, priùs incognita. *l. Sub prætextu. 19. C. de Transact.* ibi: *Sub prætextu instrumenti postea reperti transactionem bona fide finitam rescindi jura non patiuntur.* junctâ *l. 29. C. eod.* ibi *Sub prætextu Specierum postea repertarum generali transactione finita, rescindi prohibent Jura.* Ergo dispositio & concessio generalis etiam ad extraordinaria se extendit. Respondo consequentiam; quia ex eo, quòd partes simili

simili generali transactione intendant litem penitus finire, censetur etiam instrumentis, & speciebus pro tunc non apparentibus, jurique in eis fundato renuntiare. *arg. cit. LL.*

REGULA LXXXII.

Qui contra jus mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 Contra Jus mercari, *quid?*
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
4 *Præsumitur malæ fidei emptor etiam qui ignoranter contra publicam claram legem emit.*
Ignorantia facti, non Juris excusat. Ibid.
5 *Declaratur Regula exemplis.*
Emens à pupillo, sine authoritate tutoris, rem emptam præscribere potest, si ex ignorantia facti, non item juris id fecit. Ibid.
6 *Solvuntur objectiones. & n. seqq.*
7 *Bona fides præsumitur, nisi abesse probetur, ubi allegatur ignorantia facti, non verò Juris.*
8 *Fallit Regula in sistem casibus, in quibus fallit Regula XIII.*

1 SUmitur hæc Regula ex *l. Quemadmodum 7. in fin. C. de Agricolis, & censitis.* ibi: *ff. læ fidei namque possessorem esse, nullus ambigit, qui aliquid contra legium interdicta mercatur.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. *Contra jus mercari*, juxta Regulam istam, censetur omnis ille, qui aliquid emit contra prohibitionem legis sive divinæ, sive humanæ, sive canonicæ, sive civilis, sive statutorum municipalium; & taliter emens præsumitur cum mala fide emere. Hinc

3 Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est, *Quicunque contra publicam, claram, & notoriam prohibitionem Juris, vel legis cujuscunque aliquid emit, id mala fide, sicque cum dolo & pactato facere præsumitur, ac propterea semper malæ fidei possessor, qui præscribere non potest, esse censetur.* Rationem hujus optimè allegat Dynus *hic.* Vel enim scivit emptor prohibitionem Juris, vel non scivit: Si scivit, manifestum, & extra dubium est, quòd mala fides, dolus & malitia reperiatur in illo; cùm quivis teneatur in actibus suis se conformare legibus & statutis. *c. 1. de Constit. Canonum statuta custodiantur ab omnibus. & l. Leges. 3. C. de Legibus.* ibi: *Leges ut generales ab omnibus æquabiliter imposterum observentur.*

4 Si non scivit, ex præsumptione Juris pro malæ fidei emptore, & possessore habetur; cùm scire & scire debere, facilèque posse (prout res se habet circa claras & notorias legum prohibitiones) paria sint. arg. *l. Regula 9. §. 3. ff. de Jur. & facti Ignor. & l. Constitutionis. 12. C. eod.* cum Concord. Unde juxta Regulam XIII. *de R. J. in* 6. *Ignorantia facti, non Juris excusat.* Ut proin pro malæ fidei emptore & possessore meritò habeatur, qui etiam ex ignorantia contra notoriam & claram prohibitionem emit; qui propterea etiam rem sic emptam præscribere non potest, quia *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit c. Possessor. 2. de Reg. Jur. in* 6. & *l. Nunquam. 31. ff. de Usurpat. & Usucap.* ibi: *Nunquam in usucapionibus Juris error* (seu ignorantia) *possessori prodest.* de qua materia etiam vid. *Reg. II. de R. J. in* 6. *& Lib. II. Tit. 26. à n. 67.*

Exempla Juris habentur innumera, inter quæ est, 5
quòd, si quis à pupillo, sine authoritate tutoris aliquid emit, ignorans id prohibitum esse, malæ fidei possessor de Jure præsumatur, & præscribere non possit, secus foret, si haberet ignorantiam facti, putans eum puberem esse. *l. Pro emptore. 2. §. 15. ff. Pro Emptore.* ibi: *Si à pupillo emero sine tutoris authoritate, quem puberem esse putem, dicimus usucapionem sequi, ut hic plus sit re, quàm in existimatione. Quòd si scias, pupillum esse, putes tamen, pupillis licere res suas sine tutoris authoritate administrare, non capies usucapio: quia Juris error nulli prodest.* Simile exemplum est etiam, si quis à Prælato Ecclesiæ, vel Monasterii quid emit non servata præscripta solemnitate Juris. *arg. c. 1. & c. Tua nuper. 8. de Hist, quæ fiunt à Prælatis.*

Objicitur 1. contra Regulam, c. *Apostolicæ. 9. de* 6
Donation. valet præscriptio rei per Episcopum Monasterio, magno cum Ecclesiæ damno, consequenter contra Juris prohibitionem donatæ. ibi: *poterit legitime revocari, nisi præscriptione, vel alia exceptione legitima, actio hujusmodi excludatur.* Resp. cum Glossa communiter recepta, ibi fuisse ignorantiam facti, & non Juris: Facti enim quæstio erat, utrùm per allegatam ibidem donationem quinquagesimæ, vel centesimæ partis de censibus Ecclesiæ eadem graviter lædatur; atque ideo monasterium id, quod recepit, præscribere potuit; cùm habuerit titulum & bonam fidem, ac de reliquo facti ignorantia excuset. *cit. Reg. 13. de R. J. in* 6. & præscriptionem non impediat arg. *cit. l. Pro emptore.*

Objicitur 2. Bona fides semper adesse præsumi- 7
tur, n si abesse probetur. arg. *l. Dolum. 6. C. de Dolo & l. 2. de Præscript. long. temp.* cum Concord. Resp. cum Dyno, id verum esse, ubi allegatur ignorantia facti; quia tunc Juris præsumptio allegationi non resistit: secus est, quando allegatur ignorantia Juris; tunc enim non bona, sed mala fides præsumitur, quia præsumptio Juris allegationi resistit *cit l. 2. ff. Pro Emptore. & c. Ignorantia. 3. de Reg. Jur. in* 6. censeturque mala fides satis probata, si patet, vel probator delictum, quod emendo contra prohibitionem committitur.

Quæritur II. An, & quas fallentias habeat Re- 8
gula LXXXII? Resp. Eam fallere in istem, in quibus quoad secundam partem fallere diximus Regulam XIII. *Ignorantiam facti, non Juris excusat*, videlicet. 1. In Minoribus. 2. In Militibus. 3. In omnimo rudibus, non habentibus, quos consulant 4. Juxta aliquos etiam in fœminis. Et 5. Universaliter, quando non sunt clara, sed ambigua, obscura, & controversa; quia in his recensitis non tantùm facti, sed etiam juris ignorantia excusat, consequenter à præsumptione Juris de mala fide eximit, vide dicta art cit. Reg. XIII. à n. 20. ac etiam reliqua ad eandem Regulam adducta, quia præsentem magis elucidant.

REGULA LXXXIII.

Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Quomodo intelligenda?*
Solutione debiti tollitur obligatio, per quemcunque fiat. Ibid.
3 *Procedit Regula etiam in Pœnis.*
4 *Legatum, pro certa die factum, singulis annis eo die peti potest.*
5 *Fallit Regula, quando una exactione, & solutione debiti, obligatio illius non extinguitur.*
Episcopus bis, vel sæpius in anno visitans, semper exigere potest procurationem. Ibid.
6 *Fallit insuper in causa dotis: & quando?*

1 DEsumpta est hæc Regula ex *l. Bona fides 57. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Bona fides non patitur, ut idem bis exigatur.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Eam esse intelligendam juxta sequentem proprium illius sensum: *Creditor, qui solutionem debiti jam semel petiit, & justam obtinuit, eam ulteriùs petere, seu exigere bona fides, seu bona conscientia non potest.* Ratio perspicua est; quia vera solutione debiti tollitur omnis obligatio ejusdem. Nec refert, utrùm debitor per se, vel per alium, aut id, quod debet, in natura aut, consentiente creditore, in æstimatione, vel per aliud solvat *pr. Instit. Quibus modis tollatur obligatio* ibi: *Tollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur, vel si quis consentiente creditore aliud pro alio solverit; Nec interest, quis solvat, utrùm ipse, qui debet, an alius pro eo, liberatur enim & alio solvente, sive sciente, sive ignorante debitore, vel invito eo solutio fiat.* Hinc etiam est, quod, si ab uno ex duobus correis, seu condebitoribus, vel a fidejussore totum debitum solutum est, ab altero, vel principali debitore exigi bona fide & conscientia sine dolo & malitia nihil amplius valeat nec ab altero correo, nec à fidejussore *cit. pr. Instit. Quibus modis toll. oblig. ibi Idem contingit, si fidejussor solverit, non ipse solus liberatur, sed etiam reus. & l. In duobus. 3. §. 1. ff. de Duobus Reis.* ibi: *Utique enim, cùm una sit obligatio, una & summa est: ut, sive unus solvat, omnes liberentur, sive solvatur ab altero, liberato contingat.*

3 Procedit Regula etiam in Pœnis, ita, ut, si pœna à reo pro aliquo delicto semel exacta fuit, alia ab illo propter idem exigi non amplius valeat: nisi diversæ pœnæ copulativè pro delicto essent impositæ. Glossa & Strein. *hic arg. c. At si Clerici. 4. §. fin. de Judiciis.* ibi: *Cùm fuerint sit suo officio, nec duplici contritione debent ipso conterere.* quia nec Deus bis punit in id ipsum.

4 Objicit *l. Annua. 20. §. 1. ff. de Annuis Legatis.* expressè sancitum habetur, quòd legatum pro certa die, v. g. Calendis Maii, Sacerdotibus solvendum, singulis annis pro illa die peti possit. Resp. Id meritò statutum fuisse ex benigna interpretatione in favorem causæ piæ; cùm enim dubium, & obscurum esset, utrùm legatum in citata lege expressum uno duntaxat, vel singulis annis solvendum esset, in favorem piæ causæ legislator illud singulis annis in perpetuum esse solvendum, interpretatus est; præsertim quia certo determinato die solvendum imponitur. Hinc bene infert Strein. quòd si alumnis S. Francisci legaretur, ut in die S. Patris eis præberetur pitantia, eam singulis annis in præfato festo præstare deberent hæredes, arg. *cit. l. Annua.* Neque propterea idem bis exigeretur, sed pro quolibet anno semel, cui alia, atque alia obligatio dandi correspondet.

5 Quæritur II. An, & quas fallentias patiatur Regula LXXXIII? Resp. Eam fallere, & quidem universaliter 1. quando una exactione & præstatione debiti non extinguitur ulterior obligatio ejusdem. Glossa *hic* uti patet in exactione debiti conjugalis, in exactione tributorum, vectigalium certis temporibus, vel toties quoties currus onerati transeunt, persolvendorum. Idem est in Visitatione Ecclesiarum, vel Monasteriorum, si eam bis, vel sæpiùs in anno facit Episcopus, prout potest *can. Non semel. 29. can. 18. qu. 2.* ibi: *Non semel, sed sæpiùs in anno Episcopi visitent monasteria Monachorum, & si aliquid corrigendum fuerit, corrigatur.* junctis *c. Mandamus. 6. de Offic. Archidiac.* ibi: *Mandamus, quatenus prohibeatis Cestrens Archidiacono, ne ad Ecclesias sui Archidiaconatûs visitandas nisi semel in anno accedat; nisi forsan talis causa emerserit, propter quam ipsum oporteat præfatas Ecclesias sæpiùs visitare.* Visitans itaque Episcopus ex justa causa bis, vel sæpiùs in anno Ecclesias, aut Monasteria sibi subjecta, non tantùm semel, sed etiam sæpiùs, toties nempe, quoties visitat, exigere potest procurationem moderatam *c. Cùm Venerabilis. 21. de Censib. & Exact.* ubi etiam ratio additur illis verbis: *Quia ergo visitationi annexa est procuratio & Episcopus ratione Episcopalis jurisdictionis, quam habet in ea, teneatur causâ correctionis Ecclesiam visitare.*

6 Fallit 2. in causa dotis; hanc enim semel exactam, & jam acceptam, secundò nubens filia denuo exigere potest, si prima vice vi pacti ad patrem rediit. *Authen. Sed quamvis, C. de Rei uxor. act.* ibi: *Sed quamvis dos potestatis, sive pactionis jure ad patrem redeat, non tamen licet ei, filia denuo nubente, diminuere priorem dotis mensuram, nisi forte substantia sua decrescat aliqua fortuita clade: tunc enim amplius secundo marito in dotem præstare non cogitur, nisi quantum facultates ejus patiuntur.*

7 *Filiis familias non licet mutuum dare pecuniam, nec quid aliud, ut inde pecuniam acquirant.*

8 *Fallit Regula universaliter, quando aliquid non absolutè, & principaliter ratione sui, sed quoad certum modum duntaxat, & viam prohibetur. Declaratur fallentia exemplis, & n. seq.*

REGULA LXXXIV.

Cùm quid una viâ prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Potest aliquid prohiberi vel absolutè, simpliciter, & principaliter ratione sui; vel ad viam, & modum duntaxat.*
3 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
4 *Declaratur exemplis, & trib. seqq.*
5 *Electus non potest se ingerere administrationi, etiam ut œconomus, ante confirmationem.*
6 *Clerici de jure non possunt habere plura beneficia: nec unum titulo beneficii & alterum in commendam*

mendam perpetuam possidere.

1 DEsumpta dicitur hæc Regula ex *l. fin. C. Si Mancipium ita venierit*, ubi etiam ratio additur his verbis: *ne fraus legi fiat.* & ex *c. un. de Cleric. conjug. in 6.* ibi: *ne per unam viam concedatur, quod per aliam denegatur.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus sensus ejusdem sit? Ante responsionem Notandum cum Glossa, & Viviano hic, aliquid dupliciter prohiberi posse: uno modo absolutè, simpliciter, & principaliter ratione sui, ita, ut prohibitio non viam aut modum aliquid obtinendi vel agendi, sed rem, sive actum ipsum respiciat, causâ prohibitionis semper durante: cujusmodi prohibita ratione sui sunt adulteria, furta, perjuria &c. Vel alio modo prohiberi possunt non simpliciter & ratione sui, sed quoad certam viam duntaxat, vel modum acquirendi prohibitum. Sic Episcopus, alligatus jam alicui Ecclesiæ, prohibetur aliam Ecclesiam assumere, non absolutè & simpliciter, sed duntaxat quoad viam, electionis nempe, non verò quoad viam postulationis *c. fin. de Postulat. Prælat.* Hoc notato Resp. I. Regulam loqui, & intelligendam esse de prohibitis in primo sensu, uti statim patebit. Nam

3 Resp. II. Veras Regulæ sensus hic est: *Quando aliquid simpliciter, ac principaliter ratione sui, fuæve naturæ prohibitum alicui habetur unâ viâ, vel modo, ad id aliâ viâ, vel modò de jure admittendus non est.* Ratio Regulæ jam allegata est *n. 1. ne* videlicet *fraus legi fiat. cit. l. fin. C. Si Mancipium.* Hoc ipso enim, quòd legislator aliquid absolutè & simpliciter, ac principaliter ratione sui, fuæve naturæ prohibeat, vult, & intendit, ut nullâ viâ vel modo fiat, aut ad eam perveniatur; etiamsi in prohibitione una tantùm via, vel modus exprimatur, consequenter si quis unam viam, vel modum in lege expressum & prohibitum, declinat quidem, aliam tamen viam assumit, apertè contra voluntatem, & intentionem legislatoris, sicque in fraudem legis, & contra famosam illam *R. g 88. de R. J. in 6.* agere censetur: *Certum est, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.*

4 Declaratur Regula, & firmatur amplius exemplis Juris: Sic enim *cit. c. un. de Clericis conjug. in 6.* dicitur, Clericos pro commissis criminibus, vel delictis trahi non posse criminaliter, aut civiliter ad judicium laicale, *nec ab ipsis secularibus Judicibus eos debere personaliter, vel etiam pecuniariter (ne per unam viam concedatur eisdem Judicibus, quod per aliam denegatur) ullatenus condemnari.*

5 Sic *l. Scire oportet. 21. §. 1. ff. de Tutor. & Curat. datis*, pater materno testamento ab administratione liberis patria potestate solutis, relictorum prohibitus, nec ut curator ea administrare valet, *& si voluerit, ut non aliâ viâ hoc, quod noluit testatrix, fiat,* prout ait lex. Sic pater, quia Prælatus electus administrationi se ingerere nequit ante confirmationem *c. Nosti. 9 de Elect.* ibi: *Nosti, quomodo electus concedendi honores, vel præbendas, vel alias disponendi de rebus Ecclesiæ (cùm sua electio non sit confirmata) non habeat facultatem;* eâdem nec sub titulo œconomi, vel procuratoris administrare valet, Regulâ hâc eis obstante *c. Avaritiæ. 5. de Elect. in 6.* ubi Papa etiam rationem, fraudem legis videlicet, allegans ita loquitur: *Avaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut, quæ sibi à Jure interdicta noverint, exquisitis fraudibus usurpare conentur. Nonnulli siquidem ad Regimen Ecclesiarum electi, quia eis, jure prohibente, non licet se ante confirmationem electionis celebratæ de ipsis, administrationi Ecclesiarum, ad quas vocantur, ingerere, ipsam sibi tanquam procuratoribus, seu œconomis commissi procurant. Cùm itaque malitiis hominum non sit indulgendum. &c.*

6 Sic rursus, quia Clerici absolutè, & simpliciter prohibentur plura beneficia obtinere in titulum *c. Quia in tantum 5. de Præbend. & Dignit.* ibi: *Quia in tantum quorundam processit ambitio, ut non duos, vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere, cùm nec duabus possint debitam provisionem impendere per Fratres, & Coepiscopos nostros hoc emendari præcipimus & de multitudine prædendarum, Canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & evagationis inducit, certumque continet periculum animarum, earum, qui Ecclesiis deservire valeant, indigentiam volumus sublevari* junctis *c. Cùm singula. 32. Eod. in 6.* uno obtento in titulum, non possunt alterum in commendam perpetuam habere; ne, quod uno modo prohibetur, aliâ viâ obtineatur; cùm commenda perpetua æquivaleat beneficii titulo, Layman in *cit. Avaritiæ.* arg. Concil. Trident. *Sess. 7. cap. 4. de Reform.*

7 Sic, quia simpliciter, absolutè, & ratione sui prohibetur, ut filiusfamilias mutua non detur pecunia, ne inde materiam peccandi, & malos contrahendi mores sumant, prohibitum est etiam eisdem frumentum, vinum, oleum, vel quid aliud mutuum dare, ut ex iis venditis pecuniam acquirant. *l. Item si. 7. §. 3. ff. de S. C. Macedon.* ne in fraudem legis, quòd unâ viâ prohibitum, aliâ obtineatur. ibi: *Sed si fraus sit Senatus consulto adhibita, puta frumento vel vino, vel oleo mutuo dato, ut, his distractis fructibus, utretur pecunia, subveniendum est filiofamiliæ.*

8 Quæritur II. An, & quas fallentias habeat Regula LXXXIV.? Resp. Eam fallere universaliter tunc, quando aliquid prohibitum existit altero modo supra *n. 2.* declarato, id est, quando quid non simpliciter, & principaliter ratione sui, sed quoad certam viam vel modum duntaxat prohibetur; quia ad taliter prohibitum aliâ, non prohibitâ viâ, vel modo admittit, & pervenire licitè & validè quis potest. Sic præter exemplum supra cit. *n. 2.* allegatum de Episcopo, qui licet ad aliam Ecclesiam electionis viâ assumi prohibeatur, ad eandem tamen alia viâ, postulationis videlicet, pervenire potest *cit. c. fin. de Postulat. Prælat.* Ulteriùs, etsi prohibitum sit, ne Clerici illegitimè nati ad Prælaturas eligantur, tamen viâ postulationis ad eandem pervenire possunt *c. Innotuit. 20. de Elect.* ubi Summarium rem breviter dicit: *Illegitimus potest postulari, non autem eligi.*

9 Sic etiam in judiciis, etsi actor petens aliquam rem una actione inepta repellatur, petendo tamen eandem alia actione congruenti admittitur *c. Examinata. 15. de Judiciis.* ibi: *Actionem, quam intendebas, incongruentem cognovimus, & ineptam, unde intentionem tuam in hac parte pronuntiavimus non tenere: ita tamen quòd si congruentem & aptam intentare volueris actionem, respondere tibi teneantur.* Sic insuper, etsi Clericis communi jure prohibitum sit, de bonis, intuitu Ecclesiæ acquisitis, condere testamentum: tamen eadem bona per actum inter vivos ad pios usus elargiri valent *c. Ad hæc. 8 de Testam.* ibi: *Ad hæc præsentibus inseretur, quòd Clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de Jure testari non possint: Viventes tamen, & sui compotes moderatè valeant aliqua de bonis ipsis, non ratione testamenti, sed elemosynæ intuitu erogare.* Verùm, si in stricto sensu loqui volumus, recensitæ propriè fallentiæ non sunt, utpote per Regulam ipsam jam exclusæ.

REGU-

REGULA LXXXV.

Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde desumpta?*
2 *Quomodo intelligenda?*
Quivis rerum suarum arbiter est. Ibid.
3 *Ponitur verus sensus Regulæ*
4 *Fallit Regula, quando privata conventio est contra substantiam contractûs: aut jus publicum. & num. seqq.*
6 *Item, si turpis, aut inhonesta, seu de re turpi, inhonesta est.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. 1. §. 6. ff. Depositi.* ibi: *Contractus enim legem ex conventione accipiunt.* & *l. Contractus. 23. ff. de Reg. Jur.* ubi postquam singillatim explicatum fuit, quinam contractus dolum malum duntaxat recipiunt: quinam dolum, & culpam; ibi: *Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt: quidam & dolum, & culpam: dolum tantùm, depositum, & precarium: dolum, & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, idem dotis datio, tutelæ, negotia gesta. In his quidam & diligentiam societas, & rerum communio, & dolum, & culpam recipit:* statim subjungitur: *sed hæc ita, nisi, si quid nominatim convenit, vel plus vel minus, in singulis contractibus: nam hoc servabitur, quod initio convenit: legem enim contractus dedit: exceptô eô, quod Celsus putat, non valere, si convenerit, ne dolus præstetur; hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est: & ita utimur.*

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda; & quis proprius illius sensus sit? Resp. I. Per verbum *legem* Regula intelligit formam, naturam, & modum obligationis in contractu, vultque dicere, qualiter, & quomodo obliget contractus, ex contrahentium dependere voluntate & speciali conventione, quæ inter eos legem privatam constituit, quâ indicatur, qualiter, quo modo, quo tempore, quo loco, quibus sub conditionibus quivis ex contractu obligatus existat; cùm enim quilibet rerum suarum moderator, & arbiter existat: *l. in re mandata. 21. C. Mandati.* possunt contrahentes ad invicem convenire & pacisci, sibique legem observandam imponere, quo modo, quo loco, quo tempore, quibus sub conditionibus contractus eorum obligent *l. In traditionibus* 48 *ff. de Pactis.* & *l. 1. C. eod.* quæ dein lex privata ex speciali eorum conventione, seu pacto proveniens procul dubio ab utroque contrahentium servanda est; quia *pacta custodiantur c. 1. de Pactis.* & quidem etiam ex æquitate naturali, *l. 1. ff. eod.* ibi: *æquitas naturalis est. Quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare?* Unde *cit. l. In traditionibus. 48. ff. eod.* dicitur: In traditionibus *rerum quodcunque pactum sit, id valere manifestissimum est.*

3 Resp. II. Verum Regulæ sensus sequens est: *Qualiter, quo modo, quo tempore, quo loco, quibus sub conditionibus contractus aliquis obliget, dependet ex speciali contrahentium pacto, seu conventione, quâ legem mutuò obligantem sibimet imponunt.* Per rationem, & Jura jam allegata; Et quoniam sensus Regulæ ex se clarus est, opus non habet, ut exemplis Juris declaretur: præsertim cùm quivis sibimet exemplare formare facilè possit; si enim vendis domum tuam mutua sub conventione, ut pretium simul, vel per partes, hoc vel illo tempore, in hac, vel illa moneta, hoc vel illo loco solvatur: eo modo, quo conventum est, solvendum erit per Jura allegata.

4 Quæritur II. An, & quas præsens Regula habeat Fallentias? Resp. Eam fallere 1. quando conventio contrahentium fit contra formam substantialem, seu essentialem contractûs à Jure præscriptam: seu, si est contra jus commune, & publicum. arg. *l. Leges. 7. C. de Legibus & Constit. Princ.* ibi: *Leges, & constitutiones futuris certum est dare formam negotiis.* & *l. Jus publicum. 38. ff. de Pactis.* ibi: *Jus publicum privatorum pactis mutari non potest.* junctô *c. Si diligenti. 12. in fin. de Foro compet.* ubi dicitur: *cui* (indulto publico) *privatorum pactio derogare non potest.*] Hinc, quia de substantia, & essentia cujusvis contractûs est consensus, quævis conventio irrita habetur, ubi verus deest consensus. *l. 1. ff. de Pactis.* Et ideo Regula intelligi debet de conventione circa accidentalia, non verò circa formam substantialem contractûs, utpote quæ invariata manere debet. Strein. *hic n. 3.* cum communi aliorum. arg. *l. Novationum. 8. C. de Novationib.*

5 Dicitur autem notanter: *contra Jus commune, aut publicum:* siquidem *pactum, per quod tollitur jus privati sibi publica authoritate concessum valet: secus, si tolleretur jus commune,* ut ait Rubrum in *l. Juris gentium. 7. §. Si paciscar. 13. ff. de Pactis.* Hinc quamvis in favorem emptorum jure cautum sit, quòd venditor teneatur de evictione, etsi in contractu emptionis vel venditionis nil fuerit expressum; tamen si venditor & emptor specialiter conveniunt, quòd ille de evictione non teneatur, conventioni huic standum est, prout ampliùs dictum & probatum habetur Lib. III. Tit. 17. §. 12.

6 Fallit 2. si conventio contrahentium est turpis, vel de re turpi, inhonesta, aut impossibili, de jure, vel de facto *c. fin. de Pactis. in fin.* ibi: *Nam etiam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de Jure, vel de facto nullam obligationem inducit.* Hinc *Celsus putat, non valere, si convenerit, ne dolus præstetur; hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est,* uti dicitur *cit. l. Contractus. 23. ad fin. de Reg. Jur.* junctô *c. Nemo potest 6. de R. J. in 6.* ibi: *Nemo potest ad impossibile obligari.* Huc serviunt etiam dicta suprà ad *cit. Reg. VI.* & ad *Reg. LXIX.*

REGULA LXXXVI.

Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Non tantùm ex sua culpa, sed etiam qui ex causa, quam ipse sine delicto præbet, damnum sentit sibi imputare debet.*
3 *Idem est, si jacturam lucri.*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ:*
5 *Declaratur exemplis. & seq.*
7 *Projiciens aliquid ex alto, & priùs non clamans, reus damni inde secuti est; secus si clamat.*

1 DEsumitur hæc Regula ex *l. Quod quis. 203. ff. d. Reg. Jur.* ibi: *Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.*

2 Quæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis Regula ex se perspicua videatur, tamen notandum, quòd per verba, *suâ culpâ*, intelligatur non tantùm quævis culpa Theologica, vel civilis: sed insuper quævis causa, quam quis ipsemet, etiam absque dolo & ullo delicto, liberè præbet ad damnum incurrendum: sic enim, si quis, dum dimidium rei, prædii v. g. pacifica transactione acquirere posset, putans, se habere justam causam, bona fide actionem in judicio pro toto acquirendo instituit, & succumbendo totum perdit, ac insuper ad expensas condemnatur, damnum sibi ipsi imputare debet, quia etsi nullam culpam, vel dolum commiserit, causam tamen damni ipse præbuit, sua sponte præeligendo litem. *l. Ipse dispice. 1. C. de Edendo.* Sic etiam, qui bona fide, absque ulla culpa vel dolo compromittit in arbitros, horum sententiæ, etiam minùs justæ, & sibi plurimùm damnosæ stare, sibique, & non aliis imputare debet damnum inde secutum, quia ad id ipsemet causam præbuit, sponte compromittendo in arbitros. *l. Diem proferre. 27. §. 2 ff. de Receptis, qui arbitrium.* ibi: *Stari autem debet sententiæ arbitri, quam de se dixerit: sive aqua, sive iniqua sit: & sibi imputet, qui compromisit. Nam & Divi Pii rescripto adjicitur: vel minùs probabilem sententiam æquô animô ferre debet.*

3 Notandum ulteriùs, verbô *Damnum* in Regula non tantùm damnum positivum, sed & lucri carentiam intelligi, ita ut sibi, non aliis imputare debeat, sive damnum, sive carentiam lucri sentiat ex sua culpa, seu causa, quam ipse præbuit; cùm damnum pati, & lucrum perdere, paria sint arg. *l. Proinde. 22. in fin. ff. ad Leg. Aquil.* Hinc Clericus, cui primò vacatura Præbenda per Sedem Apostolicam fuit concessa, si eam, quæ primò vacat, petere negligit, sibi imputare debet, quòd carentiam totius incurrat gratiæ. *c. Si Clericus. 11. de Præbend. in 6.* ubi ratio additur illis verbis: *Cùm facta ei gratia per ipsius negligentiam sit extincta.* Idem est de aliis beneficiis & gratiis ad certum tempus promissis, ac neglectis; quia universaliter jura vigilantibus sunt scripta *l. Pupillus. 24. ff. Quæ in fraudem creditor. in fin.* ibi: *Jus civile vigilantibus scriptum est.* Hinc

4 Resp. II. Verum Regulæ sensus sequens est: *Damnum, vel jacturam lucri, quam quis sentit ex sua culpa, vel causa, quam ipsemet liberè præbuit, sibi, & non aliis imputare debet.* Ratio Regulæ est, Tum, quia *Non debet aliquis alterius odiô prægravari. c. Non debet. 22. de Reg. Jur. in 6.* Tum, quia culpæ suos, non alienos tenet auctores *l. Sancimus 22. C. de Pœnis.* ibi: *Peccata igitur suos teneant auctores: nec ulteriùs progrediatur metus quàm reperiatur delictum.* Tum, quia effectus suæ causæ, non alteri imputandus est. arg. *c. Cùm cessante causâ 60. de Appellation.*

5 Declaratur, & firmatur Regula ampliùs exemplis Juris; præter enim jam allegata ulteriùs pro exemplo servit, quòd si procurator, aut negotiorum gestor indebitum solvit, sibi, non domino damnum imputare debeat. *l. Si quis. 23. ff. de Negot. gestis.* ibi: *Si quis negotia aliena gerens, indebitum exegerit, restituere cogitur: de eo autem quod indebitum solvit, magis est, ut sibi imputare debeat.* Sic etiam, si unus sociorum ex suo delicto in pœnam incidit, sibi soli imputare, ipseque solus, non consocii sentire debent. *l. Cùm duobus, 52. §. fin. ff. Pro Socio* & *l. 53. ff. eod.* ibi: *Quod autem ex furto, vel ex alio maleficio quæsitum est, in societatem non oportere conferri, palam est: quia delictorum turpis atque fœda communio est.* Sic ulteriùs, qui absque inventario hæreditatem adit, indeque damnum sentit, sibi, suæque improvidentiæ, non aliis imputare debet. *l. fin. C. de Jure deliberandi &c.*

6 Sic rursus si quis ex præscriptione rei suæ damnum patitur, suæ negligentiæ adscribere habet, quòd intra præscriptionis tempus de rebus suis non indagaverit, easque vindicârit arg. *l. 1. ff. de Usurpat. & Usucap.* Sic etiam, qui ad societatem negligentem socium assumit, indeque damnum sentit, hoc sibi imputare debet. *§. fin. Inst. de Societ.* *qui parùm diligentem socium sibi assumit, de se queri, sibique hoc imputare debet.* Sic pariter, qui administrationem rerum suarum imperitis, ac ineptis committit, vel servos minùs habiles conducit, damnum inde sequens sibi imputare debet. *l. Videamus. 11. ff. Locati.*

7 Sic ulteriùs, si putator, ramos ex arbore dejiciens, vel alius machinarius in tempore clamet, ut prætereuntes, à periculo sibi caveant, & hi cavere negligant, his, non illis damnum, etiam homicidium secutum imputandum; secus si non tempestivè, vel penitus non clament. *l. Si Putator. 31 ff. ad Leg. Aquil.* ibi: *Si putator, ex arbore ramum cùm dejiceret, vel machinarius hominem prætereuntem occidit: ita tenetur, si is in publicum decidat, nec ille proclamavit, ut casus ejus evitari possit &c.* Sic innumera alia in quavis ferè materia reperiuntur Juris exempla.

REGULA LXXXVII.

Infamibus portæ non pateant dignitatum.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Sicut infamia duplex est, Juris nempe, & facti: ita alii sunt infames infamiâ Juris, alii infamiâ facti.*
3 *Infames infamiâ Juris quinam in specie?*
4 *Ponitur verus sensus Regulæ.*
Adducuntur rationes, cur infames, sive de Jure, sive de facto, non sint assumendi ad munera honorifica, ibid. & seq.
5 *Dignitas & honor sunt præmium virtutis.*
6 *Infames infamia Juris à dignitatibus non tantùm impedit, sed iis etiam privat: requiritur tamen ad id sententia Judicis.*
7 *Infamia facti, si constanti publica emendatione aboletur, non impedit obtinere dignitates.*
8 *Procuratoris officium de Jure inter munera honorifica non reputatur, benè verò de consuetudine.*

1 HÆc Regula desumitur ex *l. 2. C. de Dignit.* ibi: *Neque famosis & notatis, & quos scelus, aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt.*

2 Quæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem notandum, Infames alios esse infamiâ *Juris*, seu de jure: alios infamiâ *Facti*, seu ex facto, prout nempe infamia est, quâ laborant; hæc siquidem duplex est, *Juris* nempe, & *Facti*. *Infamia Juris* est, quæ ex dispositione ipsius Juris contrahitur ob certa delicta: idque vel statim ipso facto: vel per sententiam Judicis; & hâc infamiâ inquinati dicuntur infames infamiâ juris, vel infames de jure. *Infamia facti* est, quæ non quidem ex Juris dispositione, sed ex talibus factis, & delictis contrahitur, propter quæ bona opinio, atque existimatio apud probos ac honestos viros gravatur: & hâc infamiâ notati vocantur infames infamiâ facti, seu ex facto.

3 Quinam autem in specie sint infames infamiâ Juris, aut de jure, patet ex integris duobus titulis, videlicet *ff. de His qui notantur infamiâ.* & *C. Ex quibus causis infamia irrogatur.* de quibus etiam specificè habes *Lib. V. Tit. 37. de Pœnis. §. 3.* hic solùm est addendum, quòd omnes, qui de Jure civili infames sunt, etiam infames de Jure canonico habeantur *can. Omnes. 2. cau. 6. q. 1.* ibi: *Omnes verò infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant*, intellige, nisi infamia per Jus civile introducta, à Jure canonico sit sublata: prout factum est circa secundò nubentes intra annum luctûs *c. penult. & ult. de Secundis Nuptiis.* Porro infames in specie de Jure Canonico ad longum enarrantur. *can. Infames. 17. cau. 6. q. 1.* cujus textum, quia *cit. Lib. V. Tit. 37. §. 3.* per extensum jam adduximus, eum ibidem, vel in fonte lege, ne superflua fiat repetitio. His notatis,

4 Resp. ad quæstionem n. 2. positam: Regula intelligi debet juxta sequentem proprium illius sensum: *Quicunque sive Juris, sive Facti infamia infamis est ad dignitates & munera honorifica assumi, & admitti non debet.* Per Jura hactenus allegata. Ratio Regulæ est, Tum, quia ad dignitates illi tantùm sunt promovendi, qui integritate vitæ & morum probati, iis, quibus præsunt, verbo & exemplo efficaciter prodesse valent. arg. *c. Cùm in cunctis. 7. de Elect.* quod præstare non possunt infames, utpote qui ipsimet rei monere, & corrigere vel non audent: vel si monent & corrigunt, parùm aut nihil fructificant. Deo verba illorum minùs fecundante, & subditis eos non æstimantibus, sed despicientibus (infames enim despiciuntur, arg. *cit. l. 2. C. de Dignit.*) ac per consequens monita & correctiones eorum non attendentibus; cujus enim vita despicitur, ejusdem etiam prædicatio contemnitur, uti ait S. Gregorius *Hom. 12. in Evang. Matth.* Hinc S. Paulus in *Epist. 1. ad Timoth. 3.* meritò docet, eum, qui in dignitate Episcopali existit, debere esse *irreprehensibilem, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum &c.* & *ad Tit. cap. 2. qui in omnibus se ipsum præbeat exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Quæ cuncta etiam de aliis Superioribus, & dignitate fulgentibus ob non exiguam paritatem rationis cum proportione intelligenda sunt.

5 Tum, quia dignitas & honor sunt præmium virtutis consequenter virtute fulgentibus, non criminosis conferenda; *cùm utique unumquemque criminosum non dignitas debeat, sed pœna comitari* ut dicitur *l. Ne quis 38. in fin. C. de Decurionib.* Tum, quia, ut Strein. *hic.* cum aliis benè advertit, si infames, & criminosi ad dignitates, & honorifica munera assumuntur, vel admittuntur, ex probro, & macula infamiæ pascitur in animis hominum ipsius etiam dignitatis contemptus, ita, ut ex eorum promotione non tam honorentur infames, quàm infamentur honores ac dignitates. Addit Peck. *hic* & aliam rationem, cur infames ad dignitates & honores non sint assumendi; quia videlicet, si malitia potestatem dignitatis adjunctam habet, novum robur recipit, & nervos intendit, liberiùsque, ac sæpiùs delinquit, dum per dignitatis potestatem facilè facit, quod lubet.

6 Porro infames ad dignitates & honores non tantùm non assumendi, sed ab eisdem, si quos jam habent, etiam removendi sunt. *l. Judices. 12. C. de Dignit.* ibi: *Judices, qui se furtis & sceleribus fuerint maculasse convicti, ablatis codicillorum insignibus, & honore exuti, inter pessimos quosque & plebeios habeantur: nec sibi posthac de eo honore blandiantur, quo se ipsos indignos judicaverunt* junctâ *l. Infamia. 8. C. de Decurion.* ibi: *Infamia, quæ tibi abominanda est, -- quæsitum tibi ademit honorem.* quod specialiter etiam de dignitatibus, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis intelligendum venit *c. Inter dilectos. 11. de Excess. Prælat.* & ibi Panormitan. *n. 8.* Navarr. *cap. 27. n. 207.* ita tamen, ut requiratur sententia Judicis; uti cum aliis benè advertit Strein. *hic* arg. *cit. c. Inter dilectos* ubi Summarium sic habet: *Collatio benefici indigno facta cassari debet*: & ubi infamia juris existat; quia licèt infamia facti à dignitatibus, honoribus, & beneficiis impediat, actu tamen obtentis non privat. cùm privatio hujusmodi nullo Juris textu reperiatur expressa, uti cum aliis benè advertit Layman *Lib. 1. Tr. 5. p. 5. cap. 4. n. 5.*

7 Ubi ulteriùs notandum, quòd infamia solius facti, & quæ publica, constanti emendatione aboletur, etiam ab obtinendis dignitatibus, ac honoribus non impedit. Sylvester. *v. Infamia. num. 11.* Molina *disp. 10. n. 1.* Strein. *hic.* & alii. arg. *can. Si duo. 4. cau. 35. q. 6.* ibi: *infames effectos, donec ab incesti facinore desistant.* & *can. Nunquam. 4. dist. 56.* ibi: *ad meliora conversum nequaquam prior vita commaculat.* Et Ratio est; quia infamia facti facto adhæret: consequenter hoc per constantem emendationem abolito cessare debet. arg. *c. Cùm cessante. 60. de Appellat.*

8 Objicitur contra Regulam: Infames ad munus Procuratoris admittuntur. *§. fin. Instit. de Except.* ibi: *Eas verò exceptiones, quæ olim procuratoribus propter infamiam vel dantis vel ipsius procuratoris opponebantur, cùm in judiciis frequentari nullo modo perspeximus, conquiescere sancimus: ne dum de iis altercatur, ipsius negotii disceptatio protelatur.* Ergo. Resp. Munus Procuratoris, nisi Principis sit, inter dignitates non computari, sed de jure inter vilia munera reputari. arg. *l. Si quis. 34. C. de Decurionib.* Dicitur autem notanter, *de Jure*; quia de consuetudine hodierna, quæ Juri humano prævalet, *c. fin. de Consuetud.* munus Procuratorum ferè æquè honorificum habetur, quam Advocatorum, & personas infamiâ notatas non recipit, uti post Sylvestrum *v. Procuratio.* & Gail. *Practic. Lib. 1. Observat. 43.* benè observat Strein. *hic.*

REGULA LXXXVIII.

Certum est, quòd is committit in legem, qui legis verbum complectens, contra legis nititur voluntatem.

SUMMARIUM.

1 *Regula unde?*
2 *Quomodo intelligenda?*
3 *Ponitur verus sensus illius.*
4 *Quadrupliciter fraus legi fieri potest, videlicet de re ad rem. Ibid.*
5 *De persona ad personam.*
6 *De contractu ad contractum alium.*
7 *De contractu ad contractum eundem, sed alio modo.*
8 *Ratio Regulæ ex Jure desumpta.*
9 *Solvitur objectio.*
10 *Computatio annorum Pontificatûs, à die coronationis, non Electionis fieri solet.*

Desumpta

1 Desumpta habetur hæc Regula ex *l. Non dubium. 5. C. de Legibus & Constit. Princ.* ibi: *Non dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nec pœnas insertas legibus evitabit, qui se contra Juris sententiam sævâ prærogativâ verborum fraudulenter excusat.*

2 Quæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus sensus illius sit? Ante responsionem notandum, præsenti Regulâ reprehendi, & pro veris transgressoribus legis haberi illos, qui prætextu nudi sensûs verborum, in lege contentorum, eam pro suo interesse, contra satis sibi notam mentem & intentionem legis, seu potiùs legislatoris, fraudulenter interpretantur, & observant. Quamvis enim ob inopiam verborum, & copiam variorum improvisorum eventuum & casuum lex verbis propriis tam clarè non possit exprimi, quin subinde, spectando nuda verba, ad alium sensum, quàm mens Legislatoris est, trahi valeat: tamen, quia dicta mens, voluntas, & intentio aliunde, ut puta ex fine, & ratione, vel occasione latæ legis, vel aliis circumstantiis ordinariè sufficienter desumi potest, meritò à Regula ut transgressores legis arguuntur, qui voluntatem, & mentem legislatoris præfato modo satis perspectam habentes, contra eandem mentem prætextu nudorum verborum legem pro suo commodo fraudulenter interpretantur, & observant. arg. *cit. l. Non dubium*, ibi: *fraudulenter*. Hoc notato

3 Resp. ad quæstionem; Regula intelligenda est in sequenti proprio illius sensu: *Contra legem delinquit, verusque transgressor legis habetur, qui voluntatem, mentem, seu intentionem legis, sive potiùs legislatoris sufficienter perspectam habens, contra ejusdem mentem fraudulenter interpretatur, & observat legem.* Siquidem uti benè observat Glossa in *can. Plerique. 3. cau. 14. q. 3. v. Præcepta.* nolunt quidem facere contra legem, sed faciunt fraudem legi: ille autem fraudem legi facit, qui nuda verba observans veram sententiam, & mentem ipsius circumvenit *l. Contra legem. 29. ff. de Legibus, Senatûsque consult. &c.* ibi: *Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem verò, qui salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit.* & *l. Fraus enim. 30. ff. eod.* ibi: *Fraus enim legi fit, ubi, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit.* subaudi expressè.

4 Porro juxta Dynum *hic numer. 3.* Glossam *lo. cit.* communiter receptam potest fraus legi quatuor potissimùm modis fieri, videlicet de re ad rem: de persona ad personam: de contractu ad alium contractum: de contractu ad eundem contractum, sed alio modo. *De re ad rem* fit fraus legi, quando loco unius rei, in lege expressæ, datur vel substituitur alia res, sed contra intentionem legis. Sic quia in *l. Item si. 7. §. 3. ff. de S. C. Macedon.* prohibitum est, filiofamilias mutuum dare pecuniam, ne occasione illius delinquat: in fraudem hujus legis facit, qui loco pecuniæ eidem mutuum dat oleum, vinum, frumentum &c. ut his distractis pecuniam acquirere valeat. arg. *cit. l. Item si. 7.* Sic etiam, quia in *l. Solent. 6. ff. de Offic. Proconsulis.* & *l. Plebiscito. 18. ff. de Officio Præsidis.* prohibetur, ne præsides, & alii, qui provincias regunt, aut eis præsunt, & Judices existunt, accipiant munera, nisi esculenta, & poculenta, quæ intra paucos dies consumi valeant; ibi: *Plebiscito continetur, Ut ne quis Præsidum, munus vel donum caperet: nisi esculentum, potulentumve, quod intra dies proximos prodigatur*: in fraudem hujus legis, & contra mentem illius facit, qui esculenta, & poculenta in tanta quantitate, & pretio accipit, ut trahi possint ad munerum qualitatem. Dynus *loc. cit.* arg. *cit. legib.*

5 *De persona in personam* fraus legi fit, quando quis ministerio alterius facit, quod ipse facere licitè non potest; quia *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit*, juxta *Reg. 67. de Reg. Jur. in 6.* & dicta ad eandem, ubi etiam exempla habes; quibus adde, quòd, quia donationes gratuitæ inter virum & uxorem à lege prohibitæ sunt *l. Hæc ratio. 3. §. 10. ff. de Donat. inter virum & uxorem.* ibi: *Sciendum autem est, ita interdictam inter virum & uxorem donationem, ut ipso jure nihil valeat; quod actum est.* junctâ *l. Si sponsus. 5. pr. ff. eod.* ac *fin. eod.* magisque dictum habetur *Lib. IV. Tit. 20. §. 1.* in fraudem legis fiat, si vir, vel mulier alii donat, ut donatum acquirat conjux alter: vel si maritus sibi dandum jusserit uxori suæ dare arg. *cit. l. Hæc ratio. fin. §.* ibi: *si donaturum mihi jussero uxori meæ dare ait Julianus, nullius esse momenti.*

6 *De contractu ad contractum alium* fraus legi fit, si loco unius contractus a lege prohibiti, alius contra mentem legis assumitur: ut si maritus prohibitus donare uxori, loco donationis adhibet contractum venditionis, & id, quod uxori donare non potuit, eidem vili pretio vendit, cùm aliàs eam vendere nullatenus intenderit, *cit. l. Si sponsus. 5. §. 5.* ibi: *Circa venditionem quoque. Julianus quidem minoris factam venditionem, nullius esse momenti ait. Neratius autem -- venditionem, donationis causâ inter virum & uxorem factam, nullius esse momenti: si modò, cùm animum maritus vendendi non haberet, idcirco venditionem commentus sit, ut donaret: enimverò, si cùm animum vendendi haberet, ex pretio ei remisit, venditionem quidem valere, remissionem autem hactenus non valere, quatenus facta est locupletior.*

7 *De contractu ad contractum eundem, sed alio modo* fraus legi fit in casu, quo v.g. mulier, quæ fidejubere prohibetur, uti patet ex *toto Tit. ff. ad S. C. Vellejan.* & amplè dictum habetur *Lib. III. Tit. 22. §. 1. à n. 18.* in se suscipit principalem obligationem, & seipsam constituit debitricem, cùm nihilo minus intercedere, & re ipsâ fidejubere censeatur. Dynus, & Gloss. *loc. cit.* arg. *l. Quamvis. 18. ff. ad S. C. Vellejan.*

8 Cæterùm ratio Regulæ, & cunctorum dictorum est; quia universaliter in legibus non nuda verba, sed intentio & voluntas legislatoris respicienda est. *can. Humanæ aures. 11. can. 22. q. 5.* ibi: *non debet aliquis verba considerare*, intellige, nudè & simpliciter: *sed voluntatem & intentionem quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni.* & *Scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem. l. Scire. 17. ff. de Legib. Senat. Consul.* Hinc illud vulgatum: *Ratio legis est anima legis*, prout desumitur ex *can. Consuetudo. 5. dist. 1.* cum concord. Ob quod Abbas Panormit. in *cap. Ad audientiam. 12. de Decimis n. 2.* benè dixit: *habent se verba, & intentio, seu ratio sicut corpus & anima; nam sicut anima dominatur corpori, ita ratio legis dominatur verbis.* Quapropter si contra sufficienter notam intentionem mentem, & rationem legislatoris, legem fraudulenter quis interpretatur & servat, vi Regulæ nostræ pro transgressore legis meritò reputatur; cùm fraus & dolus nulli patrocinari debeant, per vulgaria.

9 Objici contra hanc Regulam solet: Non alio fine inventa sunt verba & nomina, quam ut mentis nostræ sensum manifestent: ergo illis inhærendum, quamvis videantur dura. arg. *l. Prospexit. 12. §. 1. ff. Qui, & à quibus Manumissi liberi non fiunt* ibi: *quia ita verba faciunt -- quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est*; præterquam cùm interpretatio verborum legis juxta mentem legislatoris, majoris ponderis esse non debeat, quàm propria significatio verborum. *l. Labeo ait. 7. §. 2. ff. de Supellect. Legata.* ibi: *Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere. Id Tubero parùm sibi liquere ait: nam quorsum nomina (inquit) nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis? Et quidem non arbitror* quam-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quamquam diceret quod non sentiret, ut maxime nomine usus sit quò id appellari solet: nam vocis ministerio utimur. Resp. Speciosam quidem, sed minùs stringentem esse hanc ex legibus desumptam objectionem; quia nemo negat, verba esse indicia mentis nostræ, eaque juxta propriam significationem accipienda venire, ubi sunt clara & manifesta, & de vero illorum sensu nulla ratio dubitandi occurrit. Verùm ubi nuda verborum significatio varia, vel intentioni ac menti dicentis contraria apparet: vel si nudus sensus verborum, ut jacent, aliquod absurdum, iniquum, à recta ratione devians, & ab aliis legibus manifestè reprobatum innuit, utique nudæ hujusmodi significationi non inhærendum, sed ad mentem, voluntatem, & intentionem dicentis, seu legislatoris ex ratione & fine legis, aliisque circumstantiis colligendam necessario, & prudenter recurritur juxta apertos Juris textus suprà allegatos, quibus claris textibus cùm textus apparenter duntaxat, non autem verè contrarii, in objectione positi, juxta responsionem nostram facilè concordari possint, eos sic concordare, rationi & juri consonum est; *Cùm expediat concordare Jura Juribus, & eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari. c. Cùm expediat. 29 de Elect. in 6.*

Finit Pontifex Bonifacius VIII. conditas à se Regulas Juris in Sexto illis verbis:

Datæ Romæ apud Sanctum Petrum, V. Nonas Martii, Pontificatûs nostri anno quarto, (1298.)

Ubi cum Glossa notandum *hic v. Pontificatus* quòd computus annorum Pontificatûs Romani incipiat à die coronationis, seu consecrationis suæ: non verò à die electionis; quòd benè notandum Juristis, monet eadem Glossa, ne in computatione contingat error, qualem ibidem ipsamet refert: quamvis & hæc computatio potiùs ex consuetudine, & solito usu, quàm à Jure roboretur; cùm post canonicam electionem à duabus partibus celebratam, suumque præstitum assensum, verè jam sit Pontifex Romanus, prout iteratò cit. Glossa benè advertit.

Nos autem præsentem Tractatum de Regulis Juris in Nomine Domini, quo incepimus, finimus, eumque humilima cum reverentia judicio & correctioni Ecclesiæ Catholicæ, quæ fidei, & veritatis, morumque infallibilis Regula est, penitus subjicimus, idque, quod ipsa in eo rejicit, & improbat, nos quoque rejicimus, & improbamus: immò pro non scripto, aut dicto haberi volumus, unicè optantes, ut cuncta ad Majorem DEI Gloriam, quam præcipuè intendimus, directè, ac indirectè cedant.

FINIS.

CAPUT

CAPUT TERTIUM, SEU APPENDIX, DE REGULIS JURIS CIVILIS.

JUxta promissum, in Frontispicio & Procemio, subjungimus hîc Appendicem; & Caput tertium de Regulis Juris Civilis pro compendiosa notitia præsertim eorum, quibus Corpus Juris Civilis non semper ad manus est; Et quidem pro commodiori usu ponimus illas priùs eo ordine, quo in Digestis *Lib.* 50. *Tit.* 17. positæ sunt, dein eriam ordine alphabetico.

Sequuntur ergo Regulæ Juris Civilis eo ordine, quo in Jure, citato loco inveniuntur positæ.

1.
De Regula.

REgula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. Non ut ex Regula Jus sumatur, sed ex Jure, quod est, Regula fiat. Per Regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & (ut ait Sabinus) quasi causæ conjectio est: quæ, simul cùm in aliquo vitiata est, perdit officium suum.

2.
De Fœminis. De Impubere.

Fœminæ ab omnibus Officiis civilibus, vel publicis remotæ sunt: & ideo nec judices esse possunt, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere. 1) Item impubes omnibus officiis civilibus debet abstinere.

3.
Non nolle, velle.

Ejus est non nolle, qui potest velle.

4

Velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini.

5.
De Furioso & Pupillo.

In negotiis contrahendis alia causa habita est furiosorum, alia eorum, qui fari possunt, quamvis actum rei non intelligerent; nam furiosus nullum negotium contrahere potest: pupillus omnia, Tutore auctore, agere potest.

6.
De eo, qui ad alium vult transferre hæreditatem.

Non vult hæres esse, qui ad alium voluit transferre hæreditatem.

7.
De Testato, & Intestato.

Jus nostrum non patitur eundem in paganis, & testato & intestato decessisse, earumque rerum naturaliter inter se pugnare est, testatus, & intestatus.

8.
De Jure Sanguinis.

Jura sanguinis nullo Jure Civili dirimi possunt.

9
De obscuris.

Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.

10.
De Commodis, & Incommodis.

Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequentur incommoda.

11.
De Translatione Dominii.

Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

12.
De Interpretatione Testamentorum.

In testamentis plenius voluntates testantium interpretantur.

13.
De Effectu Exceptionis.

Non videtur cepisse, qui per exceptionem à petitione removetur.

14.
De Die Obligationis.

In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.

15.
De effectu actionis.

Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.

16.
De imaginaria Venditione.

Imaginaria Venditio non est pretio accedente.

17.
De Tempore.

Cum tempus in testamento adjicitur: credendum est pro hærede adjectum, nisi alia mens fuerit testatoris: sicut in stipulationibus promissoris gratia tempus adjicitur.

18.
De Acquisitione.

Quæ legata mortuis nobis, ad hæredem nostrum tranierunt, eorum commodum per nos his, quorum in potestate fuimus, eodem calu acquirimus: aliter atque quod stipulati sumus: nam & sub conditione stipulantes, omnimodo eis acquirimus, etiam si libertatis nobis potestate donini, conditio existat.

19
De Conditione contrahentis, vel legatarii. De doli exceptione.

Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus: hæredi autem hoc imputari non potest, cùm non sponte cum legatariis contrahit. 1. Non solet exceptio doli nocere his, quibus voluntas testatoris non refragatur.

20.
De Favore Libertatis.

Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum

quamquam diceret quod non sentiret, ut maxime nomine usus sit quò id appellari solet: nam vocis ministerio utimur. Resp. Speciosam quidem, sed minùs stringentem esse hanc ex legibus desumptam objectionem; quia nemo negat, verba esse indicia mentis nostræ, eaque juxta propriam significationem accipienda venire, ubi sunt clara & manifesta, & de vero illorum sensu nulla ratio dubitandi occurrit. Verùm ubi nuda verborum significatio varia, vel intentioni ac menti dicentis contraria apparet: vel si nudus sensus verborum, ut jacent, aliquod absurdum, iniquum, à recta ratione devians, & ab aliis legibus manifestè reprobatum innuit, utique nudæ hujusmodi significationi non inhærendum, sed ad mentem, voluntatem, & intentionem dicentis, seu legislatoris ex ratione & fine legis, aliisque circumstantiis colligendam necessario, & prudenter recurritur juxta apertos Juris textus suprà allegatos, quibus claris textibus cùm textus apparenter duntaxat, non autem verè contrarii, in objectione positi, juxta responsionem nostram facilè concordari possint, eos sic concordare, rationi & juri consonum est; *Cùm expediat concordare Jura Juribus, & eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari. c. Cùm expediat. 29 de Elect. in 6.*

Finit Pontifex Bonifacius VIII. conditas à se Regulas Juris in Sexto illis verbis:

Datæ Romæ apud Sanctum Petrum, V. Nonas Martii, Pontificatûs nostri anno quarto, (1298.)

Ubi cum Glossa notandum *hic v. Pontificatus* quòd computus annorum Pontificatûs Romani incipiat à die coronationis, seu consecrationis suæ: non verò à die electionis; quòd benè notandum Juristis, monet eadem Glossa, ne in computatione contingat error, qualem ibidem ipsamet refert: quamvis & hæc computatio potiùs ex consuetudine, & solito usu, quàm à Jure roboretur; cùm post canonicam electionem à duabus partibus celebratam, suumque præstitum assensum, verè jam sit Pontifex Romanus, prout iteratò cit. Glossa benè advertit.

Nos autem præsentem Tractatum de Regulis Juris in Nomine Domini, quo incepimus, finimus, eumque humilima cum reverentia judicio & correctioni Ecclesiæ Catholicæ, quæ fidei, & veritatis, morumque infallibilis Regula est, penitus subjicimus, idque, quod ipsa in eo rejicit, & improbat, nos quoque rejicimus, & improbamus: immò pro non scripto, aut dicto haberi volumus, unicè optantes, ut cuncta ad Majorem DEI Gloriam, quam præcipuè intendimus, directè, ac indirectè cedant.

FINIS.

CAPUT

CAPUT TERTIUM, SEU APPENDIX, DE REGULIS JURIS CIVILIS.

JUxta promissum, in Frontispicio & Procemio, subjungimus hîc Appendicem; & Caput tertium de Regulis Juris Civilis pro compendiosa notitia præsertim eorum, quibus Corpus Juris Civilis non semper ad manus est; Et quidem pro commodiori usu ponimus illas priùs eo ordine, quo in Digestis *Lib.* 50. *Tit.* 17. positæ sunt, dein eriam ordine alphabetico.

Sequuntur ergo Regulæ Juris Civilis eo ordine, quo in Jure, citato loco inveniuntur positæ.

1.
De Regula.

REgula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. Non ut ex Regula Jus sumatur, sed ex Jure, quod est, Regula fiat. Per Regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & (ut ait Sabinus) quasi causæ conjectio est: quæ, simul cùm in aliquo vitiata est, perdit officium suum.

2.
De Fœminis. De Impubere.

Fœminæ ab omnibus Officiis civilibus, vel publicis remotæ sunt: & ideo nec judices esse possunt, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere. 1) Item impubes omnibus officiis civilibus debet abstinere.

3.
Non nolle, velle.

Ejus est non nolle, qui potest velle.

4

Velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini.

5.
De Furioso & Pupillo.

In negotiis contrahendis alia causa habita est furiosorum, alia eorum, qui fari possunt, quamvis actum rei non intelligerent; nam furiosus nullum negotium contrahere potest: pupillus omnia, Tutore auctore, agere potest.

6.
De eo, qui ad alium vult transferre hæreditatem.

Non vult hæres esse, qui ad alium voluit transferre hæreditatem.

7.
De Testato, & Intestato.

Jus nostrum non patitur eundem in paganis, & testato & intestato decessisse, earumque rerum naturaliter inter se pugnare est, testatus, & intestatus.

8.
De Jure Sanguinis.

Jura sanguinis nullo Jure Civili dirimi possunt.

9
De obscuris.

Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.

10.
De Commodis, & Incommodis.

Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequentur incommoda.

11.
De Translatione Dominii.

Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

12.
De Interpretatione Testamentorum.

In testamentis plenius voluntates testantium interpretantur.

13.
De Effectu Exceptionis.

Non videtur cepisse, qui per exceptionem à petitione removetur.

14.
De Die Obligationis.

In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.

15.
De effectu actionis.

Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.

16.
De imaginaria Venditione.

Imaginaria Venditio non est pretio accedente.

17.
De Tempore.

Cum tempus in testamento adjicitur: credendum est pro hærede adjectum, nisi alia mens fuerit testatoris: sicut in stipulationibus promissoris gratia tempus adjicitur.

18.
De Acquisitione.

Quæ legata mortuis nobis, ad hæredem nostrum tranierunt, eorum commodum per nos his, quorum in potestate fuimus, eodem calu acquirimus: aliter atque quod stipulati sumus: nam & sub conditione stipulantes, omnimodo eis acquirimus, etiam si libertatis nobis potestate donini, conditio existat.

19
De Conditione contrahentis, vel legatarii. De doli exceptione.

Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus: hæredi autem hoc imputari non potest, cùm non sponte cum legatariis contrahit. 1. Non solet exceptio doli nocere his, quibus voluntas testatoris non refragatur.

20.
De Favore Libertatis.

Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum

libertatem, respondendum erit.

21.

De eo, quod est plus vel minus.

Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.

22.

De Servit. 1. De conditione in arbitrium domini, vel procuratoris ejus collatâ.

In personam servilem nulla cadit obligatio. 1. Generaliter probandum est, ubicunque in bonæ fidei judicio confertur in arbitrium domini vel procuratoris ejus conditio, pro boni viri arbitrio habendum esse.

23.

De dolo, culpa, diligentia, & casu.

Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt: quidam & dolum & culpam: dolum tantum depositum & precarium: dolum & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ negotia gesta in his quidam & diligentiam societas & rerum communio, & dolum & culpam recipit: sed hæc ita, nisi, si quid nominatim convenit, vel plus vel minus, in singulis contractibus: nam hoc servabitur, quod initio convenit, legem enim contractus dedit: excepto eo quod Celsus putat, non valere, si convenerit, ne dolus præstetur: hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est: & ita utimur. Animalium verò casus, mortes, quæque sine culpa accidunt, fugæ servorum, qui custoditi non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum à nullo præstantur.

24.

De eo, quod interest.

Quatenus cujus interest, in facto, non in jure consistit.

25.

De Cautione.

Plus cautionis in re est, quàm in personâ.

26.

Qui potest invitis alienare, multò magis & ignorantibus, & absentibus potest.

27.

De Pactis. De causis Obligationum. De modo actionum.

Nec ex Prætorio, nec ex solenni Jure, privatorum conventione quidquam immutandum est: quamvis obligationum causæ pactione possint immutari, & ipso jure, & per pacti conventi exceptionem: quia actionum modus, vel lege, vel per Prætorem inductus, privatorum pactionibus non infirmatur: nisi tunc, cum inchoatur actio, inter eos convenit.

28.

De his, qui ex liberalitate conveniuntur.

Divus Pius rescripsit, eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id, quod facere possunt condemnandos.

29.

De eo, quod initio vitiosum est.

Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.

30.

De Nuptiis.

Nuptias non concubitus, sed consensus facit.

31.

De factis. De eo, quod est impossibile.

Verum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere: quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere possit.

32.

De Servit. De hominum æqualitate.

Quod attinet ad Jus Civile, servi pro nullis habentur: non tamen & Jure naturali: quia quod ad Jus naturale attinet omnes homines æquales sunt.

33.

De Actore, & Reo.

In eo, quod vel is, qui petit, vel is, à quo petitur lucri facturus est, durior causa est petitoris.

34.

De Interpretatione contractuum.

Semper in stipulationibus, & in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est, aut si non apparet, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in Regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque Regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id, quod minimum est, redigenda summa est.

35.

Quibus modis tollitur obligatio.

Nihil tam naturale est, quàm eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est: ideo verborum obligatio verbis tollitur, nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur.

36.

De Culpa.

Culpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti.

37.

De Condemnatione, & Absolutione.

Nemo, qui condemnare potest, absolvere non potest.

38.

De hærede.

Sicuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debeat: ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum perveniret.

39.

De eo, quod per alium fiat, quo minus fiat.

In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium moræ fit, quo minus fiat.

40.

De furioso & prodigo.

Furiosis, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.

41.

De actore & reo. 1. De re obscurâ.

Non debet actori licere, quod reo non permittitur. 1. In re obscurâ melius est favere repetitioni, quàm adventitio lucro.

42.

De Ignorantia.

Qui in alterius locum succedunt, justam habent causam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur. Fidejussores quoque non minus, quam hæredes justam ignorantiam possunt allegare. Hæc ita de hærede dicta sunt, si cum eo ageretur: non etiam, si agatur: nam plane qui agit, certus esse debet: Cùm sit in potestate ejus, quendo velit, experiri: & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere

43.

De concurrentibus defensionibus. 1. Vel actionibus.

Nemo ex his, qui negant, se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi lex impedit. 1. Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una quis experiri debet.

44.

De Hærede.

Totiens in hæredem damus de eo, quod ad eum pervenit, quotiens ex dolo defuncti conveire non quotiens ex suo.

4.

De Pignore, Depositi, Precario, Emptione, Locatione. 1. De Conventionibus.

Neque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio reliquæ consistere potest. 1. Privatorum Conventio Juri publico non derogat.

46.

De Pœnis.

Quod à quoquo pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur.

47.

De Consilio. 1. De Sociis.

Consilii non fraudulenti nulla obligatio est: Cæterùm si dolus & calliditas intercessit, de dolo actio competit. 1. Socii mei socius, meus socius non est.

48.

De calore iracundiæ. De Divortio.

Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si pervarentia apparuit, judicium animi fuisse: ideoque brevi reversa uxor, nec divortisse videtur.

49.

De Circumventione.

Alterius Circumventio alii non probet actionem.

50.

Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.

51.

Capere.

Non videtur quisquam id capere, quod ei necesse est alii restituere.

52.

Non defendere.

Non defendere videtur, non tantum, qui latitat, sed & is, qui præsens negat se defendere, aut non vult suscipere actionem.

53.

De Solutione indebiti.

Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est.

54.

De Juris translatione.

Nemo plus Juris ad alium transferre potest, quàm ipse haberet.

55.

De eo, qui suo jure utitur.

Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.

56.

De Dubiis.

Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.

57.

Ne bis exigatur.

Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.

58.

De peculio.

Ex pœnalibus causis non solet in partem de peculio actio dari.

59.

De hærede.

Hæredem ejusdem potestatis, jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat.

60.

Mandati.

Semper, qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur. Sed & si quis ratum habuerit, quod gestum est, obstringitur mandati actione.

61.

De refectione domûs.

Domum suam reficere unicuique licet, dum non officiat invito alteri, in quo jus non habet.

62.

De Hæreditate.

Hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit.

63.

De Mora.

Qui sine dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere.

64.

De his, quæ rarò accidunt.

Ea, quæ rarò accidunt, non temere in agendis negotiis computantur.

65.

De Cavillatione, seu Serite.

Ea est natura cavillationis, quam Græci soriten (id est *acervalem Syllogismum*) appellant, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducatur.

66.

De Exceptione.

Marcellus: definit debitor esse is, qui nactus est exceptionem justam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

67.

De Sermone ambiguo.

Quotiens idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum excipiatur, quæ rei gerendæ aptior est.

68.

De Beneficiis.

In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ beneficium quoque deficiat: ubi verò genus actionis id desiderat, ibi ad quemvis perfecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii.

69.

Invito Beneficium non datur.

70.

De potestate gladii, vel alterius coercitionis.

Nemo potest gladii potestatem sibi datam, vel cujus alterius coercitionis ad alium transferre.

71.

Quæ per libellum expediri non possunt.

Omnia, quæcunque causæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt.

72.

De Jure pignorandi.

Fructus rei est vel pignori dare licere.

73.

De tutela, & hæreditate. 2. De Vi, & Clam. 3. De his, 4. Extraneo caveri non posse, quæ in testamento intelligi non possunt.

Quo tutela redit, ea hæreditas pervenit, nisi cùm fœminæ hæredes intercedent. 1. Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei, quem in suis hæredibus, cùm moritur, habuit, habiturumve esset, si vixisset. 2. Vi factum id videtur esse, qua de re quis, cùm prohibetur, fecit. Clam, quod quisque, cùm controversiam haberet, habiturumve se putaret, fecit. 3. Quæ in testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint, perinde sunt, ac si scripta non essent. 4. Nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest.

74.

Ne cui per alium iniqua conditio inferatur.

Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

75.

De mutatione consilii.

Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam.

76.

De his, quæ animi destinatione agenda sunt.

In totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi vera & certa scientia perfici possunt.

77.

De actibus legitimis. De tacito, & expresso.

Actus legitimi qui recipiunt diem vel conditionem, velati mancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio Tutoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem: nonnunquam tamen actus supra scripti facile recipiunt, quæ apertè

comprehensa vitium afferunt: Nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit, ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio extiterit: quæ si verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.

78.
De fraude.

Generaliter, cum de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per adversarium habere non potuerit, considerandum est.

79.

Fraudis interpretatio semper in jure civili non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoque desideratur.

80.
De genere, & specie.

In toto Jure generi per speciem derogatur, & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.

81.
De his, quæ dubitationis tollendæ causâ contractibus inseruntur.

Quæ dubitationis tollendæ causâ contractibus inseruntur, jus commune non lædunt.

82.
De donatione.

Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur.

83.
De amissione.

Non videntur rem admittere, quibus propria non fuit.

84.
Si amplius solutum sit, quàm debebatur. 1. De naturali obligatione.

Cùm amplius solutum est, quàm debebatur, cujus pars non invenitur, quæ repeti possit, totum esse indebitum intelligitur, manente pristina obligatione. 1.) Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus.

85.
De Dote. 1. De his, quæ ad eum Casum pervenerunt, à quo non possunt initium capere. 2. Si æquitate desiderii naturalis ratio, aut dubitatio juris moretur.

In ambiguis pro dotibus respondere, melius est. 1.) Non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt. 2.) Quotiens æquitate desiderii naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur, justis decretis res temperanda est.

86.
De litis Contestatione.

Non solet deterior conditio fieri eorum, qui litem contestati sunt, quàm si non: sed plerumque melior.

87.

Nemo enim in persequendo deteriorem causam, sed meliorem facit. Denique post litem contestatam hæredi quoque prospiceretur, & hæres tenetur ex omnibus causis.

88.
De mora.

Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est.

89.
De Successione ex testamento, vel ab intestato.

Quamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimus non admittitur.

90.
De æquitate.

In omnibus quidem, maximè tamen in Jure æquitas spectanda sit.

91.
De Successione.

Quotiens duplici jure defertur alicui successio, repudiato novo jure, quo ante defertur, supererit vetus.

92.
De errore librarii in transcribendo.

Si librarius in transcribendis stipulationis verbis errasset; nihil noceret, quo minùs & reus & fidejussor teneatur.

93.
De possessione rei peculiaris.

Filiusfamilias neque retinere, neque recuperare, neque adipisci possessionem rei peculiaris videtur.

94.
De his, quæ abundant.

Non solent, quæ abundant, vitiare scripturas.

95.
De eo, qui defenditur.

Nemo dubitat, solvendo videri eum, qui defenditur.

96.
De ambiguis orationibus.

In ambiguis orationibus maximè sententia spectanda est ejus, qui eas protulisset.

97.
De bonis deportati.

Ea sola deportationis sententia aufert, quæ ad fiscum perveniunt.

98.
De lucro.

Quotiens utriusque causa lucri ratio vertitur, is proferendus est, cujus in lucrum causa tempore præcedit.

99.
De eo, qui ignorat, quantum solvere debeat.

Non potest improbus videri, qui ignorat, quantum solvere debeat.

100.
Quibus modis contractus, vel obligatio tollitur.

Omnia, quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt.

101.
De duobus mensibus.

Ubi lex duorum mensium fecit mentionem, & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus est: ita enim & Imperator Antoninus cum divo Patre suo rescripsit.

102.
Quid adversus edictum facere dicatur. 1. De actione denegandâ.

Qui vetante prætore fecit, hic adversus Edictum fecisse propriè dicitur. 1. Ejus est actionem denegare, qui possit & dare.

103.
Neminem de domo sua extrahi.

Nemo de domo suâ extrahi debet.

104.
De judiciis famosis, & pecuniariis.

Si in duabus actionibus alibi summa major, alibi infamia est, præponenda est causa existimationis. Ubi autem æquiparant famosa judicia, & si summam imparem habent, pro paribus accipienda sunt.

105.
De causæ cognitione.

Ubicunque causæ cognitio est, ibi Prætor desideratur.

106.
De libertate.

Libertas inæstimabilis res est.

107.
De Servo.

Cum servo nulla actio est.

108.
De Judiciis pœnalibus.

Fere in omnibus pœnalibus judiciis & ætati & imprudentiæ succurritur.

109.
De eo, qui non prohibet.

Nullam crimen patitur is, qui non prohibet, cùm prohibere non potest.

110.
De eo, quod est plus vel minus. 1. De expromissore alienæ rei. 2. De pupillo. 3. De verbis non conjunctis. 4. De mulieribus.

In eo, quod plus sit, semper inest & minùs. 1. Nemo alienæ rei expromissor idoneus videtur, nisi si cum facultatione. 2. Pupillus pati posse non intelligitur. 3. Uni verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. 4. Mulieribus tunc succurrendum est, cùm defendantur, non ut facilius calumnientur.

111.
De pupillo, 1. De hærede, de actionibus pœnalibus.

Pupillum, qui proximus pubertati sit capacem esse & furandi, & injuriæ faciendæ. 1. In hæredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio; veluti furti, damni, injuriæ, vi bonorum raptorum, injuriarum.

112.
De actione non competente. De Exceptione.

Nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

113.
De Toto, & Parte.

In toto & pars continetur.

114.
De obscuris.

In obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet.

115.
Qui videtur cepisse, 1. seu accepisse.

Si quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse. 1. Non potest videri accepisse, qui stipulatus potest exceptione summoveri.

116.
De consensu, vi, metu. 1. De eo, qui jus publicum sequitur. 2. De consensu, & errore.

Nihil consensui tam contrarium est, qui bonæ fidei judicia sustinet, quam vis, atque metus: quem comprobare contra bonos mores est. 1. Non capitur, qui Jus publicum sequitur. 2. Non videntur, qui errant, consentire.

117.
De bonorum possessore.

Prætor bonorum possessorem hæredis loco in omni causa habet.

118.
De usucapione, & possessione.

Qui in servitute est, usucapere non potest: nam cum possideatur, possidere non videtur.

119.
De alienatione.

Non alienat, qui duntaxat omittit possessionem.

120.
De hærede.

Nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quàm ipse habuit.

121.
De eo, qui non facit quod facere debet, vel facit quod facere non debet.

Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit. Et qui facit quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere jussus est.

122.
De libertate.

Libertas omnibus rebus favorabilior est.

123.
An quis pro alio lege agere possit. 1. De temporaria permutatione.

Nemo alieno nomine lege agere potest. 1. Temporaria permutatio jus Provinciæ non innovat.

124.
De Muto, Surdo. 1. Furioso.

Ubi non voce, sed præsentia opus est, mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo: hic quidem respondere potest. 1. Furiosus absentis loco est: & ita Pomponius libro primo epistolarum scribit.

125.
De actore, & reo.

Favorabiliores rei potius, quàm actores habentur.

126.
De eo, qui pretium numeravit. 1. De acquisitione libertt. 2. De Petitore, & Possessore.

Nemo prædo est, qui pretium numeravit. 1. Locupletior non est factus, qui libertum acquisierit. 2. Cùm de lucro duorum quæratur, melior est causa possidentis.

127.
De hærede convento in id, quod ad eum pervenit.

Cùm prætor in hæredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit: sufficit, si vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti.

128.
De Petitore, & Possessore. 1. De Successoribus.

In pari causa, Possessor potior haberi debet. 1. Hi qui in universum jus succedunt, hæredis loco habentur.

129.
De eo, qui suum recipit. 1. De Principali & accessorio.

Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit. 1. Cùm principalis causa non consistit, ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

130.
De concurrentibus actionibus.

Nunquam actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

131.
De eo, qui dolo desiit possidere.

Qui dolo desierit possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessione dolus est.

132.
De Imperitia.

Imperitia culpæ adnumeratur.

133.
De Servis.

Melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest.

134.
Quomodo creditores frandantur. 1. De Delicto.

Non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur à debitore, sed cum quid de bonis diminuitur. 1. Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.

135.
De his, quæ dari non possunt, vel in rerum natura non sunt.

Ea, quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur.

136.
De bona fide possidentis, & de veritate.

Bona fides tamdiu possidenti prælatt, quantum veritas, quotiens lex impedimento non est.

137.

Qui auctore Judice comparavit, bonæ fidei possessor est.

138.
De additione cum tempore mortis continuanda. 1. De æstimatione delicti.

Omnibus hæreditas, quamvis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. 1. Numquam crescit ex post facto præteriti delicti æstimatio.

139.

De actionibus perpetuandis. 2. De eo, quod auferri potest.

Omnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ judicio, salvæ permanent. 1. Non videtur perfecte cujusque id esse, quod ex causa auferri potest.

140.

De absentia Reipublicæ causâ.

Absentia ejus, qui Reipublicæ causa abest, neque ei, neque alii damnosa esse debet.

141.

De Jure singulari. 1. De hæredibus.

Quod contra rationem Juris receptum est, non est producendum ad consequentiam. 1. Uni duo pro solido hæredes esse non possunt.

142.

De eo, qui tacet.

Qui tacet, non utique fatetur: Sed tamen verum est, eum non negare.

143.

De contrahentibus, & eorum successoribus.

Quod ipsis qui contraxerunt, obstat & successoribus eorum obstabit.

144.

De licito & honesto. 1. De tempore in stipulationibus spectando.

Non omne, quod licet, honestum est. 1. In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

145.

An quis fraudari dicatur.

Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt.

146.

De eo, quod quis egit ante libertatem.

Quod quis, dum servus est, egit, proficere libero facto non potest.

147.

De generalibus & specialibus.

Semper specialia generalibus insunt.

148.

De eo, cujus effectus omnibus prodest.

Cujus effectus omnibus prodest, ejus & partes ad omnes pertinent.

149.

De lucro ex persona alterius.

Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet.

150.

De eo, qui possidet, vel habet aut dolo desit possidere, vel habere.

Parem esse conditionem oportet ejus, qui quid possideat, vel habeat, atque ejus, cujus dolo malo factum sit, quo minus possideret, vel haberet.

151.

De damno.

Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet.

152.

De Vi. 1. De Mandato. 2. De Ratihabitione. 3. De hærede.

Hoc jure utimur: ut quidquid omnino per vim fiat, aut in vis publicæ, aut in vis privatæ crimen incidat. 1) Dejicit, & qui mandat. 2.) In maleficio ratihabitio mandato comparatur. 3) In contractibus, quibus doli præstatio vel bona fides inest, hæres in solidum tenetur.

153.

De obligatione, liberatione, acquisitione, amissione, & possessione.

Fere, quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis acquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. Ut igitur nulla possessio acquiri, nisi animo & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque contrarium actum.

154.

De petitore, & possessore. De dolo. De pœna.

Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa, sicut fit, cum de dolo excipitur petitoris: neque enim datur talis replicatio petitori, *Aut si res quoque in ea re dolo actum sit.* 1) Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit.

155.

Cui factum nocet. 1. De eo, qui jure suo utitur. 2. De causis pœnalibus.

Factum cuique suum non adversario nocere debet. 1) Non videtur vim facere, qui jure suo utitur, & ordinaria actione experitur. 2) In pœnalibus causis benignius interpretandum est.

156.

Invitum non defendere. 1. De actione, & exceptione. 2. De eo, qui in alterius locum successit. 3. De auctore, & emptore. 4. De invito.

Invitus nemo rem cogitur defendere. 1. Cui damus actiones, eidem & exceptionem competere multo magis quis dixerit. 2. Cum quis in alii locum successerit, non est æquum, ei nocere hoc, quod adversus eum nocuit, in cujus locum successit. 3. Plerumque emptoris eadem causa esse debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris. 4. Quod cuique pro eo præstatur, invito non tribuitur.

157.

De servo. 1. De, eo qui dolo fecit, quo minus haberet. 2. De successoribus.

Ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris vel sceleris, ignoscitur servis, si vel dominis, vel his, qui vice dominorum sunt (veluti tutoribus & curatoribus) obtemperaverint. 1) Semper, qui dolo fecit, quo minus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet. 2.) In contractibus successores ex dolo eorum, (quibus successerunt) non tantum in id, quod pervenit, verum etiam in solidum tenentur, hoc est, unusquisque pro ea parte, qua hæres est.

158.

De Pignore.

Creditor, qui permittit rem venire, pignus dimittit.

159.

Differentia obligationis, & Dominii.

Non ut ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem possit nostrum esse.

160.

Differentia inter vendere, & vendenti consentire. 1. De eo, quod fit per majorem partem. 2. De jure legatarii.

Aliud est *vendere*, aliud *vendenti consentire*. 1) Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem. 2) absurdum est, plus juris habere eum, cui legatus sit fundus, quàm hæredem, aut ipsum testatorem, si viveret.

161.

De eo, per quem factum est, quo minus conditio impleatur.

In jure civili receptum est, quotiens per eum, cujus interest conditionem non impleri, fiat, quo minus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset, quod ad libertatem, & legata, & ad hæredum institutiones perducitur: quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cùm per promissorem factum esset, quo minus stipulator conditioni pareret.

162.

De receptis propter necessitatem.

Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.

163.

De donatione, venditione, concessione.

Cujus est donandi, eidem & vendendi, & concedendi jus est.

164.

De hæredibus, & judiciis pœnalibus.

Pœnalia judicia, semel accepta, in hæredes transmitti possunt.

165.

De eo, qui alienat, vel alienari consentit.

Cum quis possit alienare, poterit & consentire alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec si donationis causa consenserit, ratam ejus voluntatem habendam.

166.

De defensore rei alienæ.

Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

167.

De his, quæ accipientis non fiunt. 1. De jussu Judicis.

Non videntur data, quæ & tempore, quo dantur, accipientis non fiunt. 1. Qui jussu Judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere necesse habet.

168.

De obsequiis.

Rapienda occasio est, quæ præbet benignius responsum. 1. Quod factum est, cùm in obscuro sit, ex affectione cujusque capit interpretationem.

169.

De damno. 1. De eo, quod pendet.

Is damnum dat, qui jubet dare: ejus verò nulla culpa est, cui parere necesse sit. 1. Quod pendet, non est pro eo, quasi sit.

170.

De facto à Judice.

Factum à Judice, quod ad Officium ejus non pertinet, ratum non est.

171.

De Obligatione.

Nemo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio quod præstiterit.

172.

De ambiguis.

In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. 1. Ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit.

173.

De his, qui condemnantur in id quod facere possunt. 1. De Restitutione. 2. De mora. 3. De eo, qui petit, quod redditurus est.

In condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur, non totum quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant. 1) Cùm verbum *Restituas* lege inveniatur, etsi non specialiter de fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi. 2) Unicuique sua mora nocet: quod & in duobus reis promittendi observatur. 3) dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

174.

Posse. 1. De repudiatione.

Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur. 1. Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest.

175.

De Servis. 1. De eo, qui in jus alterius succedit.

In his, quæ officium per liberas fieri personas leges desiderant, Servus intervenire non potest. 1. Non debeo melioris conditionis esse, quàm auctor meus, æquo jus in me transit.

176.

Nesingulis concedatur, quod per Magistratum publicè fieri potest. 1. De libertate, & necessitudine.

Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. 1. Infinita æstimatio est libertatis, & necessitudinis.

177.

De eo, qui in jus alterius succedit. 1. De ignorantia.

Qui in Jus, dominiumve alterius succedit, Jure ejus uti debet. 1. Nemo videtur dolo exequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere.

178.

De principali & accessorio.

Cum Principalis causa non consistat plerumque ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

179.

De obscura voluntate manumittentis.

In obscura voluntate manumittentis favendum est libertati.

180.

De eo, qui jussu alterius solvit.

Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset.

181.

Si nemo adierit ex testamento.

Si nemo subiit hæreditatem, omnis vis testamenti solvitur.

182.

De eo, quod nullius esse potest.

Quod nullius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.

183.

De solemnibus non facile mutandis. De æquitate.

Etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus: tamen, ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est.

184.

De vano timore.

Vani timoris justa excusatio non est.

185.

De impossibilibus.

Impossibilium nulla obligatio est.

186.

Quando peti potest.

Nihil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam peti solvi possit. Et cùm solvendi tempus, obligationi additur, nisi eo præterito, peti non potest.

187.

De eo, qui uxorem prægnantem reliquit.

Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse.

188.

Si testator pugnantia gesserit. 1. De impossibilibus.

Ubi pugnantia inter se in testamento juberentur, neutrum ratum est. 1. Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt.

189.

De pupillo, & authoritate Tutoris.

Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate, nisi adpositâ Tutoris authoritate, creditur: nam quod animi judicio fit, in eo Tutoris auctoritas necessaria est.

190.

De evictione.

Quod evincitur, in bonis non est.

191.

De beneficio Principis.

Neratius consultus, an, quod beneficium dare se, quasi viventi Cæsar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur? Respondit, non videri sibi Principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse; quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ipsius æstimationem esse.

192.

De hæredibus & obligatione individua. 1. De re dubia.

Ea, quæ in partes dividi non possunt, solida singulis

gulis hæredibus debentur. 1) In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quàm tutius.

193.

De aditione cum tempore mortis continuandâ.

Omnia fere jura hæredum perinde habentur, ac si continuò sub tempus mortis hæredes exitissent.

194.

De hæredibus hæredum.

Qui per successionem, quamvis longissimam, defuncto hæredes constiterunt, non minus hæredes intelliguntur, quàm qui principaliter hæredes exissunt.

195.

De expressis & tacitis.

Expressa nocent, non expressa non nocent.

196.

De Privilegiis.

Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: & ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt: quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt.

197.

De conjunctionibus. De licito & honesto.

Semper in conjunctionibus non solùm quid liceat considerandum est, sed & quid honestum sit.

198.

De dolo Tutoris.

Neque in interdicto, neque in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum Tutoris, sive solvendo est, sive non est.

199.

De eo, qui imperio Magistratus non paruit.

Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit.

200.

De minori iniquitate eligenda.

Quotiens nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis.

201.

De his, quæ ex testamento proficiscuntur.

Omnia, quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint.

202.

Definitiones esse periculosas.

Omnis definitio in jure civili periculosa est; parum est enim, ut non subverti possit.

203.

De damno & culpa.

Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.

204.

De actione.

Minus est actionem habere, quàm rem.

205.

De his, quæ à nobis abire possunt.

Plerumque fit, ut etiam ea, quæ à nobis abire possint, proinde in eo statu sint, atque si non essent ejus conditionis, ut abire possent: & ideo, quod fisco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & servitutem in prædio imponere possumus.

206.

Ne quis lucretur cum jactura alterius.

Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.

207.

De re judicata.

Res judicata pro veritate accipitur.

208.

Desinere habere.

Non potest videri desisse habere, qui nunquam habuit.

209.

De servitute.

Servitutem mortalitati fere comparamus.

210.

De Institutione.

Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non potest.

211.

De Servo, & absentia Reipublicæ causa.

Servus Reipublicæ causa abesse non potest.

REPER-

REPERTORIUM GENERALE

Rerum & Verborum omnium

IN VI. TOMIS

OPERUM CANONIC. R. P. F. ANACLETI REIFFENSTUEL,

Nempe Quinque in V. Lib. Decretalium, & Sextum de Regulis Juris, contentorum.

Explicatio Abbreviationum.

Littera P. denotat *Proœmium*, T. *Titulum*, N. *Numerum*, A. *Appendicem*, pro quinque libris Decretalium; Quando verò Lib. *de Regulis Juris* agitur, Littera C. denotat *Caput*, R. *Regulam*, N. *Numerum* materiæ in quavis Regula.

Numeri marginales 1.2.3.4.5. *Tomos Decretalium, Litteræ* R.J. *Tractat. de Regulis Juris indicant.*

A.

1. A Dictio quando flet exclusivè, vel inclusivè? T. 9. *n.* 74.

ABBAS. ABBATES, ABBATISSA.

1. Abbas potest eligi in Episcopum. *Tit.* 5. *num.* 53. Inter Abbates perpetuos & Ecclesiam, contrahitur quasi conjugium Spirituale. *Tit.* 6. *num.* 111. Abbates perpetui, aliique Superiores Regulares, an sint eligendi secundùm formam in c. Quia propter, de Elect. præscriptam? T. 6. *num.* 336. *& seqq.* In electione Abbatum perpetuorum potest indubitanter procedi per viam compromissi, *n.* 349. Abbates ex privilegio Papæ possunt conferre ordines minores, T. 13. *num.* 14. & 15. Hæc potestas non est annexa jure divino Benedictioni Abbatali, *num.* 16. Utrum etiam possint conferre ordines Sacros? *n.* 17. *& seq.* Abbatiæ præficiendus, debet esse, vel intrà annum fieri Presbyter. T. 14. *n.* 12. Antiquitùs tamen Abbates poterant esse non Presbyteri. *num.* 13. Idem ob necessitatem, atque utilitatem Ecclesiæ, etiam hodiè potest fieri dispensativè, *n.* 14. Et an in tali casu possit dispensare Episcopus? *num.* 15. Abbas benedictus potest conferre ordines minores etiam subditis Episcopi de hujus licentia, T. 29. *num.* 87. Abbates an cogantur venire ad Synodum? T. 31. *nu.* 102.

2. Abbas exemptus, an possit contrà Episcopum præscribere certam Parochiam? T. 26. *n.* 56.

3. Abbates non possunt consecrare Calices, T. 40. *n.* 43. nec benedicere Campanas, *n.* 48.

1. Abbatissa, an sit eligenda à duabus partibus Monialium? T. 6. *n.* 150. Abbatissa nequit excommunicare propter inobedientiam sibi subjectas, nec Clericos strictè suspendere, *Tit.* 33. *n.* 37. Potest tamen implorare officium Superioris, ut ipse tales excommunicet, aut suspendat, *n.* 37.

ABIGEATUS.

5. Abigeatus, Abigeus quis? T. 18. *n.* 60. Pœna illius, *ibid.*

ABORTUS.

5. Abortus, quas pœnas habeat, si fœtus jam fuit animatus? T. 10. *num.* 13. Et quas si fuit inanimatus? *n.* 14 Gravissimæ pœnæ contrà procurantes directè, vel indirectè abortum, juvantes item & consulentes, statutæ sunt per Sixtum V. *nu.* 15. Cujus Bulla per extensum refertur, *nu.* 16. Quæ fuit moderata per Bullam Gregorii XIV. *n.* 17. Quæ refertur per extensum, *n.* 18. Referuntur in compendio pœnæ contrà directè, vel indirectè procurantes abortum fœtus animati, & consulentes ac juvantes ad illum, *n.* 19. Quarum aliquæ obligant antè, aliquæ post sententiam Judicis. Et quæ, *n.* 21. *& seqq.* Doctrina practica, quàm miseri sint Clerici, quovis modo abortum fœtus animati procurantes, vel ad eum juvantes, consulentes, *num.* 25. Dispensare in pœnis abortûs, quis possit? *n.* 22.

ABROGATIO.

1. Abrogatio legis, quid, & quomodo differat à derogatione, & irritatione legis? T. 2. *nu.* 484. & 485.

ABSENS, ABSENTES, ABSENTIA.

3. Absens, quando dici possit invigilare gregi? T. 4. *num.* 12.
Absentes Canonici in quibus casibus debeant vocari ad Capitulum? T. 11. *num.* 10. & in quibus censeantur præsentes ad lucrandas præsentias? T. 4. *nu.* 185. *& seqq.*

1. Absentes, an & quando sint vocandi ad electiones? T. 6. *n.* 118. *& seqq.* Quoad hoc est attendenda consuetudo locorum, *nu.* 118. & 119 Absens, qui scit vacationem Ecclesiæ, & diem electionis, ulteriùs non est necessariò citandus, *num.* 117. Si absentes commodè vocari non possint, putà ob periculum ex mora imminens Ecclesiæ, possunt & debent alii procedere ad electionem, *n.* 119.

4. Absentia unius, an & quando solvat sponsalia? T. 1. *n.* 212. *& seqq.*

ABSOLUTIO.

Clericorum concubinariorum & fornicantium pœnæ, *Tit.* 2. *num.* 23. Concubinatus eorum occultus in Judicio externo non habet vindictam, *num.* 24. Notorius punitur pœna depositionis, *numer.* 25. Quam tamen Judex potest mitigare, *numer.* 26. Concubinario cum Clerico, non plenè notorio, & cum fœmina ejus quomodo procedendum? *num.* 27. *& seqq.* Clerici de concubinatu suspecti quomodo judicandi & puniendi? *numer.* 30. *& seqq.* Quamvis omni modo sint adigendi ad dimittendas concubinas, tamen cogi non possunt ad eas abjurandas, *num.* 44. Concubinarii Clerici sunt infames, repelluntur ab ordinum promotione, sunt pauperes, ac miseri, omnibusque ludibrio ac scandalo, *num.* 46. *& seqq.* Clerici fornicarii pœna quæ? *num.* 48. *& seqq.* An & quando debeat præmitti triplex monitio, antequàm Clericus fornicarius, vel concubinarius puniatur? *num.* 55. Clerici conjugati possunt esse in Minoribus constituti, *Tit.* 3. *num.* 2. Non item in Majoribus, *num.* 3. & cur? *num.* 4. *& seqq.* Clerici Græci in sacris constituti licitè non contrahunt matrimonium, licitè tamen in anteà contracto manent, *num.* 8. Minores Clerici contrahendo matrimonium perdunt Beneficium, *num.* 9. Et quomodo? *ibid.* Aliud est de contrahentibus sponsalia, *num.* 13. & 16. Clericus Beneficiarius contractu matrimonii perditum non amplius recuperat post mortem mulieris, vel si hæc religionem ingreditur, *num.* 14. Clerici invalidè contrahentes matrimonium an perdant Beneficium? *num.* 17. *& seqq.* Clericorum conjugatorum privilegia, ordines, & Beneficia, T. 3. *num.* 22. Clerici Minoritæ conjugati gaudent privilegio Canonis & fori, *ibid.* Dummodò habeant conditiones tres requisitas, & quas? *num.* 23. Conjugati non gaudent privilegio fori quoad personam, nisi in criminalibus, *num.* 25. Unde in civilibus possunt conveniri coram Judice sæculari, *num.* 26. Et ab eo incarcerari pro debito civili, *num.* 27. Neque gaudent ullo alio privilegio Clericali, *numer.* 28. & 43. Clericus conjugatus an, & quando ad ulteriores ordines promoveri valeat? *num.* 30. *& seqq.* Clerici conjugati an possint habere Beneficium Ecclesiasticum? *num.* 41. *& seqq.* Vel pensionem? *num.* 44. Clericorum Beneficiariorum Residentiæ. Vide *Residentia.* Clericorum simplex Beneficium habentium Residentia an, & quomodò obliger? *Tit.* 4. *num.* 133. Clerici honesta sustentatio. Vide *Sustentatio.* Clerici an, & de quibus bonis testari valeant? Vide *Testamentum.* Clerici habent dominium suorum bonorum patrimonialium, industrialium, & parsimonialium, ac etiam Ecclesiasticorum necessariorum, T. 25. *num.* 13. *& seq.* Non item Ecclesiasticorum superfluorum, *num.* 22. *& seqq.*

Clericorum bona. Vide *Bona,* & *Peculium.* Clericorum obligatio erogandi bona superflua Ecclesiastica in causas pias. Vide *Bona Ecclesiastica.* Clericorum in bona ab intestato quis succedat? *Tit.* 27. *num.* 61. *& seqq.* Clerici ægrotantes, vel debilitati nequeunt privari Beneficio aut fructibus ejus, *Tit.* 6. *num.* 2. *& 3.* Etiamsi propria causa in morbum inciderint, *numer.* 4. Dummodò sani residere consueverint, *numer.* 5. Canonici ob infirmitatem absentes non tenentur inservire per substitutum, *numer.* 6. Nec Beneficiati suppliere Missas infirmitatis causâ neglectas ad breve tempus, *numer.* 7. Nisi aliud habeant litteræ fundationis, *numer.* 8. Vel specialis Ecclesiæ Constitutio, aut Consuetudo, *numer.* 9. Episcopi, & alii Clerici Beneficiati obligati ad celebrationem cerrarum Missarum pati debent substitutionem Coadjutoris, *num.* 17. Si eorum infirmitas incurabilis est, vel perpetua, *numer.* 18. Secùs, si sit temporalis, *ibid.* Beneficio etiam ob morbum perpetuum non possunt privari, *numer.* 19. *& seqq.* Perpetuò infirmi an possint promoveri ad ordines, & in susceptis ministrare? remissivè, *numer.* 21. Clericorum ægrotantium Coadjutores. Vide *Coadjutor.* Clerici non possunt, nec debent se immiscere secularibus negotiis, & quibus? *Tit.* 50. *numer.* 1 *& seqq.*

3. Clerici sæculares gaudent asylo, non item Religiosi, contrà Superiores suos, *T.* 49. *num.* 57. *& seqq.* Clerici tàm sæculares, quàm Regulares & bona eorum cuncta gaudent immunitate reali, & personali, *Tit.* 49. *numer.* 232. *& seqq.* Suntque exempti ab omnibus exactionibus, oneribus, ac tributis, *num.* 327. *& seqq.* Clerici an, & quando possunt fidejubere? T. 22. *num.* 28. Clericis & Monachis prohibitum est exercere negotium seculare, & quale? T. 50. *num.* 2. *& seqq.* Agere officium Tabellionis, *num.* 5. *& seqq.* Audire jus civile, vel Medicinam, *num.* 8. Negotiari, *numer.* 11. Tractare causam sanguinis, dicere sententiam sanguinis, item interesse, & quomodò? *num.* 12. *& seqq.* Esse Duces militum, *num.* 15. Exercere Chirurgiam, & quomodo? *num.* 16. *& seqq.* Pœnæ Clericorum exercentium aliquod ex præfatis, *num.* 17. *& seqq.*

5. Clericus Censuram violans. Vide *Violantes Censuram.* Clerici medicinam, vel Chirurgiam exercentes, fiunt irregulares, si inde mors sequatur. *Tit.* 12. *num.* 200. Non item, si ex illorum venatione sequitur, *num.* 201. Clericus ordinem exercens, quem non habet. Vide *Ordinem exercens.* Clericus percussor. Vide *Percussor.* Clericum percutientes, vel manum violentam eidem injicientes, Quinam, & quando Excommunicationem Canonis incurrant? T. 39. *num.* 105. *& seqq.* Item quinam, & quando ab eadem Excommunicatione immunes sint? *num.* 117. *& seq.* Clerici non possunt accusare criminaliter, T. 12. *num.* 88. Nec esse testes in causa criminali coram Judice Laico, *num.* 106. Clericus per saltum promotus. Vide *Ordinatus.* Clericus venator. Vide *Venatio.*

R. J. Clerici de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis quomodo possint inter vivos disponere, C. II. R. LXXXIV. *n.* Clerici fendatarii propter feuda sæcularia præstant homagium propriè tale, C. I. R. XI. *num.* 6. Clerici non residentes non percipiunt fructus C. III. R. LV. *numer.* 10. Clerici non possunt habere plura beneficia, nec unum titulo Beneficii, alterum ut Commendam perpetuam, C. II. R. LXXXIV. *numer.* 6. Clerici non veniunt nomine populi in odiosis, benè verò in favorabilibus, R. XV. *numer.* 17. Clericorum appellatione non veniunt Episcopi, Prælati, Canonici, Religiosi, in odiosis, benè verò in favorabilibus, *ibid. num.* 18. Clericorum lascivè viventium pœnæ C. II. R. XXXI. *num.* 15. & 16. Clericum volentem, vel consentientem percutienti nihilominùs excommunicatur, *ibid.* R. XXVII. *n.* 6. Clericus Chirurgiam exercens, secuta morte, est irregularis, *ibid.* R. XIX *num.* 4.

COACTIO.

1. Coactio duplex, absoluta, & conditionalis, T. 40. *n.* 11. Gesta per coactionem absolutam, ipso jure sunt irrita, *n.* 10. & 13.

COADJUTOR.

3. Coadjutor & Coadjutoria quid? *Tit.* 6. *num.* 22. Coadjutor propriè non dicitur Prælatus, seu Rector Ecclesiæ, *num.* 23. Qualem habeat curam animarum? *num.* 24. Coadjutoria alia est perpetua, alia temporalis, *num.* 26. Differentia inter utramque, *num.* 27. Coadjutor debet habere requisitas qualitates ad officium, *num.* 28. Episcopo datus qualis esse debeat? & cujus ætatis? *nu.* 29. *& seqq.* Ex quibus causis detur Adjutor? *num.* 31. Quando detur ob senium? *num.* 32. Vel imperitiam? *num.* 33. Quare detur? *num.* 34. Clericus propter Coadjutorem non excusatur à residentia, *num.* 35. Nec Coadjutor propter residentiam Coadjuti, *num.* 36. Coadjutor perpetuus, non nisi à Papa dari potest, *num.* 37. Etiam temporalis non nisi à Papa vel Episcopo dari potest, *num.* 39. *& seqq.* Episcopi à cura remoti, vel dementes, an & quomodo unum, vel plures Coadjutores assumere possint, vel teneantur? *num.* 41. *& seqq.* Episcopus compos rationis non potest cogi à Capitulo ad Coadjutorem assumendum, *num.* 45. Beneficiatis Episcopo inferioribus Coadjutorem quis det? *num.* 46. Officium Coadjutoris quale? *num.* 47. *& seq.* Simpliciter datus potest omnia, quæ posset principalis, *num.* 49. Nisi quid in Jure specialiter sit exceptum, *num.* 50. *& seqq.* Simpliciter datus an, & quomodo possit conferre Beneficia? *num.* 52. *& seqq.* Coadjutor debet moderatè sustentari ex bonis Ecclesiæ, cujus Prælato datur, *num.* 55. Quid si bona Ecclesiæ pro Coadjutore & Coadjuto non sufficiant? *num.* 56. *& seqq.* Coadjutoris temporalis officium exspirat morte quacunque, *num.* 59. Vel cessante impedimento adjuti, *num.* 60. Coadjutor debet reddere rationem gestæ Coadjutoriæ, *num.* 61. Coadjutoris perpetui officium non exspirat morte Coadjuti, *nu.* 62. *& seqq.* Coadjutoris electio requirit duas partes Capituli, T. 11. *num.* 32.

CODICILLUS, CODICILLARIS.

3. Codicillus quid? *Tit.* 26. *num.* 707. Ad quid servit? *num.* 709. Requiruntur ad illum quinque testes, & qui? *num.* 710. *& seqq.* In Codicillis parentum inter liberos & ad pias causas sufficiunt duo testes, *num.* 712. Codicillum facere potest omnis, qui valet testari, & quomodo? *num.* 713. *& seqq.* Potest quis plures facere Codicillos, *num.* 715. Dispositio volentis testari, non valet ut Codicillus, si non habet clausulam Codicillarem, *nu.* 716. Nisi fiat inter liberos, vel ad causam piam, *num.* 717.

Codicillaris clausula quid? & quotuplex? *Tit.* 26. *num.* 718. Facit quid, testamento nullo, debeant præstari Legata, *num.* 719. Ac restitui tota hæreditas per modum fideicommissi, hæredi instituto, *num.* 720. *& seqq.* Vi clausulæ Codicillaris potest *Anacleti Reiffenstuel Repertorium.*

hæres institutus agere vel ex testamento, vel in vim Codicilli, *num.* 722. Ad effectum clausulæ Codicillaris requiruntur solemnitates Codicilli, *nu.* 723. *& seqq.* Refertur clausula in Bavaria præcipuè usitata, *Quidquid in vacuo testamenti spatio, vel in separata charta adjecero, volo ut valeat, ac si ab initio testamento fuisset insertum, numer.* 726. *& seqq.* Refertur clausula inutilis, *num.* 729.

COEMETERIUM.

3. Cœmeterium potest esse ab Ecclesiis remotum, T. 28. *numer.* 5. Cœmeterium conficitur, polluitur, & reconciliatur eodem modo, quo Ecclesia, T. 40. *num.* 29. Polluta Ecclesia polluitur Cœmeterium, sed non è contra, *num.* 30. Cœmeteria gaudent iisdem privilegiis, ac Ecclesiæ, T. 49. *num.* 11.

COGNATI, COGNATIO.

2. Cognati & agnati qui, & quomodo differant? T. 21. *nu.* 31. Usque ad tertium gradum non possunt compelli ad testificandum contrà suos consanguineos, *num.* 30. Fallit, quando veritas aliter haberi nequit, *num.* 34. & 35. Elique differentia inter agnatos & affines, & inter Parentes & liberos quoad hoc, *num.* 33. Vide *Consanguinei.*

3. Cognati & agnati qui? T. 20. *n.* 81.

4. Cognati & agnati, quid, & quomodo differant? T. 14. *n.* 6.

Cognatio legalis quid, & quotuplex? T. 12. *num.* 4. *& seqq.* Est triplex, Paternitas, nempe, *num.* 5. Fraternitas, *num.* 6. Inter quos hæc veretur? *ibid.* Et affinitas legalis, *num.* 9. Cognatio legalis etiam ex simplici seu minus perfecta adoptione oritur, *num.* 10. Cognatio naturalis quid? & quotuplex? & quando caulet impedimentum? Vide *Consanguinitas quomodo differat ab agnatione.*

Cognatio spiritualis quid, & unde? T. 11. *num.* 2. Non amplius oritur ex Catechismo, *num.* 3. Est solo Jure Ecclesiastico introducta, *num.* 4. *& seqq.* Olim triplex erat, Paternitas nempè, Compaternitas, & fraternitas, *num.* 6. *& seqq.* Hodie est restricta, *num.* 9. Et tantùm datur inter personas à Concilio Tridentino specificatas, videlicet ex Baptismo, *num.* 10. Confirmatione, *num.* 11. Doctrina practica inter quas personas non veretur cognatio spiritualis, *num.* 12. Ex Baptismo invalidè collato, *num.* 13. *& seqq.* Nisi parens in necessitate baptisaret, *num.* 15. Si unus tantùm Patrinus, vel unus & una designati Baptismo assistunt, contrahunt cognationem spiritualem, *num.* 16. Secùs si solis assistunt cæremonis, *numer.* 17. Quid si Baptismus iteratur? *num.* 18. Prohibitum est plures adhibere patrinos quàm duos, unum nempè & unam, *num.* 19. Si plures quàm fuerint designati, teneant infantem, soli designati contrahunt cognationem, *numer.* 20. Si verò plures, quàm duo fuerint designati, omnes eam contrahunt, *num.* 21. Etiam in privato Baptismo contrahitur cognatio spiritualis, *num.* 22. Per Procuratorem tenens infantem contrahit cognationem, non ipse Procurator, *numer.* 23. Ut cognatio contrahatur ex Baptismo, vel Confirmatione, requiritur ut Sacramentum sit validum, *numer.* 24. Ut Patrinus sit designatus à Parentibus, *num.* 25. Et baptisandum, vel confirmandum teneat, & quomodo? *num.* 26. Ut Patrinus in Confirmatione sit priùs ipse confirmatus, *n.* 27. & in baptismate ipso

baptisatus, *n.* 28. Parens in Baptismo solemni absque necessitate proprium levans infantem, nullam contrahit cognationem spiritualem, *n.* 30. *& seqq.*

COGNITIO.

2. Cognitionum ordo, quid, & quænam regulæ circà eam observandæ? T. 10. *n.* 3.

COHABITATIO.

3 Cohabitatio Clericorum cum mulieribus, *v. Clerici Cohabitatio.*

COLLATIO.

1. Collatio Beneficii, & Provisio, an sint idem? T. 3. *num.* 97. *& T.* 6. *num.* 16. *& seqq.* Collatio libera Beneficii quæ? *num.* 22. *& 24.* Collatio generatim dividitur in liberam, & necessariam, *num.* 23. Cur hæc dicatur necessaria, & prior libera? *num.* 24. Collatio libera quodammodo est donatio, *ibid.* in quo differat ab Electione? *num.* 25. Collatio Beneficii ad quem devolvatur, quando Episcopus, aut Capitulum Cathedrale, negligit illud intra debitum tempus conferre? T. 10. *num.* 22. Non valet collatio Beneficii facta post debitum tempus, *num.* 23. Etiamsi primo die post illud fiat, *num.* 24. Nisi de patientia tolleretur, & cur non valeat? *num.* 25. Collatio Beneficiorum an, & qualiter per Legatum à Latere fieri possit? T. 30. *num.* 31. *& seqq.*

1. Collatio votorum post publicationem scrutinii est facienda, & quomodo? T. 6. *num.* 130. Collatio illa debet esse numeri ad numerum, Zeli ad Zelum, & meriti ad meritum, *num.* 132. Et quâ ratione fiat hæc triplex collatio? *num.* 132. In electione unanimi fit sola collatio numeri, Zeli, & meriti, & quomodo? *num.* 134. Idem dicendum, si quis à duplo majori parte est electivus, *num.* 135. In electionibus Regularium fit sola collatio numeri ad numerum, & cur? *num.* 136. *& 137.* Vide infrà *Scrutatores, & Vota.* In electionibus quando vota dantur per schedulas an, & quomodo possit fieri collatio Zeli ad Zelum? T. 6. *num.* 334. *& 335.*

COLLUSIO.

5. Collusio quid? *Tit.* 22. *num.* 1. Dicitur etiam prævaricatio, vel tergiversatio, *num.* 2. Ordinariè non datur in Civilibus, sed tantum in Criminalibus, & Beneficialibus cautis, *num.* 3. Non tantum inter actorem, & Reum, sed etiam inter advocatos, & Procuratores, *num.* 4. Reus per collusionem absolutus potest denuò accusari, & inquiri, *num.* 6. *& seqq.* Pœna collusionis, *n.* 8. *& seqq.*

COMA.

3. Comam fictitiam portare & naturalem nutrire prohibitum est Clericis, T. 1. *num.* 87.

COMES.

4. Comites Palatini an, & quos legitimare possint? T. 17. *num.* 57.

COMMENDA

3. Commenda & Commendatarius quid? T. 5. *n.* 73. Quid juris de illis olim, & quid nunc? ac an Beneficium? *n.* 74. *& seqq.*

COMMODATARIUS, COMMODATOR, COMMODATUM.

3. Commodatarius non tenetur de casu fortuito, *Tit.* 15. *num.* 29. Nisi fuerit conventum, *num.* 30. Vel ipse sit in mora reddendi, *num.* 31. Nisi eodem modo res peritura fuisset apud Dominum, *num.* 32. Ex qua culpa teneatur? *num.* 33. *& seqq.* An Commodatarius teneatur prius salvare res commodatas, quàm proprias? *n.* 43. Et T. 16 *num.* 40. *ac seqq.* Commodator & Commodatarius quis? T. 15. *num.* 2. Ex qua culpa hic teneatur? *num.* 20.

Commodatum quid? Et quomodo differat à cæteris contractibus, T. 15. *n.* 2. *&* 3. Debet esse gratuitum, *num.* 5. Quomodo differat à pignore, depositò, & mutuo? *num.* 6. Atque precario, *num.* 7. Quæ res commodari possint? *num.* 8. *& seqq.* Commodari potest etiam res usu consumptibilis, *num.* 9. Profana & sacra, *num.* 10. Obligationes Commodatarii, *num.* 11. *& seqq.* Non potest uti re commodata nisi ad usum concessum, *ibid.* Ad quem si utatur, nihil tenetur, & est sine culpa sua, *n.* 12. Commodatarius debet commodatum debito tempore restituere, *n.* 13. Et interim exactissimâ diligentiâ custodire, *num.* 15. Atque damna reparare ex culpa sua etiam levissima contingentia, *num.* 16. Ex qua culpa teneatur? *n.* 29. *& seqq.* Actiones ex commodato quæ? *n.* 38. *& seqq.*

COMMISSIO.

1. Commissio gratiosa, seu facultas in favorem tertii concessa, quando censeatur continere gratiam factam, vel faciendam? T. 3. *n.* 253.

COMMODUM.

1. *Commodum qui sentit, debet sentire & onus*, Limitatur T. 2. *n.* 312.

COMMUNE, COMMUNITAS.

2. Commune quod est, meum est, T. 22. *num.* 245.
3. Commune bonum & utilitas præfertur privato, T. 31. *n.* 266.

Communitas in Monasteriis ubi non viget, regularis disciplina deficit, T. 35. *n.* 15.

COMMUNICATIO.

5. Communicatio privilegiorum, vide *Privilegiorum communicatio.*

COMMUNIO.

5. Communio quid, & quotuplex? T. 39. *num.* 54. *& seqq.* Quânam privet Excommunicatio Major? *num.* 58. *& seqq. & n.* 71. *& seqq.*

COMMUTATIO.

3. Commutatio voti quid? Et à quo fieri possit? T. 34 *n.* 43. *& seqq.*

COMPARATIO.

2. Comparatio Litterarum quam vim probandi habeat? T. 22. *num.* 166. *& seqq.* Se Sola plenè non probat, *num.* 167. Ea est periculosa, & cur? *num.* 166. An saltem probet semiplenè? *num.* 167. Quâ formâ, & quo ordine fieri debeat? *num.* 168. Ea non habet locum, nisi ipsam petens juret, se non habere alias probationes, *num.* 169.
5. Comparatio Litterarum, vel scripturæ quando, & quomodo fieri possit, ac debeat? *Tit.* 1. *num.*

393. *& seqq.* Præstat ad eam assumere peritos in arte, *n.* 394. Et quomodo? *n.* 395. Judicium peritorum in arte & oblatio illius, *n.* 396.

COMPENDIUM.

5. Compendium Privilegiorum nostrorum exactè fuit reformatum juxtà Decreta Concil. Trident. & Constitutiones Pontificias, indeque magnæ authoritatis, & securitatis, T. 33. *n.* 235. Contenta in illo Privilegia scripta, seu Bullata, & oracula authentica valent pro utroque foro, *n.* 238. Paucis exceptis, & quibus? *n.* 259. Valent etiam plurima alia vivæ vocis oracula non authentica, & quæ? *n.* 236.

COMPENSATIO.

3. Compensatio occulta an, & quando licita sit famulis & officialibus ob salarium minus justum? T. 18. *n.* 105. *& seqq.* Compensatione publica vel occulta, quando & quomodo possint solvi debita? T. 23. *nu.* 59. *& seqq.*
4. Compensatio adulterii & aliorum delictorum quando fiat? T. 19. *n.* 85. Compensatio pecuniaria an, & quomodo licita sit, ac fieri debeat pro remissione obligationis nubendi? T. 1. *n.* 167.

COMPOSITIO.

1. Compositio amicabilis quæ, & quomodo differat à transactione? T. 36. *n.* 13. *&* 14. Quomodo possit fieri super Beneficio Ecclesiastico? *num.* 40. *& seqq.* Compositor amicabilis, quomodo differat ab arbitro? T. 43. *n.* 4.

COMPROMISSARIUS, COMPROMSSIUM.

1. Compromissarius datus ad eligendum, potest postulare, T. 5. *n.* 28. Compromissarius in electionibus quales esse debeant? T. 6. *n.* 69. *& seqq.* An necessariò debeant esse de gremio Capituli? *num.* 69. Non possint esse Laici, *n.* 70. Compromittentes tenentur recipere electum à Compromissariis cæteroquin idoneum, *n* 85. Si Compromissarius eligit indignum, potestas eligendi revertitur in compromittentes, *n.* 88. Nisi ratam habuerint talem electionem indigni, *n.* 89. Et ad quem tunc devolvatur potestas eligendi? *num* 90. Compromissarius eligens scienter indignum in Episcopum, quas pœnas incurrat? *num.* 91. *&* 92. Quid juris, si Compromissarius negligat eligere intrà tempus à Jure statutum? *num.* 93. *& seqq.* Disparitas inter Compromissarii negligentiam, & electionem indigni, *num.* 95. Quando Compromissarius elegit idoneum, & is consentire renuit, jus eligendi redit ad compromittentes, *n.* 96. Unus Compromissarius nequit eligere se ipsum, *n.* 97. Etiamsi judicet se cæteris digniorem, *n.* 98. Compromissarii, si sint plures, possunt eligere unum ex se ipsis, *n.* 99. *& seqq.* Compromissarius à medietate aliorum Compromissariorum electus, & electioni de se factæ consentiens, censetur ritè electus, *num.* 101. *& seqq.* Nec talis eligit se ipsum, *n.* 102. Solvuntur instantiæ, *n.* 103. *& seqq.*
1. Compromissum, seu potestas eligendi data Compromissariis, an & qua ratione revocari valeat? T. 6. *num.* 79. *& seqq.* Potest illud re integra liberè revocari; secùs, si res non amplius sit integra, *n.* 79. *&* 80. Res integra, in proposito quandiu sit? *num.* 82. Compromissum nequit revocari à paucioribus, *n.* 83. Compromittentes tenentur recipere electum à Compromissariis, *num.* 85. Dummodò servata fuerit forma Compromissi, *num.* 86. Simulque electus existat idoneus, *num.* 87. *& seqq.* In compromisso consensus electi auget numerum votorum, *n.* 103. *& seqq* Forma eligendi per Compromissum, & quasi Inspirationem an sit sublata quoad Regulares per Concil. Trident. *num.* 347. *& seqq.* Vide *Electio per Compromissum.* Compromissum in Arbitros, vel sit simpliciter, vel cum adjectione pœnæ, T. 43. *n.* 82. Quis sit effectus Compromissi in arbitros simpliciter facti, & Laudi per hos pronunciati? *n.* 83. *& seqq.* Quis sit effectus Compromissi in Arbitros cum appositione pœnæ facti? & Laudi per eos pronunciati? *num.* 87. *& seqq.* Compromissum in Arbitros quibus modis finiatur? *n.* 110. *& seqq.*

R. J. Compromissarius eligens indignum, eligere ampliùs non potest, C. II. R. LII. *num.* 13.

CONCESSIO, CONCESSUM.

1. *Concessio specialis est fortior quàm generalis*, Declaratur, T. 2. num. 321. *Concessum intelligitur, quod expressè non prohibetur*, T. 3. num. 33. *Et prohibitum intelligitur quod non reperitur concessum*, Concordantur hæ Regulæ, *n.* 34.
2. Concessio Principis in dubio est interpretanda, ut nulli tertio irrogetur præjudicium, T. 30. *n.* 14.
3. Concessio, ac promissio Beneficiorum non vacantium fieri non potest, T. 8. *num.* 18. *& seqq.* Beneficii vacaturi promissio non obligat, *num.* 19. Nec obstat appellatio, *num.* 21. Solvitur instantia ex Jure, *num.* 22. Potest tamen admitti Canonicus supernumerarius, *num.* 23. Probatur ex Consuetudine, *num.* 24. Et Jure Canonico, *num.* 25. Quando valeat, & quid operetur Canonici supernumerarii receptio? *num.* 26. *& seqq.* Differentia inter receptionem alicujus in Canonicum, & inter promissionem Præbendæ vacaturæ, *num.* 31. Receptio supernumerarii non reddit affectam Præbendam primò vacaturam, *num.* 32. *& seqq.* Instantia pro valore promissionis præbendæ vacaturæ solvitur, *num.* 34. An supernumerarii Canonici habeant stallum in Choro, vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas, *num.* 35. *& seqq.* Concessio seu Collatio Beneficii non vacantis, *num.* 9. *& seqq* Beneficia triplicia intelliguntur vacare, *ibid.* Et quomodo? *num.* 3. *& seqq.* Qualiter vacare debeant Beneficia, ut aliis conferri possint? *num.* 7. Vacantia quo tempore conferri debeant? *ibid. & seqq.* Beneficium de Jure tantum vacans, potest & debet conferri intrà trimestre, *num.* 9. Impetrans illud à Papa debet facere mentionem de possessione alterius, *num.* 11. Nisi hæc apertè sit injusta, *num.* 12. Vel Rescriptum Papæ habeat Clausulam, *Motu proprio*, num. 14. Vel, *amoto quolibet illicito detentore*, num. 15. Dummodò hæc Clausula sit posita in litteris gratiosis, *n.* 16. Beneficia de facto solùm vacantia non possunt aliis conferri, *n.* 10. Concessum intelligitur quod expressè non prohibetur, T. 17. *n.* 22.

R. J. Concessio generalis non inducit quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus, C. II. R. LXXXI. Concesso uno, conceduntur omnia quæ spectant ad illud, R. XXXIX. *num.* 12. Concessa alicui non sunt ab alio trahenda in exemplum. Vide *Gratia, & Necessitas.*

CONCILIUM.

1. Concilium generale absolutè positum, & Concilium Lateranense, quale? P. *num.* 112. In Decreto Concilii Tridentini prohibitum est Glossas, ullumve interpretationis genus edere, P. *num.* 124. Sed hoc specialiter concessum est Sacræ Congregationi Cardinalium, & qua ratione? *num.* 125. *& seqq.* Concilium Generale Viennense quando celebratum, & quæ in ipso fuerint definita? T. 1. *num.* 231. *& seqq.* Concilium generatim quid? T. 2. *num.* 60. Concilium Generale, Episcopale, seu Synodus Diœcesana, quid? *num.* 61. Concilium Generale potest facere Constitutiones totam Ecclesiam obligantes, *num.* 62. Dummodo accesserit confirmatio Summi Pontificis, *num.* 63. Cur Concilium Gene-

rale convocetur à Papa? *n.* 64. & 65. Concilium Generale non est supra Papam, *num.* 68. Concilia particularia possunt facere novas Constitutiones, quæ tamen solùm obligant subditos proprii territorii, *num.* 67. Unde quædam Decreta Conciliorum particularium habeant vim Legis universalis? *num.* 68. Concilii Generalis Decretis an derogetur absque expressa ejus mentione? T. 2. *num.* 519. & *seqq.* Refertur sententia negativa, præsertim si Concilium Generale sit novissimum, *n.* 519. & *seqq.* Sententia hæc generaliter prolata non subsistit, *n.* 522. & *seqq.* Per posterius Decretum Concilii Generalis derogatur priori directè contrario, nulla facta ejus mentione, *n.* 523. Id ipsum patet ex praxi Concilii Tridentini, *num.* 524. Etiam per Constitutiones Pontificias derogatur prioribus Decretis Concilii Generalis directè contrariis, absque expressa mentione Concilii, *num.* 525. & 526. Secùs dicendum de Rescriptis, *num.* 527. Disparitas inter Rescripta, & Constitutiones Pontificias quoad hoc, *num.* 527 & 528. Pro derogatione Concilii Tridentini sufficit Clausula Generalis absque speciali ejus mentione, & cur? *n.* 529. Stylus Curiæ Romanæ cur in concessionibus, vel confirmationibus privilegiorum apponat Clausulam illam? Quatenus Decretis Concilii Tridentini non adversantur, *num.* 530. Concilio Tridentino nec fas est, nec oportet, speciatim derogare, *n.* 531. & 532.

3. Concilio Generali non derogatur per dispositionem subsequentem, nisi ejusdem expressa fiat mentio, T. 30. *n.* 60.

4. Concilium Tridentinum, ubi non est promulgatum, vel receptum an, & quando valeant Matrimonia Catholicorum, & Hæreticorum? T. 3. *num.* 16. & *seqq.*

5. Concilium Tridentinum an, & quibus revocârit Regularium privilegia? T. 33. *n.* 235. & *seqq.*

CONCIO.

5. Concionem audire possunt excommunicati, T. 39. *num.* 63.

CONCLUSIO.

2. Conclusio in causa ligat manus, & claudit os partibus, T. 12. *n.* 305. Non tamen Judici, *num.* 306. Post conclusionem in causa non licet Actori à petitorio regredi ad possessorium, *num.* 299. & 305. Potest tamen ex gravi causa Judex talem regressum tunc concedere, *n.* 307.

2. Conclusio in causa quid, & quomodo fiat? T. 19. *num.* 159. An ea in Judicio Summario, vel ordinario, requiratur de necessitate? *num.* 160. Post conclusionem in causa regulariter non admittuntur novæ probationes, *num.* 161. Saltem super eisdem articulis, benè tamen super novis, *num.* 162. Dantur nihilominùs plures casus in quibus novæ probationes admittuntur, post conclusionem in causa, Tit. 19. *num.* 163. & *seqq.* Ut in causa criminali, præsertim capitali, pro defensione Rei, *num.* 163. Item in causis Beneficialibus, *num.* 164. Et in causis matrimonialibus, & quibus? *num.* 165. Idem fit in confessione partis, & probatione per rei evidentiam, seu ocularem inspectionem, *num.* 166. In probatione juramenti suppletorii antea petiti, *num.* 167. In testibus, & instrumentis de novo repertis, *num.* 168. Item accedente magna æquitate, *num.* 169. Atque ex officio Judicis, *num.* 170. Quoad Judicem nunquam censetur conclusum in causa, *ibid.* Valet receptio testium post conclusionem in causa, si nemo contradixit, T. 20. *num.* 452. Conclusio in causa non est de substantia Processûs judiciarii, T. 27. *num.* 48. Quod circa eam observetur in Camera Imperiali? *ibid.* Quomodo fiat? *nu.* 49. & *seqq.* Potest fieri tam ore tenus, quàm scripto, imò & tacitè, *ibid.* Passim confunditur cum renuntiatione probationum, *num.* 50. Strictè tamen differunt, & in quo? *num.* 51. Vulgaris formula concludendi in causa quæ? *num.* 52. Quid, si una pars concludat in causa, & altera adhuc aliquid proponere velit? *nu.* 53. & *seqq.* Conclusio in causa solet fieri nonnunquam conditionatè, & cur? *num.* 54. Conclusio in causa partibus os obstruit &c. *ibid.* Nisi ex justa causa, vel æquitate, videantur Judici novæ probationes admittendæ, *num.* 55. Judici nunquam concluditur in causa, *num.* 56. Potestque is conclusionem in causa revocare, *ibid.*

CONCORDA, CONCORDATA

3. *Concordata tempora, & concordatis Jura.* T. 5. num. 272. & T. 8. n. 22.

1. Concordata Germaniæ quid disponent circà præsentationem Relcriptorum ad Beneficia? T. 3. *num.* 58. Per Concordata Germaniæ confirmatio Episcoporum reservatur Summo Pontifici, T. 6. *n.* 322.

3. Concordatorum Germaniæ origo, T. 5. *num.* 156. An eisdem præjudicet appositio manûs Pontificiæ in materia Beneficiaria? T. 5. *num.* 425. & *seqq.* Concordata Germaniæ, quæ, cur, & quando erecta? *n.* 534. Refertur per extensum eorum tenor, *num.* 535. Hæc sunt favorabiliora ordinariis quàm Regulæ Cancellariæ, *num.* 536. Papa eisdem absolutè non est alligatus, *num.* 537. Discrimen aliquod inter alternativam mensium in Regulis Cancellariæ & Concordatis, *num.* 538. & *seqq.* Concordatis Germaniæ nequit opponi præscriptio, aut non usus ipsorum, *n.* 541. & *seqq.* Refertur circa hoc Bulla Clementis VII. *Admonet nos.* num. 543. & seqq. Quid juris, si quis obtinet Beneficium contrà Concordata Germaniæ? *num.* 545. Quæ Beneficia sibi reservarit Papa in Concordatis Germaniæ? *n.* 546. & *seqq.* Sunt inter alia Beneficia vacantia in Curia, *ibid.* Promotorum auctoritate Apostolica ad Episcopatus & Monasteria, *num.* 547. Majores Dignitates in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis, *num.* 550. Nisi adsit Privilegium, *num.* 551. In cæteris Dignitatibus & privilegiis quibuscunque datur mensium alternativa, *num.* 552. & *seqq.* Excipiuntur aliqua Beneficia, *num.* 555. Ut Juris Patronatus Laicorum, *ibid.* Item Beneficia vacantia per resignationem, *num.* 557. Atque Beneficia alteri accessoriè unita, *num.* 558. Quid juris de Beneficio vacante in mense Pontificio, si eidem intrà tres menses non provideat Papa? *num.* 560. & *seqq.* Quando tribuitur hoc incipiat currere? & quomodo computetur? *num* 561. & *seqq.* Currit Papæ ignoranti, *num.* 564. Ac etiam sede vacante, *n.* 565. & *seqq.* An & quomodo post lapsum trium mensium Papa adhuc conferre possit? *num.* 567. & *seqq.*

CONCUBINA, CONCUBINATUS.

3. Concubina, & Concubinatus quid, & quomodo differant à simplici fornicatione? T. 2. *n.* 11. Concubinarii Clerici pœna. Vide *Clericorum Concubinariorum pœna.*

5. Concubinatus quid? T. 16. *num.* 60. & *seqq.* Pœna illius de jure civili, *num.* 62. Et de Jure Canonico, *num.* 36. Præsertim contrà Clericos Concubinarios, aut suspectas mulieres habentes in domo, vel extra, *num.* 64.

CONCUPISCENTIA.

R. J. Concupiscentiæ prohibitione prohibentur omnia mala, C. II. R. XXXIX. *num.* 6.

CON-

CONCURSUS.

3. Concursus in Collatione Beneficiorum. Vide *Beneficiorum Collatio per concursum.* Concursui subjectæ sunt Parochiæ Juris Patronatûs Clericalis, non item Laicalis, T. 38. *n.* 65.

CONDEMNATUS.

Condemnato ad mortem aliquo, quilibet potest pro illo appellationem suscipere, etiam eo invito, C. II. R. XIX. *n.* 14.

CONDICTIO.

2. Condictio & condicere quid? T. 13. *num.* 26. Condictio ex lege, quid? *ibid.* Remedium spoliatorum ex conditione Triticaria? *num.* 4. Et ex Condictione incerti, *num.* 5. Et ex Condictione indebiti, declaratur, *num.* 6. Condictio ex *Cap. sæpè de Restit. Spoliat.* in quo consistat? *n.* 27. Datur contrà quemcunque tertium possessorem, qui rem invasam scienter, & à quocunque recepit, *num.* 28. Secùs, si ignoranter, *n.* 29. In dubio præsumitur ignorantia, nisi invasio sit notoria, *num.* 30. Condictio *ex Can. Redimtegranda*, 3. q. 1. Declaratur, T. 13. *num.* 31. & *seqq.* Extenditur ad quoscunque Clericos, *num.* 32. An etiam competat Laicis pro recuperandis rebus profanis? *num.* 33. & *seqq.* Affirmativa sententia est communis, ejusque fundamentum, *num.* 34. Solvuntur contraria, *n.* 35. & *seqq.* Condictio *ex L. si quis in tantum. C. unde vi*, adversùs quem competat? quidque conferat? T. 13. *num.* 38. Pœnæ hujus legis locum duntaxat habent post sententiam Judicis, *num.* 38. & *num.* 64. Condictio, *ex L. Extat, ff. De iis quæ vi, metúsve causa &c.* declaratur, *num.* 39. Condictio *ex L. Invasor, C. Unde vi*, explicatur, *num.* 40. Remedium istud possessorium habet duo remedia, & quæ? *num.* 41. Condictio, *ex L. vet. C. unde vi, adversus quem competat?* nu. 42. Et in quo differat à Condictione, *ex L. si quis in tantam, C. unde vi*, *n.* 43. & à Condictione, *ex L. Invasor. C. unde vi*, *n.* 44.

5. Condictio furtiva quid? Cui? & contrà quem competat? T. 18. *n.* 34.

CONDITIO, CONDITIONATA.

1. Conditio apposita suspendit effectum concessionis Pontificiæ, T. 3. *n.* 75. Est servanda in forma specificata, T. 9. *n.* 147.

2. Conditiones illæ, quæ tacitè, seu de Jure insunt, non faciunt actum conditionatum, benè tamen conditiones extrinsecæ, T. 24. *n.* 59.

3. Conditio quid? & quotuplex? T. 26. *n.* 437. Et *nu.* 632. Turpis, vel impossibilis habetur pro non adjecta, *n.* 441. Quid operetur in testamentis? *n.* 437. & *seq.* Conditio habetur pro impleta, si non stat per eum ad quem pertinet, *n.* 444. Conditio suspensiva, & resolutiva quid? & quænam faciat conditionatum contractum? T. 17. *n.* 269. Item quænam, & quando suspendat actum? T. 31. *n.* 175.

Conditionata Legata. Vide *Legatum sub conditione.*

4. Conditio variè accipitur, T. 5. *num.* 2. & *seqq.* Propriè quid sit? *num.* 3. Alia est tacita, alia expressa, *num.* 4. Alia de præsenti, alia de præterito, alia de futuro, quæ ultima sola est propriè conditio, *nu.* 5. Conditio de futuro, alia est necessaria, alia contingens, alia potestativa, alia casualis, alia mixta, *num.* 6. Alia possibilis, alia impossibilis, *n.* 7. Alia honesta, alia turpis, *n.* 8. Alia suspensiva, alia resolutiva, *num.* 9. Conditio necessaria quæcunque Matrimonio, vel alii contractui apposita, habetur pro non adjecta, T. 5. *num.* 10. Nisi adjiciatur pro temporis determinatione, *nu.* 11. Conditio de præterito, vel præsenti non vitiat actum, sed subsistit illicò, si conditio existit, si non nullus est, T. 5. *nu.* 12. Idem est de Matrimonio & sponsalibus. *n.* 13. & *seqq.* Conditio possibilis, & honesta de futuro suspendit quemque contractum, T. 5. *num.* 15. Qui tamen adimpleta conditione statim valet sine novo consensu, *num.* 16. Etiam Matrimonium, *num.* 17. Probatur ratione, *num.* 18. Et declaratione Cardinalium, *num.* 19. Matrimonium sub conditione de præsenti initum non potest consummari, donec reseiatur extare conditionem, *num.* 20. Conditionata Matrimonia, & sponsalia an sint licita? Vide *Matrimonium, & sponsalia sub conditione.* Conditio, si *Papa dispensaverit*, an validè, & licitè adjiciatur Matrimonio, vel sponsalibus? T. 5 *nu.* 23. & *seqq.* Conditio, *si te virginem invenero*, an, & quando licitè apponatur Sponsalibus, vel Matrimonio? *Tit.* 5. *num.* 38. & *seqq.* Conditio, *si non nubas*, licitè, & validè apponitur Legatis, T. 21. *num.* 49. Conditiones requisitæ ad hoc, ut Episcopus seclusо Privilegio dispensare valeat pro foro interno super impedimentis Matrimonii occultis. A *num.* 42. & *seqq.* Conditionis impedimentum quid? *Tit.* 9. *num.* 2. Est jure naturæ introductum, *num.* 3. Persona libera si contrahat cum servili ignoranter, nullum est Matrimonium, *num.* 4. Dummodò talis persona propriè sit servus, aut ancilla, *num.* 5. Duæ personæ serviles validè & licitè etiam invito Domino contrahunt Matrimonium, *num.* 6. Matrimonium liberæ cum servili cognita valet, *num.* 8. Solvitur instantia, *num.* 9. Liber contrahens cum libera, quam putat esse servam, validè contrahit, *num.* 10. de liberis servorum, & divortio liberi cum serva remissivè, *num.* 11.

R. J. Conditio alia est de præterito, alia de præsenti, alia de futuro, alia de futuro necessario, alia de contingenti, C. II. R. L. *num.* 4. &c. Conditio habetur pro impleta, cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominùs impleatur, R. LXVI. *n.* 2. &c. Conditio turpis vel impossibilis habetur pro non adjecta, R. L. *num.* 13.

CONDUCTIO, CONDUCTOR.

3. Conductio. Vide *Locatio.*

Conductor quis? T. 18. *num.* 7. Conductoris obligationes & Jura, *num.* 57. & *seqq.* Tenetur pretium debito tempore fideliter solvere, *ibid.* Et rem conductam non nisi ad conductum usum adhibere, *nu.* 58. Atque eandem ante finitum conditionis tempus absque justa causa non deserere, *nu.* 59. Damnum ex ipsius causa lata, vel levi in re conducta emergens, tenetur refarcire, non item quòd contingit casu fortuito, *num.* 60. Vel causa levissima, *nu.* 61. Nisi desuper specialis fiat conventio, *n.* 62. Aut Conductor ex causa sua det causam casui fortuito, *num.* 63. Tenetur Conductor ad damnum, sive propria, sive famulorum causa contingat, *nu.* 64. Si fuit negligens in eligendis bonis servis, *num.* 65. Cuinam incumbat probatio emergente damno? *num.* 66. & *seqq.* Conductor de incendio culpâ servorum contingente quando teneatur? *n.* 70. & *seq.* Quando non constat unde incendium exortum sit, nec conductor, nec Domestici puniri possunt, *n.* 72. Quando Conductor uti non potest re locata ob impedimentum ex parte sua proveniens, tenetur nihilominùs ad totam mercedem, *num.* 74. & *seqq.* Secùs est, si ex causa aliena id proveniat, *num.* 76. & *seq.* Conductor non tenetur augere mercedem ob sterilitatem, quæ provenit ex ejus industria, *num* 78. Neque si proveniat ex Cœli clementia, *num* 79. & *seq.* Conductori competit actio ex conducto contra Locatorem, *num.* 81. Et hæredes ejus, *num.* 82. Successor Ecclesiasticus non tenetur stare locationi factæ ab antecessore nomine proprio, *num.* 83.

num. 83. Benè verò factæ nomine Ecclesiæ, *n.* 84. Num Jura & obligationes conductoris transeant ad hæredes ejus? *num.* 85.
Conductoris operarum obligationes & Jura, *Tit.* 18. *num.* 86. *& seqq.*

CONFESSARIUS, CONFESSIO, CONFESSUS.

1. Confessarii quomodolibet exempti, sollicitantes in Confessione subliunt Inquisitoribus Hæreticæ pravitatis, & locorum Ordinariis, *T.* 31. *n.* 151.
2. Confessio quando censeatur facta in judicio? *T.* 1. *num.* 24. Confessio Clerici criminosi facta coram Judice seculari, an & quales habeat effectus? *n* 81. & 82. Per confessionem Rei in judicio factam, an inducatur litis contestatio? *T.* 5. *num.* 17. *& seqq.* Vide infrà, *Litis contestatio.* Confessio facta ex calore iracundiæ non tenet, nisi in ea detur perseverantia, *T.* 14. *num.* 118. & *T.* 18. *num.* 21. *& 45.* Confessio quid, & quotuplex? *T.* 18. *num.* 2. *& seqq.* Confessio generalissimè sumpta, quæ? *n.* 2. Confessio judicialis, quæ? *num.* 4. Potest in Jure fieri tripliciter, *num.* 5. Facta coram Judice non legitimo, an teneat? *nu.* 6. Utrum debeat fieri coram Judice pro Tribunali sedente? *n.* 7. Confessio extrajudicialis quæ? *num.* 8. Facta coram Notario, an censeatur judicialis? *n.* 8. *&* 9. Coram Arbitratore est extrajudicialis, *num.* 10. Secùs, si fiat coram Arbitro, *num.* 11. An sit species probationis, *num.* 12. *& seqq.* Propriè non est probatio, sed probationis revelatio, *num.* 13. *& seq.* Referuntur casus, in quibus non admittitur probatio, benè tamen confessio, *nu.* 14. Ad confessionem validam plures requiruntur conditiones, *n.* 17. *& seq.* Nempe ut confessus sit major viginti quinque annis, *num.* 18. Et quid de confessione Pupillorum, & Minorennium? *ibid.* Ut Confessio spontè fiat, *n.* 19. Et quid de Confessione tormentorum vi extorta? *ibid.* Ut Confessus sit sanæ mentis, non furiosus, &c. *num.* 20. Ut Confessio sit contrà se, *nu.* 22. *& seq.* Fiatque in judicio, *num.* 26. Et præsente Adversario, *ibid* Ut non sit incerta, nec erronea, *num.* 27. Et sit facta de re litigiosa, *n.* 28. Ipsique favor non repugnet, *num.* 29. *& seq.* Et ut Confessioni nec Jus, nec Natura repugnet, idque exemplificatur, *num.* 32. *&* 33. Aliæ conditiones ad validam confessionem requisitæ, remissivè, *n.* 34. Confessio pro se, sive ad obligandum alterum sibi, non valet, *n.* 22. Ne quidem in mortis articulo, *n.* 23. Confessio unius in præjudicium alterius non probat, *n.* 24. Putà, Confessio mariti de dote recepta in præjudicium Creditorum, *num.* 25. Confessio contrà valorem matrimonii non valet, *n.* 30. Benè tamen pro Matrimonio, *n.* 31.
Confessio extrajudicialis quam vim probandi habeat, si fiat præsente adversario? *T.* 18. *num.* 35. *& seq.* Potest variè fieri, *num.* 35. Et qualiter ea probetur? *num.* 36. Confessio extrajudicialis præsente adversario, & cum adjectione causæ facta, in civilibus plenè probat, *num.* 37. *& seq.* Pars adversa, quando censeatur esse præsens? *num.* 39. In causis criminalibus, quam vim probandi habeat confessio extrajudicialis? *num.* 40. *&* 41. Confessio solùm incidenter facta plenè non probat, etiam causa expressa, *num.* 44. *&* 45. Confessio extrajudicialis ut plenè probet, an requiratur ejus acceptatio? *T.* 18. *num.* 46. *&* 47. Consultum est ipsam expresè acceptare, *num.* 48. Confessio extrajudicialis præsente adversario, sed sine adjectione causæ facta, regulariter plenè non probat, etsi faciat aliquam præsumptionem, imo & semiplenam probationem, *num.* 49. Fallit illud in pluribus casibus, *num.* 50. *& seqq.* Confessio extrajudicialis etiam sine addita causa, plenè probat liberationem, & quando? *n.* 50. *&* 51. Confessio jurata, etiam sine causa, plenè probat, *num* 52. Sicut & confessio geminata, *num.* 53. Confessio extrajudicialis, absente parte facta, an probet? *num.* 54. *& seqq.* Ea regulariter plenè non probat, *n.* 54. *&* 56. Ampliando illud ad confessionem in judicio factam, *num.* 55. Probat tamen plenè, quando intervenit juramentum, *num.* 56. Aut quando facta est cum expressione causæ per scripturam, &c. *num.* 57. Vel fuit geminata ex intervallo, *ibid.* Aut ab alio acceptata nomine alterius, *num.* 58. Seu facta favore causæ piæ, *ibid.* Confessio parte absente facta, de æquitate Canonica facit plenam probationem, *n.* 59. Dummodo illa confessio fuerit plenè probata, & qualiter ita probetur? *num.* 60. Simulque ea sit facta animo deliberato, ac serio, sitque certa & non æquivoca, *n.* 61.
Confessionis judicialis effectus qui? *T.* 18. *num.* 62. *& seqq.* Hæc plenè probat, & inducit notorium juris, *num.* 62. Confessio facta in judicio summario, probat etiam in plenario, quando tendit ad eumdem finem, *n.* 63. Ea in causis civilibus habet vim sententiæ, & rei judicatæ, *num.* 64. Secùs in criminalibus, & cur? *num.* 65. Antequam ex propria confessione Reus condemnetur ad mortem, debet constare de corpore delicti, *ibid.* Confessio judicialis convalidat nullitatem processûs, *num.* 66. Atque excludit appellationem, præsertim in causis civilibus, *num.* 67. *&* 70 Intelligendo illud de verè confesso, secùs in ficte confesso, *num.* 70. Contra confessum in judicio, an debeat ferri sententia diffinitiva? *num.* 71. *& seqq. Nullæ sunt partes judicantis in confitentes*, quomodo intelligendum? *num.* 76. Reus convictus in judicio, simul que confessus, appellare prohibetur, *num.* 67. *&* 68. & *T.* 28. *num.* 297. Confessio facta in judicio regulariter revocari non potest, *T.* 18. *n.* 77. Nisi revocetur in continenti, *num.* 78. Et quando dicatur revocari in continenti? *num.* 79. Potest etiam ex intervallo revocari, quando probatur per errorem facti contigisse, *num.* 80. Minorennes ex propria confessione graviter læsi, & quandoque Majorennes, restituuntur in integrum, *num.* 81. Confessio Prælati an noceat Ecclesiæ? *num.* 82. *& seqq.* Confessio Prælati administrationem non habentis, neutiquam præjudicat Ecclesiæ, *num.* 82. Et quid, si confiteatur de rebus illis, in quibus est legitimus administrator? *num.* 83. *& seq.* Confessio Prælati facta per viam contentiosæ jurisdictionis, probat contrà Ecclesiam, *num.* 83. *&* 84. Ecclesia tamen ex tali confessione graviter læsa, juvatur duplici remedio, & quali? *num.* 85. Confessio Prælati per modum voluntariæ jurisdictionis, non præjudicat Ecclesiæ, neque successori, *n.* 83. *&* 86. Etiamsi foret sigillata sigillo ejus, *num.* 86. Nisi confessio illa sit facta una cum Capitulo, *num.* 87. Vel Ecclesia non habeat Capitulum, *ibid.* Aut nisi confessio tendat ad aliquem liberandum, *num.* 88. Afferuntur aliæ limitationes, *nu.* 89. Confessio per viam contentiosæ jurisdictionis, & voluntariæ jurisdictionis, quæ? *num.* 83.
2. Confessio Procuratoris an præjudicet Domino? *T.* 18. *num.* 90. *& seq.* Facta in Judicio per viam contentiosæ jurisdictionis probat contra Dominum, nisi legitimè revocetur, *num.* 90. Idemque dicendum de confessione Oeconomi respectu Ecclesiæ, & Tutoris respectu Pupilli, &c. *ibid.* Secùs, si confessio illa est facta omninò spontè, *n.* 91. Solvitur instantia, *nu.* 92. Confessio judicialis per Procuratorem facta, potest revocari, *n.* 93. Nec opus est alia probatione erroris, quando revocatur in conti-

nenti, secùs aliàs; *num.* 93. *&* 94. Confessio Procuratoris, quando dicatur per Dominum revocata *in continenti? num.* 95. Confessio qualificata, quæ? *num.* 114. Quandoque fit simpliciter, quandoque sub adjecta qualitate, *num.* 115. Confessionis qualificatæ exempla referuntur, *num.* 115. *& seqq.* Confessio qualificata an ex parte possit acceptari, & ex parte reprobari? *num.* 119. *& seq.* Confessio continens diversa Capitula, potest ex parte acceptari, & ex parte reprobari, *ibid.* In causis civilibus, ubi præsumptio juris non stat contrà qualitatem adjectam, confessio qualificata debet vel tota recipi, vel tota respui, *num.* 120. Unde veritatem appositæ conditionis non tenetur probare ipsemet confitens, *num.* 121. Sed hanc debet refutare is, qui recipit unam partem confessionis qualificatæ, *num.* 122. Secùs est, quando præsumptio aliqua stat contrà confitentem, seu adjectam qualitatem, *num.* 123. In criminalibus potest confessio qualificata dividi, eaque sine qualitate acceptari, *num.* 124. *& seq.* Confessus tamen confessione qualificata non potest condemnari ad pœnam capitalem, *num.* 126. *&* 127. Confessio qualificata quòd scriptura privata grave delictum exprimens, sua manu fuerit conscripta jocosè solùm an præjudicet confitenti? *num.* 128. *& seqq.* Refertur notabilis casus circà hoc, *ibid.* Stante tali confessione scriptura privata probat plenè contrà confitentem, dummodo non agatur de imponenda pœna corporali, *n.* 129. *& seqq.*
Confessio Sacramentalis iniquè revelata, vel reperta Schedula Confessionis, non præjudicat pœnitenti in foro externo, *T.* 18. *num.* 132. *& seq.* Sacerdoti confessionem revelanti nullo modo creditur, *num.* 133. Depositio testium de Confessione Sacramentali forsan audita, contra pœnitentem nihil probat, *num.* 134. Inventor Schedulæ Confessionis peccat, scienter illam legendo, *num.* 135. Nec potest Judex de peccatis in ea descriptis inquirere, *num.* 135. *&* 136. Confessio per torturam extorta ut præjudicet confitenti, quæ requirantur, *nu.* 137. *& seqq.* Requiritur imprimis, ut constet de corpore delicti, *num.* 137. Deinde ut contrà tortum præcesserint legitima indicia, *num.* 138. Confessio per torturam extorta non præcedentibus legitimis indiciis, nihil probat, *ibid.* Vide *Judicia*, & *Tortura.* Ut Confessio facta in tortura probet, requiritur ulteriùs, ut tortus perstitat in confessione, *num.* 147. Qualiter Reus tortus censeatur perstitere in confessione? *num.* 148. Confessio criminis emanata sub spe immunitatis à Judice promissæ, an probet? *num.* 149. *& seqq.* Non sufficit ad pœna ordinaria condemnandum, *num.* 150. *&* 151. Sufficit tamen ad condemnandum Reum extraordinaria pœna, *num.* 152. Quid si Reus in illa confessione perseveraverit? *num.* 153. Confessione propria solet fieri probatio, *T.* 19. *num.* 20. Confessio partis etiam post conclusionem in causa, est recipienda, *num.* 166. facta in supplicatione Principi porrecta plenè probat, *T.* 22. *num.* 171. Inter confessionem extrajudicialem, & scripturam privatam, quæ disparitas? *num.* 173. Scriptura privata confessata, an & qualiter probet contra scribentem, vel tertium? *num.* 170. *& seqq.* Vide *Scriptura privata confessata.*
Confessio propria admittitur, contrà præsumptionem Juris, & de Jure, *T.* 23. *num.* 54. Imò & contrà sententiam, *num.* 55. Confessus judicialiter de proprio crimine, an possit interrogari de sociis criminis ejusque confessio adversùs istos admitti? *T.* 18. *num.* 96. *& seqq.* In criminibus exceptis potest de se confessus interrogari de sociis, *num.* 98. *& seqq.* Idem dicendum de illis delictis quæ ex natura sua petunt complicem, *num.* 104. Vel saltem in talibus circumstantiis socios requirunt, *num.* 105 Reus de se confessus potest interrogari de consociis in delictis occultis, & difficilis probationis, *n.* 106. Talis confessio, seu nominatio socii criminis, ad quid valeat? *n.* 107. *& seq.* Confessio socii criminis facta per Reum de se confessum, non est sufficiens indicium ad torturam, &c. *num.* 113.
3. Confessarius Monialium in quibus casibus possit ingredi clausuram Monialium? *T.* 35. *num.* 55.
5. Confessarii in, vel extrà Confessionale an, & quomodo suadere, vel mandare possint pœnam sanguinis absque Irregularitate? *T.* 12. *num.* 101. *& seqq.* Item qualiter Reum monere ut in via procedat, fealam ascendat, manus ligandas præbeat &c. *nu.* 110. Doctrina practica ad propositum, *num.* 111. Confessionem audiens non sacerdos. Vide *Ordinem exercens.* Confessio Rei facta sine tortura facit, quòd non amplius possit agere de nullitate processûs, *T.* 1. *num.* 215. Confiteri alicui extra ordinem non possunt Regulares, *T.* 39. *n.* 260. Nisi sint in itinere, *n.* 261. *& seqq.* vel in mortis, aut necessitatis articulo, qualis etiam est necessitas celebrandi, *num.* 263. Quid in Ordine nostro? *ibid.*
R. J. Confiteri non censetur exceptionem objiciens; C. II. R. LXIII. *num.* 2. *& seqq.*

CONFINIA.

2. Confinia probant lapides, seu Columnæ terminorum, *T.* 22. *num.* 225.

CONFIRMATIO.

1. Laici sæculares nullo modo eligere possunt quoad prælaturas Ecclesiasticas, *T.* 6. *nu.* 174. Nequidem cum Clericis, *ibid.* Solvitur instantia ex cap. *Querelam, de Elect. num.* 177. Laicus est incapax omnis Juris Ecclesiastici, *cit. T.* 6. *num.* 219. Nec potest eligi ad Prælaturas, benè tamen postulari, *ibid.* Laicus in Vicarium Generalem Episcopi nequit eligi, *T.* 28. *num.* 68. Potest tamen esse Assessor Judicii Ecclesiastici, *num.* 69. Laico cuipiam an possint delegari causæ Ecclesiasticæ, vel criminales, aut saltem civiles Clericorum? *T.* 29. *num.* 88. *& seqq.* Nequit Episcopus id facere, *ibid.* Benè tamen Papa, *num.* 92. *& 93.* Laicus an possit constitui Procurator ad agendum, & defendendum in causis spiritualibus? *T.* 38. *n.* 45. *& 46.* Laicus an possit esse Arbiter in causa spirituali? *T.* 43. *n.* 44. Et quid de causis civilibus Clericorum? *num.* 45. Differentia inter prorogationem jurisdictionis Laici in Clericum, & inter Compromissum hujus in ipsum, *num.* 46.

2. Laici cognitioni causarum Ecclesiasticarum, seu spiritualium, sese intromittere nec possunt, nec debent, *T.* 1. *num.* 66. *& seqq.* Idque ipsis prohibetur sub Censuris, *num.* 67. Laicus nec principaliter, nec incidenter potest cognoscere de causa spirituali, *num.* 68. Idque neque ex commissione Episcopi vel alterius Prælati Papâ inferioris, *nu.* 69. Neque unà cum Clerico sibi per Episcopum adjuncto, *num.* 70. Quamvis authoritate Episcopi possit de causa spirituali compromitti in Clericum, & Laicum simul ut in arbitrum; & quæ ratio disparitatis? *nu.* 71. Possunt tamen Laici in causis spiritualibus adhiberi assessores, *num.* 72. Laicus Judex an possit cognoscere de Jure patronatûs? *num.* 73. 75. *&* 76. Aut de Jure sepulturæ in loco sacro? *num.* 75. Et cur Laicus possit tale jus possidere, non autem de eo cognoscere? *num.* 75. Laicus Judex an possit supplere negligentiam Judicis Ecclesiastici in Causa Clericorum? Remissivè, *nu.* 82. Laicus nec principaliter, nec incidenter, potest Clericum de crimine judicare, & punire &c. *T.* 1. *n.* 84 *& seqq.* Tamen ex commissione Papæ potest esse Judex in causa criminali Clericorum, *num.* 87. Clericus coram Judice sæculari convictus, aut confessus, non idcircò potest à suo Episcopo condemnari, & puniri, *n.* 88. *&* 89.

Laici possunt merè temporalia Ecclesiarum, Personarumque Ecclesiasticorum tractare, *T.* 1. *num.* 77. *& seqq.* Non tamen possunt habere generalem administrationem omnium bonorum Ecclesiæ &c. *n.* 79. Nec habere quandam super Clericos præeminentiam, *num.* 77. *&* 80. Neque possunt cognoscere causas merè Civiles, quæ contra Ecclesias, vel Clericos intentantur, *n.* 81. *&* 82.

Laicus an, & qualiter ex concessione Papæ possit procedere contra Clericos? *T.* 2. *num.* 236. 237. *& seqq.* Utrum consuetudine introduci possit, ut Clerici coram Laico, seu Judice sæculari conveniri possint? *num.* 240. *&* 241.

Laicus unà cum Clerico delinquens, an coram Judice Ecclesiastico sit conveniendus, ac puniendus? *T.* 1. *num.* 101. *ac seqq.* Sententia negativa est probabilior, *nu.* 103. *&* 104. Dummodo Ecclesiasticus in captura Laici non præveniat, *num.* 105. Laicus cum Clerico delinquens nequit declinare Judicium sæculare, *n.* 106.

Laicus suscipiens statum Clericalem, vel Monachalem, an circa antèa gesta gaudeat privilegio Fori? *T.* 2. *num.* 262. *& seqq.* Re adhuc integrâ gaudet, *n.* 262. *& seqq.* Si res non amplius sit integra, variant Doctores; estque distinguendum, *num.* 263. *& seqq.* Laicus criminosus quando censeatur in fraudem assumpsisse statum Clericalem? *n.* 269. *&* 270. Requiritur declaratio Judicis Ecclesiastici super fraude commissa &c. *num.* 271. *&* 272. Quid Juris, si super Clericatu maleficioris, per Judicem Laicum capti, & dicentis, se esse Clericum, oriatur quæstio? *T.* 2. *n.* 273. *& seqq.*

2. Laicis an competat Remedium *Redintegranda* pro recuperandis rebus profanis, sicuti Clericis pro rebus Ecclesiasticis? *T.* 12. *n.* 33. *& seqq.*

Laici an possint ferre testimonium in judicio contra Clericos; & quando? *T.* 20. *nu.* 160. *& seqq.* Laici sunt Clericis oppidò infesti, *num.* 161. Laici in causa Criminali clericorum regulariter testimonium ferre non possunt, *nu.* 160. *& seqq.* Cur Laici possint Clericos accusare, non verò contra eos testimonium dicere? *num.* 162. Laicus potest testificari contra Clericum in causis civilibus, *nu.* 164. Imò & in criminalibus exceptis, *num.* 165. Sicut & in crimine notorio, ac probatione infamiæ, *num.* 166. Et ob defectum testium Ecclesiasticorum, *n.* 167. An adversùs Laicos Clerici sint admittendi ad testificandum? *T.* 20. *num.* 168. *& seq.* Clericus ratione Ordinis, est testis magis idoneus, quàm Laicus, *nu.* 180. *&* 181. Vide suprà ℣. *Clerici an sint admittendi.*

3. Laici nequeunt spiritualia tractare negotia, *T.* 30. *num.* 120.

5. Laicus Ordinem exercens. Vide *Ordinem exercens.*

Laici judicium assumentes, vel se immiscentes in causa Censurarum, vel in ea Judicem Ecclesiasticum impedientes, vexantes, vel à Judice Ecclesiastico ad Potestatem sæcularem recurrentes, vel ad id consilium, aut favorem præbentes sunt ipso facto Excommunicati, *T.* 39. *n.* 227. *& seqq.*

LANA TINCTA.

1. Lana tincta non continetur sub lana indefinitè legata; & cur? *T.* 2. *n.* 401. *& seqq.*

LANGUIDUS.

5. Languidi quinam censeantur? *T.* 11. *num.* 21. Eorum expositio qualiter prohibita? *num.* 23. *& seqq.* Languidi vel infirmi pro cura ad quas expensas teneantur Domini? *n.* 25. *& seqq.*

LARGITAS.

4. Largites sponsalitia quid? Et quid Juris de ea? *T.* 20. *numer.* 70. *& seqq.* Si culpa donatarii non sequitur Matrimonium restitui debet donanti: si verò hujus culpâ non sequitur, remanet illi, *numer.* 71. Quid, si nullius culpâ Matrimonium non sequitur? *num.* 72. *& seqq.*

LATENTER.

R. J. Latenter idem est ac clam, C. I. R. V. *num.* 2. Latenter aut per vim, vel illicitè introductum non subsistit, C. I. R. V. per tot.

LATRO.

3. Latro publicus caret Asylô, *T.* 49. *n.* 90.
5. Latrones, & Grassatores virum qualiter puniantur? *T.* 17. *n.* 24.

LATRUNCULATOR.

R. J. Latrunculator licet possit latrones morte punire, de re pecuniaria, tamen judicare non potest, C. II. R. LIII. *n.* 10.

LAVARI.

3. Lavari & refici vasa & paramenta sacra à quibus debeant, & quomodo? *T.* 40. *n.* 57.

LAUDARE, LAUDEMIUM.

3. Laudare authorem quid? *T.* 17. *n.* 365.
3. Laudemium de Jure communi, *T.* 18. *n.* 221.
Laudemium quomodo differat à relevio, *T.* 20. *numer.* 115.

LAUDUM.

Laudum dicitur sententia Arbitri propriè dicti, *T.* 43. *num.* 12. Laudum Arbitri non infamat, *num.* 30. A Laudo Arbitri compromissarii non licet appellare, *num.* 31. Laudi per Arbitros pronuntiati, quis sit effectus? *cit. T.* 43. *num.* 83. *&* 87. *& seq.* Si compromissum in Arbitros est simpliciter factum, & Laudum per eos pronuntiatum nondum à partibus expressè receptum fuit, nec homologatum lapsu decem dierum, tunc ex Laudo datur actio ad interesse, *num.* 83. *&* 84. Et quid per *interesse* hic intelligatur? *num.* 85. Alioquin Laudum indistinctè ratum haberi debet &c. *num.* 86. Quòd si verò compromissum factum est cum appositione pœnæ, tunc sub ea standum est Laudo per Arbitros pronuntiato, *num.* 87. Pœnâ tamen solutâ non tenetur pars nolens stare Laudo, *num.* 88. Nisi fuerit appositum Juramentum, *n.* 89. *&* 90. Vel clausula, *Rato manente Pacto, num.* 91. Non committitur pœna in solidum, quando quis ex una solùm parte venit contra Laudum habens plura capitula, *nu.* 92. Intra quantum temptus committatur pœna, si non detur, id quod arbiter dari jussit? *nu.* 93. *& seqq.* Utrùm contra injustum Laudum Arbitri aliquod juris remedium competat, & quale? *nu.* 96. 97. *& seqq.*

LECTIO, LECTOR.

5. Lectio librorum hæreticorum, & aliorum prohibitorum. Vide *Librorum hæreticorum Lectio.* Vide *Libri legi prohibiti.*
Lectores & Professores, etiam Controversiæ, vi officii legere non possunt Libros hæreticos, *T.* 7. *num.* 125.

LEGARE, LEGATUM, LEGATARIUS.

2. Legatum idem si factum fuit Sempronio, & duo sint Sempronii, quid Juris? *T.* 19. *n.* 81.
3. Legare quis, quid, & cui possit? *T.* 26. *nu.* 633. *& seqq.* Possunt legare omnes, qui testari possunt, *num.* 633. Illis qui hæreditatis incapaces sunt, legari nihil potest, *n.* 634. Excipiuntur Fratres Minores, quibus legari potest moderata quantitas; etsi non possint esse hæredes, *nu.* 635. Dummodo licito modo fiat? & quis sit talis modus licitus? *num.* 636. *& seqq.* Quævis res Testatoris legari potest, *nu.* 669. Etiam aliena loquendo de Jure Civili, *num.* 670. *& seqq.* Imo etiam de Jure Canonico, *num.* 67. *& seqq.* Res propria Legatarii legari non potest, *numer.* 677. Debitum quomodo

Creditori legari possit? *nu.* 678. Creditum debitori remittere legando potest testator, *n.* 679.
3. Legatarius quid? *T.* 26. *num.* 632. Habet actionem personalem & Hypothecariam, nec non hypothecam tacitam in bona defuncti, *n.* 686. Non potest propria authoritate capere Legatum, *n.* 687.
Legatum & Fideicommissum particulare sunt idem, & quid? *T.* 26. *nu.* 629. *& seqq.* Sumitur pro actu legandi, *num.* 631. Et pro re legata, *num.* 632. Legatum est multiplex, *num.* 640. Aliud purum, aliud in diem, *ibid. & seqq.* Legata fieri possunt, & extra testamentum, oretenus & in scriptis, absolutè & conditionatè, *num.* 639. *& seqq.* Ad legatum testamento insertum, eadem requiritur solemnitas, quæ ad testamentum, *num.* 663. Limitatur in quatuor casibus, *num.* 664. Legatum sine testamento requirit quinque testes, *num.* 665. Excipitur legatum pium, & casus quo hæres fatetur defuncti voluntatem, *num.* 666. Testes non necessariò rogari, benè tamen simul præsentes esse debent, *nu.* 667. Sæpe expedit sola legata & non testamentum facere, *num.* 668. Legatum revocari quomodo possit & revocatum censeatur? *T.* 26. *nu.* 763. *& seqq.*
Legatum sub conditione quid sit? *T.* 26. *n.* 642. Sub conditione *de futuro* quando valeat? *nu.* 643 Sub conditione *si non nubat*, si fiat, habetur conditio pro non adjecta, *num.* 644. Si Legataria nunquam adhuc fuit juncta Matrimonio: secus si est vidua, *n.* 645 *& seqq.* Valet conditio, *si non nupserit Titio, nu.* 647. Item valet conditio, *si Cajo, vel uni certo nupserit, n.* 648. Quid juris de Legato sub conditione *si nupserit: vel liberos acquisierit.* Casu quo legatarius ingreditur Religionem, aut Ordines sacros suscipiat, *num.* 640. *& seqq.* Conditio: *si Religionem ingreditur; vel Clericatum assumit nihil lego, vel minus lego*, valet, *n.* 652. *& seq.* Pariter valet conditio, *si Religionem ingreditur; vel Clericus fit, hæredem instituo, vel eidem plus lego, nu.* 654. Idem quod de Legatis dicitur de hæreditate intelligi, *n.* 655.
Legatum sub modo quid? & quomodo fiat? *T.* 26. *num.* 656.
Legatum sub causâ quid? *T.* 26. *num.* 657. Valet etsi causa non subsistat, *n.* 658. *& seq.*
3. Legatum cum demonstratione quid? valet etsi falsa sit demonstratio, *T.* 56. *nu.* 660. Dummodo res legata existat, *nu.* 661. Et non sit error una substantium personæ, *n.* 662.
Legata Religiosis facta sub conditione ut ad eum & non Monasterium pertineant, quid juris habeant? *T.* 35. *n.* 23. *& seqq.*
Legata pia ad certum usum, an & quomodo post mortem Legantis possint mutari, & ad alium usum pium applicari? *T.* 26. *n.* 804. *& seqq.*
Legata pro pauperibus in genere relicta, quomodo, quo ordine & quibus distribuere debeat Executor? *T.* 26. *n.* 811. *& seqq.*
Legati Dominium, fructus, *T.* 26. *num.* 680. Dominium acquiritur legatario post adiatam hæreditatem, *ibid.* Fructus, qui sint pars legati, pertinent ad legatarium, *nu.* 681. Quid Juris de aliis fructibus? *n.* 682. *& seqq.*
Legatum repudiare an possit Prælatus sine consensu Capituli? Vide *Repudiatio legati.*
Legatum quando & quomodo acquiratur Legatario? *n.* 46. *&* 286.
4. Legatum sub conditione, *si non nubat*, licet, & valet, *T.* 21. *n.* 49.
R. J. Legata profana quando valeant, in testamento minus solemni, C. II. R. XLII. *n.* 10. *&* 15. Legata pia in testamento invalido valent, C. II. R. XLII. *n.* 12. *&* 15.

Legata invalida ob incapacitatem Legatarii tractu temporis non convalescunt, etsi remoto impedimento, C. II. R. XVIII. *n.* 6.
Legatarius onus legato annexum recusans indignus est legato, C. II. R. LV. *n.* 10.
Legatarius statim post mortem Legantis fit Dominus rei Legatæ, C. II. R. LX. *n.* 7.
Legatum Reipublicæ relictum, ad opus lege prohibitum, quomodo teneat? C. II. R. VI. *n.* 14.
Legatum pro certa die factum, singulis annis eo die potest peti, C. II. R. LXXXIII. *n.* 4.
Legatum uni factum, postea alteri relictum censetur tacitè revocatum, etsi alter sit incapax, C. II. R. LII. *n.* 11.
— in Legatis quando electio sit penes hæredem vel Legatarium, C. II. R. LVII. *n.* 11.

LEGATUS.

1. Legati, unde sic dicantur? T. 30. *num.* 2. Vocantur alio nomine *Oratores*, seu *Ambassiatores*, *ibid.* Legati judices, qui? *num.* 3. Legati Apostolici alii sunt Judices, alii non, *num.* 4. Legatus Papæ, in quo differat ab ejus Delegato? *num.* 5. Legati Judices sedis Apostolicæ sunt in triplici differentia, *num.* 6. *& seqq.* Legati à Latere, *num.* 7. Legati missi, seu nuntii Apostolici, *num.* 8. *& seq.* 9. Et Legati nati, qui, & cur sic appellentur? *nu.* 10. Horum posteriorum aliqui enumerantur, *num.* 10. Legati sedis Apostolicæ habent omnes Jurisdictionem ordinariam, *num.* 11. *& seqq.* Legati à Latere habent se ad instar Proconsulum: cæteri ad instar Præsidum, *num.* 12. Nomine *Legatorum Sedis Apostolicæ* simpliciter posito, veniunt quicunque Legati ejusdem, *num.* 13. Officium omnium dictorum Legatorum generatim, quod? *num.* 14. *& seqq.* Possunt iidem condere statuta perpetua, *num.* 15. Et causas suorum Provincialium audire ac terminare, *num.* 16. Etiam per simplicem querelam ad ipsos delatas, *num.* 17. Quod tamen intellige juxta limitationem Concilii Tridentini, *num.* 18. Legati nequeunt se intromittere causis per Papam specialiter alteri delegatis, *nu.* 19. Possunt tamen causas delegare, *n.* 20. Et si quis est Legatus in pluribus locis, potest negotia unius loci in alio expedire, *nu.* 21. Non tamen debet partes invitas extra suam Provinciam trahere in aliam ad Judicium, *n.* 22. Nullus ipsorum, inconsulto Pontifice, potest tractare majores causas Ecclesiæ, *n.* 23. Sunt devotè recipiendi, honorificè tractandi, ac in suis necessitatibus adjuvandi, *num.* 24. Nec valet consuetudo in contrarium, T. 4. *n.* 80.
2. Legati à Latere habent plura specialia, T. 30. *nu.* 25. *& seqq.* Possunt in sua Provincia, quidquid potest Episcopus in sua Diœcesi, *num.* 25. Præsente Legato à Latere, cæteri Legati deponunt sua Insignia, ac suspenditur exercitium potestatis ipsorum, *num.* 26. Cardinali asserenti, se esse Legatum Sedis Apostolicæ, creditur absque exhibitis Litteris: secus est in aliis, *num.* 27. Legatus à Latere potest absolvere quoscunque excommunicatos ob percussionem, etiam enormem, imò & cædem Clerici, ac undecunque venientes, *nu.* 28. an etiam ab aliis excommunicationibus Papæ reservatis possit absolvere? *nu.* 29. Et quid dicendum de Legato Misso, ac Nato? *n.* 30.
Legatus à Latere potest conferre Beneficia tempore suæ Legationis vacantia, T. 30. *nu.* 31. Ac etiam devoluta ad sedem Apostolicam, *num.* 32. Potestque ea in posterum vacatura suæ reservare collationi, & qualiter? *num.* 33. Nonnullis tamen exceptis; & quibus? *num.* 34. Non tamen potest conferre Beneficia Papæ reservata, *num.* 35. Nec vacantia in Curia, *ibid.* An possit conferre Beneficia juris Patronatus? *num.* 36. Aut litigiosa? *nu.* 37. Vel vacantia in mensibus alternis, ubi vigent Concordata? *n.* 37.
Legatus à Latere potest Prælatis exemptis, si eligantur in Episcopos, concedere licentiam deferendi Monasterium, T. 30. *num.* 38. Item potest confirmare electiones Episcoporum, & Abbatum exemptorum, *num.* 39. Et quid in Germania juxta Concordata? *ibid.* Legati non Cardinales nequeunt confirmare ejusmodi electiones, nec Beneficia conferre, *n.* 40. An nuntii Apostolici cum potestate Legati à Latere missi, eandem cum his potestatem habeant? *n.* 41. *&* 42.
1. Legati Sedis Apostolicæ officium, quibus modis finiatur? T. 30. *nu.* 44. *& seqq.* An id finiatur per egressum Legati è Provincia sua? *num.* 95. Cessat illud relatione negotii ad Papam, *n.* 46.
R. J. Legati Apostolici commissio generalis non se extendit ad causas fidei, nec ad translationem, vel unionem Episcopatuum, C. II. R. LXXXI. *n.* 5.

LEGISLATOR, LEGISTA.

1. Legislator, utrùm teneatur propriis legibus? T. 2. *num.* 266. *& seqq.* Legislator, ejusque successor, majori cum libertate interpretatur legem, quàm inferior, T. 2. *n.* 382.
1. Legista sine Canonibus, parum valet, Canonista sine Legibus nihil, P. *n.* 126.

LEGITIMA, LEGITIMATIO, LEGITIMUS.

3. Legitima quid? T. 26. *nu.* 445. Debetur liberis & quanta, *ibid.* Legitima Nepotibus quando & quanta debeatur? *nu.* 446. *& seqq.* Legitima parentibus quando & quanta debeatur? *nu.* 449. *& seqq.* Fratribus quando & quanta debeatur? *num.* 452. Liberis & parentibus Legitima relinqui debet titulo institutionis, *num.* 493. Etiam si in vivis portionem suam jam acceperint, *nu.* 494. Quid juris, si pars aliqua titulo institutionis relicta Legitimam non attingat? *num.* 455. Legitima sine onere debet relinqui, *num.* 456. Sub conditione potestativa, ac favorabili relinqui potest, *num.* 457. Doctrina practica, *num.* 458. Legitima debetur & computatur ex omnibus & solis bonis Testatoris deducto ære alieno, *num.* 459. *& seq.* Hæres pro libitu aliquid loco legitimæ arripere non potest, *num.* 461. Nisi Testator expressè disponat, *nu.* 462. Ad computationem legitimæ conferuntur etiam bona, quæ Hæredes necessarii in vivis jam receperunt, *num.* 463. Limitatur hæc doctrina, *num.* 464.
4. Legitimatio illegitimorum per Matrimonium, T. 17. *n.* 30. Hæc legitimantur naturales, *ibid.* Etiam per Matrimonium ratum, *num.* 31. Et à lenibus, infirmis, vel in periculo mortis contractum, *num.* 32. Tam mediatum, quàm immediatum, *num.* 33. Etiam sine denuntiationibus celebratum, *numer.* 34. Secundum aliquos etiam per putativum Matrimonium, *num.* 35. Opinio contraria est verior, *num.* 36. Spurii in sensu Canonico non legitimantur per subsequens Matrimonium, *numer.* 37. Benè verò spurii in sensu civili, *num.* 38. Legitimantur proles, sive tempore conceptionis, sive nativitatis solummodò parentes fuissent habiles ad Matrimonium, *num.* 39. Deductio practica inde, *num.* 40 *& seqq.* Legitimati per subsequens Matrimonium per omnia sunt æquales legitimè natis, *num.* 42. *& seqq.*
4. Legitimatio per Rescriptum Principis quid? T. 17. *n.* 46.

num. 46. Solus Papa, non item Episcopus legitimare potest quoad effectus Ecclesiasticos, *nun.* 47. Etiam quoad effectus politicos Papa potest legitimare illos, qui in suo territorio temporali subditi sunt, *num.* 48. Alios verò quoad hos effectus legitimare ordinariè non potest, *num.* 49. Benè verò extraordinariè, *num.* 50. Sicut etiam indirectè ac in radice Matrimonii, *num.* 51. De Jure inter sæculares soli Principes supremi, superiorem non agnoscentes, possunt legitimare, *num.* 52. De consuetudine etiam Principes Imperii, *num.* 53. Et ex privilegio Comites Palatini, *nu.* 54. Ac Legati Sedis Apostolicæ, *num.* 55. Rescripto Principis quinam illegitimi jure vel consuetudine legitimentur? *num.* 56.
Legitimatio per Papam facta reddit habilem ad effectus Ecclesiasticos, & politicos, T. 17. *num.* 58. A sæculari facta non nisi sæculares ac politicos effectus habet, *num.* 59. *& seqq.* Distinctio quoad effectum inter legitimationem per rescriptum Principis, & per subsequens Matrimonium, *num.* 60. Conditiones requisitæ ad hoc ut legitimatio per rescriptum Principis suos habeat effectus, *num.* 61. *& seqq.*
1. Legitimus, an censeatur natus mense septimo matrimonii, aut undecimo post? T. 17. *num.* 3. Vide suprà ℣. *Illegitimorum.* Natus ex matrimonio bonâ fide contracto, sed invalido, non est illegitimus, *n.* 26. *&* 29.
2. Legitimus præsumitur filius, etiam si probetur, uxorem tempore conceptionis filii fuisse adulteram, T. 23. *n.* 85.
3. Legitimi & Legitimati liberi qui? T. 27. *num.* 10. *& seqq.*
4. Legitimi quinam sint, vel reputentur? T. 17. *nu.* 2. *& seqq.* Tales sunt, qui ex vero vel laltem putativo Matrimonio nati sunt. Dummodò Matrimonium in facie Ecclesiæ sit contractum, *num.* 3. Et bona fide, *num.* 4. Sufficit bona fides unius, si in eodem tempore conceptionis adhuc existat, *num.* 5. Sive dein bona fides proveniat ex ignorantia facti, vel juris, *num.* 6. *& seqq.* Si cum dubio contrahitur Matrimonium, aut consummatur, illegitima est proles, *num.* 8. Secus est, si Matrimonio jam contracto dubium exoritur, *num.* 9. Proles stante Matrimonio nata vel concepta præsumitur legitima, etsi alias mater sit adultera, *num.* 10. Et fateatur prolem ex adulterio esse conceptam, *num.* 11. Nisi ex absentia, aut impotentia mariti aliud pateat, *num.* 12. Liberi ex Matrimonio infidelium sine impedimento jure naturæ dirimente nati sunt legitimi, *num.* 13. Expositi quoque legitimi censentur, *num.* 14. Conceptus ante Matrimonium censetur legitimus, si nascitur Matrimonio inter parentes postea contracto, *num.* 17. Secùs est, si imprægnata contrahit cum alio, *n.* 18.
4. Legitimi quomodo ex tempore nativitatis vel conceptionis præsumantur? T. 17. *nu.* 19. *& seqq.* Proles septimo post Matrimonium mense nata censetur legitima, *ibid.* Sicut etiam nata mense decimo, *num.* 20. Non item mense undecimo jam completo, *num.* 21. Benè verò si ante hunc completum nascitur, *num.* 22. Et in casu extraordinario etiam post completum, *num.* 23.

LEPRA. LEPROSUS.

4. Lepra nec est dirimens, nec impediens Matrimonii impedimentum, Tit. 8. *num.* 2. Præbet tamen causam solvendi sponsalia, *num.* 5. Non item faciendi divortium, aut negandi debitum conjugale, *num.* 6. Nisi judicio peritorum sit periculum gravis infectionis, *num.* 7. Qui prius servit conjugem futurum esse lepra infectum, non potest negare debitum, *numer.* 8. Idem, quod de lepra, de aliis etiam infirmitatibus dicendum est, *numer.* 9. Qui sine periculo infectionis potest cohabitare, tenetur, *num.* 10.
Leprosorum Matrimonium. Vide *Lepra, ut supra.*

LEX.

1. Lex, an differat à jure? *num.* 7. Lex æterna dupliciter sumitur; & quomodò? *numer.* 9. *& seqq.* Legis in quo sensu sint capaces creaturæ irrationales? *numer.* 11. A Lege æterna derivantur aliæ Leges, *num.* 13. *& seqq.* Lex naturalis, quæ? *n.* 15. Lex Divina vetus, & nova, quæ? *num.* 24. *& seqq.* In Lege Evangelica, quæ præcepta immediatè obligent ex Jure Divino? *nu.* 25. *& seqq.* Leges Civiles in Decretum Gratiani relatæ, an per hoc censeantur canonizatæ? P. *num.* 68. *& 78.* Legis declaratio jam ab initio censetur legi insuisse, P. *num.* 132. Publicatio requiritur in Legis editione, non item in Legis declaratione, *num.* 133. *& seqq.* Lex prout contra distinguitur à cæteris partibus Juris Civilis, quid & quomodo olim condita? P. *num.* 173. Aliæ Legis definitiones declarantur, *num.* 174. Lex abrogata non superfluit in Jure, P. *num.* 208. An & quando possit allegari? *numer.* 209. Præsertim ob sui rationem? *n.* 210. Lex posterior revocat priorem directè contrariam, etiam non facta ejus mentione, *num.* 212. Leges non dedignantur sacros canones imitari, P. *num.* 227.
Lex, & constitutio ferè sumuntur pro eodem, T. 2. *num.* 5. Magis tamen usitatè differunt; & in quo? *num.* 4. Lex unde sic dicatur? *cit.* T. 2. *num.* 22. Lex generatim accepta quid? *numer.* 23. Legum utilitas commendatur, *num.* 24. Cur Lex sit prodita? *num.* 25. *& seqq.* Conditiones Legis, quæ? *num.* 28. Lex debet esse recta agendorum ratio, *num.* 29. Ad eam requiritur legitima authoritas inferentis, *numer.* 30. Ac debita promulgatio, *num.* 31. Et ut feratur cum voluntate perpetuò obligandi, *numer.* 32. Lex debet esse perpetua, *num.* 33. Et quomodo? *numer.* 34. Conditiones Legis per Isodorum relatæ, declarantur, *nu.* 35. *& seq.* Lex debet esse honesta & justa, *numer.* 36. Secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem, *num.* 37. Loco, temporique conveniens, *num.* 38. Necessaria, & utilis, *num.* 39. Nec superfluè ponitur alterutra harum dictionum, *num.* 40. Manifesta quoque, *num.* 41. Nullo private modo, sed pro communi civium utilitate conscripta, *numer.* 42. Lex differt à simplici Præcepto in pluribus, *num.* 43. *& seqq.* Lex immediatè afficit locum, sive territorium Legislatoris, Præceptum verò personas, *num.* 43. Lex durat post mortem Legislatoris, non item Præceptum simplex, *nu.* 45. Lex superioris non potest tolli per inferiorem, *cit.* T. 2. *numer.* 75. Benè tamen ab hoc adjuvari per pœnæ adjectionem, *num.* 76. Leges Municipales possunt Principes S. R. J. condere contra jus commune Civile, *cit.* T. 2. *nu.* 81. Potestas condendi Leges civiles, penes quos sit? *numer.* 100. *& seqq.*
1. Lege Evangelicâ introductâ, cessavit Lex vetus, seu Mosaïca, ejusque obligatio, T. 2. *num.* 47. In Lege Evangelica nullum continetur præceptum, quod non sit juris naturalis, præter præcepta Fidei, & Sacramentum, *n.* 48.
Lex ut obliget quoad culpam, vel quoad pœnam, requiritur ejus promulgatio, T. 2. *nu.* 105. *& seqq.*

Vide infrà ℣. *Promulgatio.* Leges nominatim de præteritis caventes, quomodo obligent? *num.* 108. Lex, quando censeatur acceptari, vel esse usu recepta? T. 2. *nu.* 135. Utrùm ad Legem humanam requiratur acceptatio populi? *num.* 136. *& seqq. Leges instituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cùm moribus utentium comprobantur:* declaratur, *num.* 139. *&* 140. Leges non censentur esse conditionales, licèt contrario usu abrogari possint; & cur? *num.* 141. Leges nullâ aliâ causâ obligant, quàm quod judicio populi sint receptæ; quomodo hoc verificetur? *num.* 142. Vide supra ℣. *Acceptatio.*

Leges humanæ cæteroquin justæ, an obligent in conscientia? T. 2. *num.* 152. *& seqq.* Obligant Judices in conscientia ad judicandum juxta earum præscriptum, *num.* 152. Et dum absolutè præcipiunt, vel prohibent, regulariter obligant subditos in conscientia, *num.* 153. *& seqq.* Leges Principum Sæcularium præsertim Gentilium unde habeant obligare in conscientia? *num.* 155. *& seqq.* Lex consilii regulariter non est obligatoria, *nu.* 158. Fallit hoc in tribus casibus, *n.* 159.

1. Lex in præsumptione fundata, quid? T. 2. *num.* 162. Secundum Leges in præsumptione fundatas tenentur Judices in judicando procedere, *nu.* 163. *& seqq.* Præsumptio cedit veritati, quomodo? *nu.* 164 *&* 170. Legis præsumptio habetur pro veritate, *num.* 164. Leges in præsumptione fundatæ non sunt injustæ, licet præsumptio quandoque fallat, *num.* 165. Leges fundatæ in præsumptione, quæ à parte rei verificatur, obligant subditos in conscientia, *num.* 166. *& seqq.* An idem dicendum, si id quod Lex præsumit, hîc non subsit? *num.* 168. Sententia affirmativa refertur, ejusque rationes, *num.* 168. *&* 169. Sententia negativa præfertur, *nu.* 170. *& seqq.* Hæc procedit solum secluso scandalo, *num.* 166. *&* 174. Leges in præsumptione à parte rei non subsistente fundatæ, nequeunt observari, etiam ratione scandali, quando ex earum observantia resultat peccatum, *num.* 175. Leges in fictione juris fundatæ, an locum habeant non solùm in Foro externo, sed etiam in Foro Conscientiæ? T. 2. *num.* 185. *& seqq.* Vide infrà ℣. *Fictio juris.*

Lex pœnalis quid, & quomodo differat à Lege morali? T. 2. *num.* 197. Lex mixta, quæ? *num.* 198. Leges merè pœnales, quæ? *ibid.* Dantur Leges merè pœnales, *num.* 161. *&* 199. *& seqq.* In transgressione Legis merè pœnalis non intervenit culpa Theologica, benè tamen legalis, seu politica, *nu.* 201. *&* 202. Per accidens tamen sæpius etiam intervenit culpa Theologica, *num.* 203. Unde dignoscendum, quòd Lex aliqua sit merè pœnalis? *num.* 204. *& seqq.* Per consuetudinem longævam potest ex Lege humana mixta, fieri purè pœnalis, *num.* 206. Unde colligi possit, quòd Lex contineat pœnam, v. g. excommunicationis latæ, vel ferendæ sententiæ? *cit.* T. 2. *num.* 207. *&* 208. *& seqq.* Leges, seu Constitutiones pœnam ferendæ sententiæ continentes, quâ ratione obligent? *cit.* T. 2. *n.* 221. Tum ante sententiam Judicis? *num.* 221. *&* 222. Tum post sententiam judicis, *num.* 223. *& seqq.* Leges pœnam latæ sententiæ continentes, quomodo obligent? *numer.* 226. *& seqq.* Lex ipso facto imponens privationem Beneficii, privat Reum titulo, non possessione ejus, *num.* 234. Vide infrà ℣. *Pœna.*

Lex irritans declaratur, T. 2. *num.* 239. Ea potest irritare quosdam contractus, aliosque actus humanos, ita ut nullius sint roboris, *num.* 239. *& seq.* Idque dupliciter, videlicet ipso jure, *num.* 240. Vel per sententiam judicis, *numer.* 241. Regulæ ad dignoscendum, an Lex ipso jure irritet contractum, vel per sententiam, *num.* 242. Legum irritantium obligatio, atque effectus qui? *nu.* 244. *& seqq.* Si Lex contractum non ipso jure irritet, sed irritandum decernat, valet, donec per sententiam judicis rescindatur, *num.* 245. Notabilis objectio. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, ponitur, atque explicatur, *num.* 246. *& seqq.* Si Lex ipso jure irritet contractus, electiones &c. nulla istis tribuitur actio in Foro externo, imo hi jam ab initio fuerunt invalidi, *nu.* 251. Quomodo nihilominùs dicantur irritandi per sententiam judicis? *num.* 252. Quid dicendum pro Foro conscientiæ? *num.* 253. *& seqq.* Si contractus, vel electio &c. non plenissimè, sed civiliter tantùm ipso jure infirmetur, simulque nemo se opponat, tunc in conscientia tutus est, qui virtute talis actûs aliquid possidet, *num.* 255. Exemplificatur, atque probatur hoc, *num.* 256. 257. *& seqq.* Differentia inter Legem actûs ipso jure irritantem, & inter Legem actûs irritantem secutâ sententiâ judicis, *num.* 260.

1. Leges obligant tantùm subditos proprii territorii, T. 2. *num.* 264. Neque istis adstringuntur subditi, actu non existentes intra territorium Legislatoris, *num.* 265. Utrùm Legislator teneatur propriis legibus? *num.* 266. *& seqq.* Legibus à Republica, vel capitulo latis, obligantur singuli de tali communitate, etiam Senatores, Canonici, *num.* 266. Leges aliæ sunt, quæ in Principem non cadunt, aliæ quæ Principem æquè ac subditos decent, *nu.* 267. Istis posterioribus Legislator non tenetur quoad vim coactivam, benè tamen quoad vim directivam, *nu.* 268. *& seqq.* Vis directiva, & coactiva legum, quid? *nu.* 269. Legi Divinæ est Papa subjectus, *numer.* 273. Vide supra ℣. *Constitutionibus Ecclesiasticis.*

Leges Civiles an obligent Clericos? T. 2. *num.* 290. *& seqq.* Leges Juris Civilis, quæ disponunt de Ecclesiis, Episcopis & Clericis, ex se non obligant, *num.* 295. Nisi approbentur ab Ecclesia, *nu.* 296. Et quomodo fiat talis approbatio? *num.* 297. Non tamen idcirco sunt inutiles, imò juvant ad plura, *num.* 298. *&* 299. Leges sæculares de contractibus &c. si sint favorabiles extenduntur ad Clericos, secùs si præjudiciales, *cit.* T. 2. *num.* 315. *& seq.* Lex Clericis præjudicialis, & non præjudicialis quæ? *num.* 319. Leges juris Civilis circa contractus, & alias profanas causas generaliter latæ; si sacris Canonibus contrarientur, extenduntur ad Clericos, *num.* 320. *& seqq.* An hoc ipsum procedat de statutis inferiorum Laicorum? *num.* 322. *& seqq.* Disparitas inter Leges Juris Civilis, & statuta particularia locorum, *n.* 325. Vide supra ℣. *Clerici an obligentur.*

1. Legum interpretatio, quid, & quotuplex sit? T. 2. *nu.* 351. *&* 357. *& seqq.* Legis extensio duplex, una propriè dicta, seu extensiva, *num.* 371. Altera comprehensiva, seu inclusiva, & improprie dicta, *num.* 372. Legum interpretatio majori cum libertate fit per Legislatorem, quàm per inferiorem, *cit.* T. 2. *num.* 382. Regulæ pro Legum interpretatione deservientes, præcipuè inferioribus, declarantur, *num.* 383. *& seqq.* usque ad *nu.* 447. Interpretatio potiùs menti, quàm verbis legis convenire debet, *num.* 386. Mens legis unde colligatur? *num.* 387. Ratio legis, *nu.* 388. A verbis Legis non est recedendum, nisi manifestum sit, aliud sensisse Legislatorem, *num.* 389. Vide supra ℣. *Interpretatio.*

Lex

Lex limitatoria, dum certum casum à Lege excipit, censetur hanc declarare, atque confirmare in reliquis, T. 2. *num.* 405. Non censetur plus de priori lege mutatum, quàm est expressum in posteriori, *cit.* T. 2. *num.* 419. Lex nova generaliter loquens, distinguitur secundùm Leges antiquas speciales, *nu.* 420. Leges exorbitantes à Jure communi sunt strictæ interpretationis, nec producendæ ad consequentiam, *num.* 421. Limitatur in æquiparatis, *nu.* 422. Et ob identitatem rationis in lege expressâ, & in nonnullis aliis casibus, *nu.* 424. *& seqq.* Lex pœnalis, & omnis alia odiosa, in dubio est strictè interpretanda, *num.* 427. Secùs, si verba ejus sint clara, *num.* 428. Lex odiosa extenditur nihilominùs ob identitatem rationis in lege expressâ, *nu.* 429. Et declaratur hoc exemplis, *nu.* 430. Et idem est, quando unica tantùm ratio legis afferri potest, *nu.* 431. *&* 432. Verba legis pœnalis debent intelligi cum effectu, *num.* 433. Nisi sint casus excepti, *num.* 434. Leges favorabiles ampliori interpretatione sunt adjuvandæ, *num.* 435. Idque declaratur, *num.* 436. *& seqq.* Leges pœnales cur non censeantur favorabiles, licet respiciant bonum commune? *num.* 442. In istis debet separari favor ab odio; idque exemplificatur, *num.* 443. Quid agendum, si Lex partim sit favorabilis, partim odiosa, *nu.* 438. *& seqq.*

Legis abrogatio, derogatio, & irritatio, quid; & quomodo differant? T. 2. *num.* 484. *&* 485. Leges semel latæ possunt denuò revocari, *num.* 486. *& seqq.* Etiamsi habeant clausulam: *Hæc in perpetuum valitura Constitutione, num.* 487. Non tamen sunt revocandæ absque justa causa, *num.* 488. *& seqq.* Justæ causæ mutandi leges, quæ? *n.* 489. *&* 490. Lex prior quando censeatur revocari per posteriorem? *cit.* T. 2. *num.* 491. *& seqq.* Posterior tollit priorem sibi directè contrariam, etiam non factâ hujus mentione, *nu.* 491. Alias, si non sit directè contraria, oportet jura juribus concordare, *n.* 492. Etiam verba impropriando, *num.* 494. Imò & per sensum subauditum ad concordiam revocando, *nu.* 495. Lex generalis posterior non tollit legem specialem priorem, sed per hanc distinguitur, *n.* 496. *&* 497. Lex nova generaliter lata non tollit consuetudines, & statuta particularia locorum, *numer.* 498. Nisi id exprimat, & quomodo hoc fiat? *num.* 499. Vide supra ℣. *Jurium Correctio.* Inter leges & Rescripta, quæ sit convenientia, & differentia? T. 3. *n.* 1.

1. Lex inferioris cur non valeat contra Sacros Canones, benè tamen consuetudo? T. 4. *nu.* 11. *& nu.* 140. A legibus quâ ratione differat consuetudo? T. 4. *num.* 19. *& seqq.* Lex tribus modis potest resistere consuetudini, *cit.* T. 4. *nu.* 44. Nempe hanc reprobando tanquam irrationabilem, & corruptelam, *num.* 45. *&* 46. Vel simpliciter prohibendo, consuetudinem contra legem induci; & an tunc valeat consuetudo de novo inducta contra ejusmodi legem? *num.* 47. *& seqq.* Vel derogando consuetudini sub clausula, *Consuetudine contrarid quâlibet non obstante*; & quas consuetudines tunc tollat? *numer.* 53. *& seqq.* Lex, & contraria consuetudo, possunt simul esse rationabiles ex diverso respectu, *num.* 40.

Lex posterior generalis abrogat consuetudinem priorem generalem, licet nullam hujus faciat mentionem, T. 4. *nu.* 182. Secus dicendum de consuetudinibus particularibus locorum, *n.* 183. Vide supra ℣. *Consuetudo ritè introducta.*

Lex Diœcesana, & Lex jurisdictionis, sunt valdè diversæ, adeoque res judicata in una non obstat agenti in altera, T. 31. *n.* 84. Ad Legem Diœcesanam, & Legem jurisdictionis spectant omnia jura Episcopalia, *num.* 83. *& seqq.* Quæ *in dando* consistunt, spectant ad legem jurisdictionis, *numer.* 90. Quæ consistunt *in recipiendo*, pertinent ad Legem Diœcesanam, *n.* 91. Hæc opinio graviter impugnatur, sed defenditur, *n.* 92. 93. *&* 94. Lex Diœcesana, & Lex Jurisdictionis, quomodo sint interpretandæ? *num.* 90. *& seqq.* Quænam sint illa, quæ specialiter pertinent ad Legem Diœcesanam Episcoporum, *n.* 95. *& seqq.* A Lege Diœcesana regulariter sunt exempta omnia Monasteria, *num.* 85. *&* 86. Non verò Capellæ, seu Parochiæ sæculares ipsis incorporatæ, *num.* 87. Asserens aliquid pertinere ad Legem Diœcesanam, tenetur hoc probare, *n.* 106. A Lege Jurisdictionis Monasteria non sunt exempta, nisi speciali privilegio sint munita, *num.* 85. *&* 88. *& seqq.*

2. Lex Civilis quando censeatur obligare ad culpam, etiam pro foro conscientiæ? T. 24. *n.* 89. Juramentum contra Leges Civiles, earumque prohibitionem factum, an obliget? *n.* 88. 89. *& seqq.* Vide supra ℣. *Juramentum contra Leges Civiles.* Lex magis subvenit illi, qui facit actum ex necessitate, quàm ex voluntate, T. 24. *n.* 152.

Lex, *Diffamari, C. de Ingenuis & manumiss.* quid statuat? T. 2. *num.* 174. Ea habent locum in diffamatione super omni genere causarum, tum criminalium, tum civilium majoris momenti, *num.* 176. Quæ requirantur ut remedio Leg. *Diffamari* locus sit? *num.* 177. In Judicio ex *Leg. Diffamari*, Judex competens est judex *Diffamati*, *num.* 178. *&* 179. In causis diffamationum duplex intervenit judicium; unum diffamationis; alterum actionis principalis, *num.* 180. In judicio diffamationis, Clericus diffamans nequit conveniri coram Judice Laico, *ibid.* Si Reus, putà Diffamator, est alienæ jurisdictionis, proprius ejus Judex pro executione citationis est requirendus, *num.* 181. Hæc citatione non obstante, potest Diffamator, seu Actor, postea convenire Diffamatum, coram quo maluerit ejus Judice, *n.* 182.

3. Leges civiles disponentes de Ecclesiis, & earum personis etiam in earum favorem non valent, T. 49. *num.* 78.

Legi Diœcesanæ Regulares non sunt subjecti, T. 39. *num.* 12.

Leges Romanæ promulgatæ obligant ubique, T. 49. *num.* 86. *& seq.*

5. Legis Commissoriæ pactum quid; & an sit licitum? T. 19. *n.* 117.

R. J. Leges civiles, SS. Canonibus contrariæ, sunt nullæ, C. II. R. LXXVI. *n.* 4.

Leges pœnales censentur odiosæ, C. II. R. XV. *num.* 10.

Legi fraus fieri potest quadrupliciter, 1. de re ad rem, 2. de persona ad personam, 3. de contractu ad contractum alium, 4. de contractu ad contractum eundem, sed alio modo, C. II. R. LXXXIII. *n.* 4. 5. 6. 7.

— aliud est facere in fraudem Legis, aliud contra legem, C. II. R. LXXXVIII. *n.* 3.

Legis finis & ratio est anima ejusdem, C. II. R. I. *n.* 19. R. LXXXIII. *n.* 8.

Legis verba non nudè sumenda, sed intentio &c. C. II. R. LXXXVII. *n.* 8.

Lex & natura horrent inutiles Ambages, C. II. R. LIX. *n.* 2.

Legem dicere quid intelligatur? C. II. R. LVII. *num.* 2.

— contra legem prohibentem facta quando annullentur? C. II. R. LXIV. *n.* 9.

— contra legem prohibentem, vel irritantem, vel præscribentem formam actûs, quomodo quid fiat? *ibid. n.* 2. 3. 4.

LIBELLUS.

2. Libellus quid? *T.* 3. *num.* 2. Debet dari in scriptis, *n.* 3. Et primò Judici, postea per hunc Reo, *ibid.* Debet esse brevis, *num.* 4. Et claram continere intentionem Actoris; & cur? *nu.* 5. Redditur quinque modis obscurus, *num.* 6. Libellus alius civilis, alius Criminalis, *nu.* 7. Solet constare tribus partibus, *n.* 8. Qualiter sit concipiendus? *num.* 9. An, & quomodo oporteat in eo exprimere causam petendi? *num.* 10. *&* 14. *ac seqq.* Alioquin Reus non tenetur respondere, *nu.* 15. Si tamen non excipiat, valet judicium, *num.* 16. In actione reali sufficit in libello exprimere causam petendi remotam: secus in personali, *num.* 14. *&* 17. In Libello de Jure Canonico non est necessariò exprimendum nomen actionis, *num.* 18. Ac in dubio censetur intentata actio præ cæteris utilior Actori, *nu.* 19. An de Jure Civili necesse sit, in libello exprimere nomen actionis? *n.* 20. Etiam secundùm Canones admittitur Actor exprimens in libello nomen actionis, *n.* 21. Et quid si proposuit actionem inseptam? *ibid.* In libello actionum civilium opus est conclusione, *nu.* 22. Secùs in actionibus criminalibus, *nu.* 23. Conclusio libelli in actionibus civilibus, qualiter facienda? *nu.* 24. Solent eidem addi clausulæ salutares; & cur? *n.* 25.

2. Libellus semel oblatus Judici, an possit mutari, vel emendari? *T.* 3. *n.* 26. *& seqq. Mutari & emendari libellum*, differunt, *num.* 26. Libellus Judici oblatus potest mutari usque ad litis contestationem, *num.* 27. An etiam sæpius possit mutari, *num.* 28. Post litem contestatam nequit mutari libellus, *nu.* 29. Nisi refusis expensis velit Actor à priori instantia recedere, *num.* 30. Emendare libellum, licitum est usque ad sententiam, *nu.* 31. Idque declaratur exemplis, *n.* 32. Actor exprimens in libello certam causam, eam que probans, succumbit, licèt probet aliam, *num.* 33. Quamvis idcircò non prohibeatur, ex causa illa nova denuò agere, *num.* 34. Si Actor certam causam in libello non expressit, sufficit probare quamcunque justam causam etiam supervenientem, *n.* 36. *&* 37.

Libelli oblationis effectus, qui? *T.* 3. *num.* 38. *& seq.* Qualiter ipsa interrumpat præscriptionem? *num.* 39. Actor post libellum per Judicem Reo porrectum, obligatur litem prosequi; & quando secùs, *nu.* 40. An unà cum citatione fit necesse, vel saltem consultum, transmittere Reo tenorem libelli? *T.* 3. *n.* 61. Libelli oblatio an possit fieri quolibet tempore, etiam feriato? *T.* 9. *num.* 47. *&* 48. Secundùm formam Libelli debet fieri probatio judicialis, *T.* 19. *num.* 56. Debet sententia esse conformis libello; & quomodo? *T.* 17. *num.* 77. *&* 79. Adeò ut Judex appelletur *siculus*, qui ultra petita in libello judicat, *n.* 78. & *T.* 3. *n.* 33. Fallit illud in certis casibus, *T.* 27. *n.* 80. *& seqq.*

5. Libellus accusationis in processu Criminali, quando, & quomodo fieri possit ac debeat? *T.* 1. *num.* 349. *& seqq.* Præstat etiam cum illo offerre directorium probationis, & testium denominationem, *n.* 354. *& seq.*

LIBERI.

2. Liberi. Vide suprà ℣. *Filiusfamilias.*

3. Liberi illegitimi, Naturales, Spurii, ex damnato coitu, qui? *T.* 26. *num.* 410. An & quando succedant Parentibus, vel possint esse hæredes? *ibid. & num. seqq.*

Liberi legitimi Naturales, Legitimati per Matrimonium, vel rescriptum Principis aut Comitis Palatini, spurii ex damnato coitu qui? *T.* 27. *num.* 9. *& seqq.*

Liberi an & quando sine consensu Parentum Religionem ingredi, & suscipi possint? *T.* 31. *n.* 77.

Liberi prioris Matrimonii habent tacitam Hypothecam in bonis parentis iterum nubentis, *T.* 21. *n.* 23.

Liberos habere dicitur qui unicam prolem habet? *T.* 26. *n.* 623.

4. Liberi sequuntur quoad statum servitutis & libertatis conditionem matris, *T.* 10. *num.* 2. Est tamen proles libera, sive mater talis fuerit tempore conceptionis, sive nativitatis, *num.* 3. Quoad nobilitatem & dignitatem proles legitimè natæ sequuntur conditionem patris, *nu.* 4. Eandem sequuntur etiam uxores, *n.* 5. Nisi alicubi contraria sit consuetudo, *n.* 6. Aut specialis statuta, *n.* 7.

Liberi ubi, & cujus expensis educari debeant facto divortio, *T.* 19. *n.* 103. *& seqq.*

Liberi legitimi. Vide *Legitimi.*

Liberi Illegitimi. Vide *Illegitimi.*

LIBER, LIBERTAS.

1. Liberi homines, & libertini qui? *T.* 18. *n.* 1.

4. Libertas res inæstimabilis, & omnibus rebus favorabilior est, *T.* 10. *n.* 3.

R. J. Libertatis causa est favorabilis Actori, C. II. R. XI. *num.* 10.

LIBERTUS.

2. Libertus non admittitur in testem adversùs Patronum suum, *T.* 20. *num.* 145.

LIBRI.

1. Libri Decretalium, Clementinarum, & extravagantes, habent indubiam authoritatem legis, P. *n.* 87. *& seqq.* Cur solis Doctoribus Bononiæ commorantibus tuerint transmissi? *num.* 88. Libri canonici, unde sint tales? *T.* 1. *n.* 73. Libri Auctorum damnatorum rectè jubentur comburi, cit. *T.* 1. *n.* 223. Libro damnato, non idcircò censetur damnatus Auctor, *n.* 224. *&* 225. Damnato tamen Authore, ejus quoque libri censentur damnati; & quomodo? *n.* 220. *& seqq.*

1. Libros edere non possunt Regulares absque examinatione, & approbatione Ordinarii, *T.* 31. *n.* 143. Quid dicendum de Lectionibus, Disputationibus, vel Concionibus? *n.* 144.

2. Libri Parochorum non habentium speciale Archivium, quam vim probandi habeant? *T.* 23 *n.* 126. *& seqq.* Quos libros Parochus teneatur habere? *n.* 126. Libri Parochiales de quorundam Baptismo, Matrimonio, vel morte attestantes, plenè probant, *nu.* 127. Et qualiter probent Libri Parochiales, in quibus annotantur redditus, jura, & bona Ecclesiæ suæ? *num.* 128.

Libri rationum, ac hujusmodi, in Archivio publico reperti, an plenè probent? T. 22. *num.* 102. Et quæ conditiones ad id requirantur? *num.* 103. 105. *& seqq.* Vide infrà ℣. *Scripturæ privatæ.* Quid dicendum de Libris ex Archiviis Monasteriorum, Civitatum &c. extractis? T. 22. *num.* 114. 115. 118. *& seqq.* In summis parvis datur plena fides libris Monasteriorum, Civitatum &c. *num.* 120. *& num.* 208. *& seqq.* Libri antiqui Ecclesiarum probant pro Ecclesia; præsertim quando agitur de probandis finibus, *num.* 121. Id ipsum procedit, quando ex libris Monasterii comitat de solutione decennali uniformi censuum, quia tunc solita solutio censûs rectè probatur, *num.* 122. Et quid si agatur de probando dominio, vel possessione? *num.* 123. Quando agitur contra Monasterium, tunc contra illud ex Libris ejusdem plena fides inducitur, *nu.* 124. Idem dicendum, quando subditus tales libros,

bros, vel scripturas Monasterii, allegat contra alium subditum illius, *n.* 125.

Libri rationum, quid? T. 22. *n.* 135. Ad librum rationum commodè reducitur Inventarium privatum, *num.* 136.

Libri rationum, qui, & à quibus confici soleant? T. 22. *num.* 194. Quæ fides debeatur libris rationum? *num.* 194. *& seqq.* Regulariter non probant plenè pro scribente, benè tamen contra ipsum, *n.* 195. Nec probant pro hærede scribentis, etiamsi succedat Fiscus, aut Ecclesia, *num.* 196. Cur Libros rationum suarum teneantur edere Fœneratores? *num.* 197. Liber rationum probat contra scribentem, etiamsi sit scriptus manu alterius de sua voluntate, *num.* 198. Et quid si principalis neget, ipsum de sua voluntate esse scriptum, *numer.* 199. Datur nihilominus aliqui casus, in quibus liber rationum probat pro scribente, aut in commodum suorum hæredum, *num.* 200. *& seqq.* Ut si Lege publicâ sic disponatur, *num.* 201. Aut consuetudine, vel statuto speciali, *num.* 202. Prout alicubi probant libri mercatorum, saltem usque ad certam quantitatem, *num.* 202. *&* 203. *& seqq.* Liber rationum defuncti, qui fuit vir bonus, facit pro hærede semiplenam probationem, *Tit.* 22. *num.* 206. Non verò plenam, nisi aliis adminiculis adjuvetur, *num.* 207. Libro rationum Tutoris, Mercatoris, seu alterius Administratoris viventis, prævio scribentis juramento statur in parvis, ac verisimilibus summis, dummodo ille sit vir legalis, *num.* 208. Secùs dicendum in magnis summis, nisi concurrant legitimæ probationes, vel sufficientia adminicula, *num.* 209. Adminicula hujusmodi, quæ sint? *num.* 210. 211. 212. *& seqq.* Liber rationum debet simul continere data & accepta &c. *num.* 212. In eoque addi causa ex qua aliquid acceptum, & expensum fuit, unà cum anno, mense & die, *num.* 213. Debet esse candidus, seu carens cancellationibus, & superductionibus, *num.* 215. Juramentum illius, qui librum rationum composuit, præstat adminiculum, quòd contenta in eo sint vera, *num.* 216. *&* 217. In defunctis, qui olim scripserant librum rationum, supplet mors efficaciam juramenti, *num.* 218. Ut liber rationum probet pro scribente, requiritur, ut is ad petitionem partis exhibeatur, *num.* 219. Et quod in ea solùm sint descriptæ res pertinentes ad officium de quo tractatur, *num.* 220. Sitque compaginatus, non autem in foliis volitantibus, *ibid.* Libri rationum debent edi cum die, secùs in editione instrumentorum, *T.* 22. *num.* 241.

3. Libri Feudorum an sint authentici? *T.* 20. *nu.* 39.

5. Libri Missarum quomodo formari debeant ad hoc ut cognosci valeat, Missas omnes juxta decreta Pontificia, & intentionem petentium rite fuisse persolutas, *T.* 3. *n.* 214.

Libri legi quinam, & quomodo prohibeantur per Indicem librorum prohibitorum? *T.* 7. *num.* 99. *& seqq.* Prohibentur per illum libri triplicis Classis, videlicet primæ: & qui? *num.* 100. Secundæ Classis: & qui? *num.* 101. Tertiæ: & qui? *num.* 102. Libri secundæ, & tertiæ Classis, ob doctrinam minùs sanam prohibiti, sub peccato gravi quidem, sed nullâ sub Excommunicatione prohibentur, *nu.* 105. De facto novus confectus est Index librorum prohibitorum continuò crescens, *num.* 109. Easdem cum antiquo regulas habens, *num.* 110. Enumerantur Regulæ Indicis librorum prohibitorum, *n.* 111. Librorum per Indicem prohibitorum Lectio num etiam in Germania, & partibus septentrionalibus sit peccaminosa? *num.* 113. *& seqq.* Etiam Regulares tenentur ad observantiam Indicis librorum prohibitorum, *num.* 121.

Sententiæ executio, quo tempore, ac ordine sit facienda? T. 27. *num.* 160. *& seqq.* In actionibus, seu causis civilibus, sententia lata non illicò est executioni mandanda, sed expectandum saltem per decem dies, *num.* 160. Et quid in criminalibus? *num.* 161. & 162. Si dixerit Reus, se velle parere sententiæ, statim ita in actione reali est executioni mandanda, *num.* 163. In actione personali regulari conceditur quadrimestre ad solvendum, *nu.* 164. Statim solvere debens, non tenetur illicò cum sacco adire, *ibid.* Quadrimestre illud ex causa justa potest arctari, vel prolongari; non tamen sine causa, *num.* 165. Executio sententiæ in debitis personalibus, quo ordine in bonis fieri debeat? *num.* 166. Ipsa plerumque spectat ad Judicem, qui sententiam tulit, dummodò is sit Judex ordinarius, *num.* 167. Quid, si bona Rei condemnati sint in alieno territorio? *ibid.* Post sententiam latam expirat officium Judicis; & quomodo? *nu.* 168. Sententiam suam an possit exequi Judex delegatus? T. 27. *num.* 169. 170. *& seqq.* Executionem sententiæ inter alios latæ potest impedire tertius interveniens pro suo interesse, atque appellans, *num.* 173. Dummodo probet de suo jure, *num.* 174. A sententia inter alios lata appellari non potest, nisi ex justa causa: idque exemplificatur, *num.* 175.

2. Sententia à pluribus lata tenet, si plures Judices concurrant, T. 27. *num.* 215. Ex tribus Arbitris statur sententiæ duorum concordantium, *num.* 216.

Et

Et quid si duo Judices contraria pronuncient? *nu.* 217. & 218. Aut duo Arbitri contrarias ferant sententias? *num.* 219.

Sententia diffinitiva differt ab interlocutoria quoad modum appellandi ab ea: & quomodo? T. 28. *num.* 13. 14. *& seqq.* Vide supra *v. Appellatio judicialis.* A sententia interlocutoria de facto non licet appellare, nisi habeat vim diffinitivæ, vel nisi gravamen per diffinitivam irreparabile afferat, *num.* 16. Gravamen per sententiam diffinitivam irreparabile, exemplificatur, *ibid.* Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ, regulariter secundùm naturam diffinitivæ, T. 28. *num.* 102. Sententiæ in causa appellationis executio, an spectet ad Judicem *ad quem*, vel *à quo*? T. 28. *numer.* 238. Communior sententia tenet, eam spectare ad Judicem *ad quem*, *num.* 238. & 239. Limitatur hoc, quando Judex *à quo* dedit Apostolos refutatorios, & appellatio pronuntiatur frivola, *num.* 240. Et quid observetur in Curia Romana? *num.* 241. Limitatur etiam, quando sententia transit in rem judicatam, ob non præsentatam superiori appellationem inter legitima tempora, *numer.* 242. Et quando appellatio fuit deserta per lapsum Fatalium ad ejus prosecutionem statutorum, *numer.* 243.

2. Sententia lata in possessorio, non admittit appellationem, T. 28. *num.* 304. Et quid in possessorio magni præjudicii? *num.* 305. Ab eadem sententia, & super eodem articulo, non licet eidem ter appellare, *num.* 312. Secùs super diversis articulis, etiam ejusdem causæ, *num.* 313. Et quid si modò una modò altera pars succumbat, & appellet, *num.* 314.

5. Sententia in processu criminali antequam feratur, quid observari, & fieri oporteat, T. 1. *num.* 483. *& seqq.* Citatio Rei ad audiendam sententiam est de substantia processûs, *num.* 484. Potest fieri ore tenùs, si Reus & Actor sunt præsentes; alias fit in præsentia testium, *num.* 485. Forma hujus citationis, *num.* 486. Dum fertur sententia, non est necessaria præsentia Rei, vel Actoris, nisi alias jam essent in loco, *ibid.* recensentur plura alia Requisita circa ferendam sententiam, *n.* 487. *& seqq.* Forma sententiæ diffinitivæ, *num.* 500. Si Judex delegatus fert sententiam, debet esse præsens, & alios præcedere, *n.* 501.

Sententia in processu criminali lata executioni dari non potest; nisi post 10. dies, ut videatur, an & qualiter Reus appellet, T. 1. *n.* 502.

Sententia pœnam criminalem imponens, an, à quo, & quando possit mutari? T. 1. *n.* 515.

R. J. Sententia nulliter lata, nullo temporis tractu transit in rem judicatam, nec neglectis fatalibus appellationis, C. II. R. XXI. *num.* 8.

Sententiam diffinitivam latam Judex mutare aut revocare non potest, C. II. R. XXI. *num.* 8.

SEPARATUM.

2. Separata. In separatis ex uno ad aliud non infertur, T. 2. *num.* 182.

SEPELIRE, SEPULCHRUM, SEPULTURA.

3. Sepelientes indignum, quas pœnas incurrant? T. 28. *num.* 37.

1. Sepulti à Schismaticis, non sunt exhumandi, T. 16. *num.* 30.

Sepulturam eligere, & ad hanc eligendam inducere Parochianos, an liceat? T. 35. *num.* 77.

2. Sepulturæ in loco sacro causam, solus Judex Ecclesiasticus cognoscit, T. 1. *n.* 74. *& seqq.*

3. Sepulchrum Altaris quid? T. 4 *num.* 39.

Sepultura quid sit? & ubi fieri debeat, quando non eligitur? T. 28. *num.* 2. *& seqq.* Sepultura variè accipitur, *num.* 2. Definitur, *num.* 3. Locus sepulturæ ordinariè est Cœmeterium, *num.* 4. Quod ab Ecclesiis remotum esse debet, *num.* 5. in Ecclesiis olim nemo poterat sepeliri, *num.* 6. Dissuadetur abusus hodiernus, *num.* 7. *& seq.* Si nulla eligitur sepultura, quivis sepelitur in sepulchro Majorum, *num.* 9. *& seq.* Quid Juris, si Majores in diversis jacent sepulchris? *num.* 11. Qui non habet sepulturam Majorum, sepelitur in sua Parochia, *num.* 12.

Sepultura Clericorum sæcularium, & Religiosorum, T. 28. *num.* 13 *& seqq.* Clerici Beneficium non habentes ibi sepeliuntur, ubi Laici, *num.* 13. Beneficiati verò, ubi Beneficium habent, etsi alibi domicilium habeant, *num.* 14. *& seqq.* Religiosi sepeliuntur in suo Monasterio, si ibi vel extra in loco tamen propinquo moriuntur, si in remoto loco, *ibid.* vel sepultura electa sepeliuntur, *num.* 18. Si è loco propinquo deferuntur ad Monasterium, nihil debetur Parocho loci, *num.* 19. Novitii sepeliuntur in Monasterio, *num.* 20. Religiosorum domestici, servitiales in eorum Ecclesia, vel Cœmeterio sepeliuntur, *num.* 21.

Sepultura uxoris viduæ, hæc sepelitur in sepulchro viri, etsi post mortem mariti in aliam Parochiam secedat, T. 28. *num.* 22. Uxor legata ubi sepeliatur? *num.* 27. Idem quod de uxore, etiam reciprocè de marito dicendum est ratione sepulturæ, *num.* 24. *& seq.*

3. Sepultura peregrinorum transeuntium est propria Parochia, si illuc commodè portari valeat: secus Parochia loci, ubi decedunt, T. 28. *nu.* 26. *& seq.* Peregrini & advenæ diu alicubi habitantes sepeliuntur in loco, ubi moriuntur, *num.* 28.

Sepulturæ jus, quibus locis, & quomodo competat ad hoc, ut defunctorum cadavera ibidem sepeliri possint, ac debeant? T. 28. *num.* 29. *& seqq.* Competit Ecclesiæ Parochiali, *num.* 29. & Minoribus, & Prædicatoribus ex privilegio, *num.* 30. Invitis Regularibus apud eosdem nemo sepeliri potest, *num.* 31. Ad eligendam alicubi sepulturam nemo potest induci, *num.* 32. Pacta inter superiores locales & Clericos sæculares circa sepulturam, casu quo quis eam apud sæculares eligit? *num.* 34. *& seqq.*

Sepulturæ electionem facere quivis potest, Tit. 28. *num.* 29. In quovis loco Religioso, etiam in privata Capella, *num.* 40. Impuberes tamen prohibentur sibi eligere sepulturam, *numer.* 41. Religiosi subditi quoque non possunt sibi eligere sepulturam: benè tamen Prælati supremi, *num.* 42. Ac novitii. Item Professi in remotis decedentes, *num.* 43. Quid Juris, & quæ observanda, casu quo quis eligit sepulturam apud Regulares, *num.* 34. Ibi sepeliri quivis debet, ubi sepulturam elegit, *num.* 9.

Sepulturæ pro loco, & actu an aliquid exigi possit? vel debeatur? T. 28. *num.* 65. *& seqq.* Pro terra sepulturæ deputanda nondum benedicta aliquid exigi vel accipi potest, *num.* 65. Non verò pro terra jam benedicta, *num.* 66. Nisi adsit consuetudo, vel liberaliter quid offeretur, *num.* 67. Ratione situs, & honoratioris loci aliquid peti potest, *num.* 68. *& seq.* Parochus neminem cogere potest ad dandum aliquid pro officio sepulturæ, Exequiis &c. *num.* 70. Benè tamen liberaliter datum recipere: & ubi

& ubi dandi consuetudo est Episcopum convenire, ut ad dandum compellat, *num.* 71. *& seq.* Abusus Parochorum in petendo aliquid pro sepultura & exequiis, *num.* 73. *& seq.*

3. Sepultura quibus concedi, & negari debeat? T. 28. *nu.* 76. *& seqq.* Omnes fideles baptizati, etiam damnati ad mortem (exceptis suspensis, & Roræ affixis) in loco sacro sepeliri debent, *num.* 76. *& seqq.* Sepultura privantur omnes in notorio peccato mortali decedentes, *num.* 90. Si excommunicatus denuntiatus, aut infidelis sepelitur in loco sacro, polluitur Ecclesia, debetque Corpus iterum exhumari, *num.* 91. An etiam reliqui indigni exhumari debeant, & per eorum sepulturam polluatur Ecclesia? *nu.* 92. *& seq.* Pœnæ sepelientis indignum, *num.* 94. *& seq.* Per sepelientes quinam intelligantur? *num.* 96.

5. Sepulchri violatio quid, & quæ pœna illius? T. 18. *num.* 66. *& seqq.*

R. J. Sepultura. In communem sepulturam extraneus non potest sepeliri nisi omnium consensu, C. II. R. LVI. *num.* 10.

SEQUESTER, SEQUESTRARE, SEQUESTRATIO, SEQUESTRUM.

2. Sequester, quis? T. 17. *num.* 5. An officium suum deponere valeat? *numer.* 8. Utrum in sequestrum transeat possessio rei sequestratæ? T. 17. *num.* 42. *& seqq.*

Sequestrare fructus rei petitæ ob contumaciam Rei, potest quandoque Judex, T. 14 *nu.* 132. Sed non nisi concurrentibus certis circumstantiis, *n.* 133.

2. Sequestratio, quid? T. 17. *num.* 2. *& seqq.* Et qualiter differat à Depositione? *num.* 3. *& 5.* Datur tum de re mobili, tum de immobili, *num.* 4. Sequestratio est duplex, voluntaria videlicet, & necessaria; & quid? *num.* 6. *& 9.* Sequestratio prior, qualiter censeatur voluntaria? *num.* 7. Dicitur etiam conventionalis, *ibid.* Sequestratio necessaria, quot modis fiat? *num.* 10. Fit vel officio Judicis, vel ad instantiam partis, *num.* 10. *& 11.* Sequestratio de re non litigiosa, ex duplici causa fieri solet, & quali? *num.* 12. Et quibus modis sequestratio fiat de re litigiosa? *num.* 13. An, & in quibus casibus permittatur fieri? T. 17. *nu.* 14. *& seqq.* Sequestrati voluntaria est permissa, *num.* 14. Necessaria regulariter est prohibita; & cur? *num.* 15. *& 16.* In pluribus tamen casibus etiam sequestratio necessaria est permissa, *nu.* 17. *& seqq.* Nempe, quando Reus dissipat fructus, quos conservare debet, *numer.* 18. Quando petitur res mobilis, & persona est suspecta, ne fugiat cum ea, *num.* 19. *& seqq.* Item, si timetur de dilapidatione, *num.* 22. Item in re dotali, & accedente justâ causâ, *numer.* 23. Et quando appellatur ab Executore sententiæ diffinitivæ modum excedente, *num.* 24. Etsi quis de possessione servitutis proclamat in libertatem, *num.* 25. Etsi colonus neget locationem, *num.* 26. Item fit sequestratio, si pendente lite super valore matrimonii, ex parte mulieris timeatur de sævitia viri, *num.* 27. Vel si timetur, ne Sponsæ, de cujus matrimonio agitur, violentia inferatur, aut ipsa corrumpatur, *num.* 28. Vel si servi conquerantur de tyrannide Dominorum suorum, aut Religiosi de suis Prælatis, *num.* 29. Et quando aliquid dicitur ablatum illi, qui est de familia Judicis, *num.* 30. Fit quandoque sequestratio fructuum rei petitæ ob contumaciam Rei, *num.* 31. Fit etiam sequestratio Beneficii, & fructuum ejus, quando contra ejus possessorem apud Sedem Apostolicam sunt promulgata una sen-

tentia diffinitiva &c. *nu.* 32. Fitque sequestratio ob timorem scandali, *num.* 33. Et ne perdatur occasio vendendi rem litigiosam, quæ servari nequit, *n.* 34.

2. Sequestrationem ut Judex facere possit, quæ requirantur? T. 17. *n.* 35. *& seqq.* Ad eam faciendam, ut Judex ex officio nobili procedat, requiritur publica causa, *n.* 35. *&* 33. Ut ex officio mercenario, potissimum requiruntur quatuor; & quæ? *n.* 36. 37. & 38. Remedium Juris evitandi sequestrationem in casibus memoratis, regulariter est cautio sufficiens de restituenda re litigiosa, *num.* 39. *& seqq.* In sequestratione an possessio rei sequestratæ transeat in sequestrum? *num.* 42. *& seqq.*

3. Sequestrum sive sequestratio quid? T. 16. *num.* 5.

SERMO.

2. Sermo seriosus de æquitate canonica idem præstat, ac Juramentum, T. 18. *num.* 59.

SERVITUS, SERVUS.

1. Servitutes sunt juri naturali contrariæ, quomodo? P. *num.* 22.

Servus melioremconditionem domini facere potest, non deteriorem, T. 2. *num.* 316. Servi an Rescriptum impetrare valeant? T. 3. *num.* 36. & 37. Servi in Jure, qui dicantur? T. 18. *num.* 2. Servorum triplex est genus, *num.* 3. *& seqq.* Servi propriè dicti, seu Mancipia, *num.* 4. Servi adscriptitii; & servi originarii, qui? *num* 5. Famuli pro annua mercede servientes, in sensu juris non sunt servi, *num* 6. Servus quis efficitur tribus potissimùm modis, *num.* 7. *& seqq.* Videlicet nativitate; & quid ad hoc requiratur? *num.* 8. Captivitate, *num.* 9. Et venditione, *num.* 13. Cur capti in bello dicebantur servi, seu Mancipia? *nu.* 9. De facto capti in bello dicebantur servi, seu Mancipia? *num.* 9. De facto capti in bello inter Christianos gesto, non amplius efficiuntur servi: & cur? *num.* 10. Benè tamen capti in bello contra Infideles, v. g. Turcas gesto, *num.* 11. Christiani in servitutem Turcicam abducti, à nobis reputantur liberi, *num.* 12. Quibus aliis modis quis efficiatur servus? *nu.* 14. Servi propriè dicti, ac etiam servi adscriptitii, & originarii, prohibentur ordinari absque consensu dominorum, *nu.* 15. *&* 16. Ordinarie requiritur expressa domini licentia in scriptis obtenta, ut servus ordinetur, *nu.* 17. Quamvis etiam tacitus domini consensus sufficere possit, *num.* 18. Et tunc servus eo ipso acquirit libertatem, *num.* 19. Servus ad Ordines minores invito Domino promotus, debet huic ipsum repetenti restitui, *num.* 20. Quid Juris, si servus invito domino initiatus fuerit sacris Ordinibus? *num.* 21. *& seqq.* Vel etiam ad Sacerdotium promotus? *num.* 24.

2. Servi, seu Mancipia, prohibentur simpliciter esse testes in Judicio, T. 20. *num.* 69. Nisi in defectum aliarum probationum, ac in exceptis criminibus, *nu.* 70. Servi tamen adscriptitii, & originarii, sunt homines liberi, nec excluduntur à ferendo testimonio, *num.* 71. Valet testamentum, ad quod servus adhibitus fuit, quando tunc communi opinione reputabatur liber, T. 20. *num.* 54.

Servitutis nomen dupliciter accipitur, pro subjectione nimirum & pro jure, T. 26. *nu.* 89. Servitus ut sic, quid? *num.* 90. Dividitur in personalem, realem & mixtam, *num.* 91. Servitus personalis, & realis, quid? *n.* 92. *&* 93. Servitus realis alia est rustica, alia urbana, *n.* 94. Servitus realis urbana duplex est, affirmativa & negativa, *nu.* 96. Servitutes urbanæ affirmativæ, quæ? *num.* 96. *&* 97 Servitutes urbanæ negativæ, quæ? *n.* 98. Servitus realis rustica etiam

duplex est, nominata & innominata, *num.* 99. Nominata est quadruplex, nempe Iter, actus, Via, & Aquæductus; quid? *ibid.* Servitus rustica innominata, quæ, & qualis? *num.* 100. Servitus realis alia continua, alia quasi continua, & alia discontinua; quæ? *num.* 101. Servitus mixta est triplex, videlicet Ususfructus, Usus, & Habitatio; & quid? *num.* 102. 103. & 104.

2. Servitutibus, aliisque obligationibus, an præscribi valeat non obstante malâ fide, seu scienti à Juris alieni? *T.* 26. *num.* 105. *& seqq.* Servitutes rusticæ amittuntur per solum non usum, *num.* 190. & 110. Est secùs sit in servitutibus urbanis, juxta notabilem differentiam inter ipsas, *num.* 110. Servitutibus urbanis negativis præscribi nequit, nisi per factum contrarium, *num.* 113.

Servitutum jura quanto tempore præscribantur, aut mediante alterius præscriptione amittantur? *T.* 26. *num.* 155. *& seqq.* Servitus mere personalis nullo tempore præscribitur, bene tamen libertas hominis, *num.* 156. Servitus mixta, *num.* 157. Et servitus realis, quo tempore præscribatur cum titulo? *num.* 158. Et quo tempore præscribatur sine titulo. Servitus realis continua, vel quasi continua? *num.* 159. Et quo discontinua? *num.* 160. Servitutes mixtæ, sicut & servitutes reales tum rusticæ, tum urbanæ, quomodo, & tempore amittantur? *num.* 161. Ad constituendam in prædio vicini Servitutem non sufficit tacitumitas ejus, nisi accesserit præscriptio, *T.* 12. *nu.* 172. In præscriptione contra Servitutes, actiones &c. requiritur aliqua possessio; & qualis? *T.* 26. *num.* 186. & 187.

3. Servire Episcopo quomodo excuset à Residentia? *T.* 4. *num.* 149.

4. Servorum Matrimonium. Vide *Conditionis impedimentum*, vel *T.* 9. *num.* 135.

R. J. Servus tacente Domino ordinatus fit liber, C. II. R. XLVIII.

— tacente Domino ordinatus restitui debet, C. II. R. LI. *num.* 9.

S E U.

1. *Seu* dictio facit sensum declarativum, *T.* 39. *n.* 63.

R. J. *Seu* quando sumatur pro dictione copulativa? C. II. R. LXX. *num.* 20.

SIGILLUM.

2. Sigillum, quid? *T.* 22. *num.* 70. Dividitur in authenticum, & non authenticum, *num.* 71. Quatuor detrahunt fidei Sigilli; & quæ? *num.* 72. *& seqq.* Sigilli falsitas argmitur ex eo, quia non congruit in sculpturis Dignitati Sigillantis, *num.* 72. Sigillo alieno an, & quâ ratione quis uti possit? *num.* 73. Sigillum solitum Magistratûs & ad talia negotia destinatum, debet adhiberi: alioquin redditur suspectum, *num.* 74. Sigillum est suspectum, quando ejus litteræ non sunt legibiles, *num.* 75. Aut patitur enormem fracturam, vel per glutinum novæ ceræ sigillum est chartæ connexum, arbitrio Judicis, *num.* 76.

Sigillum publicum, quid? *T.* 22. *num.* 77. Sæpius confunditur cum Sigillo authentico, *num.* 78. Sigillum privatum, quid? *nu* 79. Ratione finis multiplex est divisio Sigilli, *nu.* 80. Sigillum, in Jure etiam vocatur Annulus, *num.* 85.

Sigillum, an & qualem vim probandi habeat? *T.* 22. *num.* 81. *& seqq.* Sigillum de se nihil probat, nisi concurrant aliæ conditiones, *num.* 81. Harum potissimum sunt tres, *num.* 82. *& seqq.* Nempe, ut litteris exprimatur, cujus sit, *n.* 83. Unde Sigillans cum re non habente characteres, v. g. cum Corrigia, nihil agit, *num.* 84. Ut Sigillum probet, debet apparere, à quo fuerit appositum, *num.* 86. Et quâ de causa appositum sit? *num.* 87. An etiam requiratur subscriptio apponentis? *num.* 88. Instrumenta, quæ habent Sigillum, plenè probant, *nu.* 89. Differentia inter Sigillum authenticum, publicum, & privatum, *num.* 90.

2. Sigillum an probet, etiam si nulla intervenerit subscriptio Sigillantis? *T.* 22. *num.* 91. *& seqq.* In Testamentis, aliisque casibus magni præjudicii, requiritur subscriptio, nec sufficit sola appositio Sigilli, *num.* 94. Secùs dicendum de negotiis modici præjudicii, *num.* 93. 95. *& seqq.* Ad evitandas disputationes optimum est, etiam adhiere subscriptionem, *num* 95 Cur magis credatur Sigillo, quam dicto unius testis? *nu.* 96. An absque appositio Sigillo aliquando probet Instrumentum? *T.* 22. *num.* 97. *& seqq.* Absque Sigillo non probant Testamenta, Privilegia, & hujusmodi, *nu.* 97. Extra hosce casus regulariter Sigillum in Instrumentis ad substantiam actûs non adhibetur; sed ad faciliorem ejus probationem, *num.* 98. & 99. Sigillans scripturam, videtur fateri omnia contenta in ea, *num.* 99. Scriptura etiam privata, plene probat contra Sigillantem, *num.* 100. Consuetudo Provinciarum multùm operatur quoad hoc, *num.* 101. Per appositionem Sigilli authentici majoris Magistratûs &c. authentizatur scriptura, quæ originaliter est privata, *T.* 22. *num.* 146. Et quid, si ea fuit Sigillata à publico Notario? *num.* 147. Per Sigillum appensum potest probari, Apocham, v. g manu cujuspiam fuisse scriptam, vel subscriptam, *T.* 22. *num.* 160. Dummodò dolus in appositione Sigilli non videatur intervenisse, *num.* 161.

3. Sigillum Altaris quid? *T.* 40. *num.* 39.

Sigillo totius Ordinis S. Francisci solus Generalis Francisc anorum uti potest, *T.* 31. *num.* 51.

5. Sigillum Confessionis quid, & quinam ad illud teneantur? *T.* 38. *num.* 2.

Sigillum Confessionis violantium pœnæ, *T.* 38. *num.* 3. *& seqq.* Antiquæ quænam? *ibid.* Hodie est depositio, & carcer perpetuus, *num.* 4. Ad quam incurrendam requiritur, ut violans Sigillum sit Sacerdos, *num.* 5. Verum aliquod peccatum, mortale saltem in genere, vel veniale in specie, revelans, *num.* 6. Idque præsumptuosè, seu gravitet peccaminosè, *n.* 7. Alicui alteri, quam pœnitenti, *num.* 8.

Sigilli violatio à quo, & quomodo processurè debeat? *T.* 38. *num.* 9. *& seqq.* In hoc casu solus Ecclesiasticus, & quidem Ordinarius violantis Sigillum Judex est, *ibid.* Solvitur objectio desumpta ab exemplis contrariis, *num.* 10. Ad formandum processum contra violatorem Sigilli non requiritur licentia pœnitentis, *num.* 11. Si violator Sigilli fatetur se reum, puniri pœnâ ordinariâ, *num.* 12. Si dicat, se peccatum ex notitia aliunde hauftâ manifestasse, probare debet, unde illam notitiam habeat, *num* 13. Si dicat, se cum licentia pœnitentis revelasse, debet probare licentiam sibi datam, casu quo pœnitens est delator, *num.* 14. Secùs est, si alius est delator, *num.* 15. Etiamsi pœnitens sit accusator, creditur Confessario, si cæteroquin est vir integræ famæ, & vitæ, *num.* 16. Si cæteris paribus dubium est, pariter creditur Confessario, *num.* 17. Ad probationem violati Sigilli sufficiunt Testes singulares, *num.* 18.

SIGNIFICATIO.

5. Significatio verborum, & regula pro illa. Vide *Verborum significatio.*

SIMILE.

1. Simile, *De Similibus idem est judicium*: declaratur, *T.* 2. *num.* 413. *& seq. & num.* 504. Argumentum à simili est fragile, si dicatur, vel parva dissimilitudo, *num.* 414. Ex ratione similitudinis non est facienda extensio in correctoriis Jurium, *num.* 503.

R. J. Similium idem est Judicium, procem. *num.* 13.

SIMONIA.

2. Simonia non est crimen mixti Fori, sed merè Ecclesiasticum, *T.* 2. *num.* 160. Simoniæ crimen est exceptum, & comparatur crimini læsæ Majestatis: & quando? *T.* 18. *num.* 102.

3. Simonia realis & confidentialis in Beneficiis, quas pœnas inducat? *T.* 5. *numer.* 361. *& seq.* Item, *num.* 367.

5. Simonia quoad originem, naturam & malitiam, *T.* 3. *num.* 2. *& seqq.* Unde nomen habeat? *ibid.* Quid sit? *num.* 3. Est peccatum gravissimum, & omnium maximum, *nu.* 6. *& seqq.* Vocatur etiam, sed non semper est hæresis, *nu.* 9. Est perniciosissima Ecclesiæ, *nu.* 10. Non datur in ea levitas materiæ nec ex parte rei temporalis, *nu.* 11. Nec ex parte rei spiritualis, *num.* 13.

Simonia quotuplex? *T.* 3. *num.* 14

Simonia confidentialis quid? *T.* 3. *num.* 32. Ei annumerantur acquisitio Beneficii ex pacto accessûs, regressûs, & ingressus? *num.* 33. Proponitur duplex controversia circa Simoniam confidentialem, *num.* 35. *& seq.* Resignans Beneficium reservata sibi pensione, reus est Simoniæ confidentialis, *num.* 37. Non item permutans, *num.* 39. Quam tamen committere potest Ordinarius, vel alius collator, permutationem concedens: & quomodo? *num.* 40. Simonia confidentialis est subinde Juris Divini, subinde Ecclesiastici, *nu.* 41. Bulla Pii V. per extensum de hac, *num* 42.

5. Simonia conventionalis quid? *T.* 3. *num.* 19.

Simonia Juris Divini, & Juris Ecclesiastici quid? *T.* 3. *num.* 24. *& seq.* Rectè dividitur in hæc membra, *num.* 26. *& seqq.*

Simonia mentalis, & interna quid? ac quomodo differant? *T.* 3. *numer.* 15. Mentalis subinde ex parte utriusque, subinde ex parte unius sit, *num.* 16. Sæpe transit in conventionalem, & realem, *num.* 18.

Simonia realis quid & quæ requirantur ad eam? *T.* 3. *num.* 20.

Simoniæ materiæ, seu Merx quid? *T.* 3. *num.* 43 Est res spiritualis, & qualis? *nu.* 44. *& seqq.* Enumerantur plures species materiæ Simoniacæ, *num.* 47. *& seqq.*

Simoniæ Juris divini pretium, seu munus Simoniacum est omnis, & sola res temporalis, *T.* 3. *num.* 66. *& seqq.* Minus Simoniacum aliud est, & dicitur à manu, *num.* 59. Aliud ab obsequio, *num.* 60. Aliud à lingua, *num.* 61. Doctrina practica ad propositum, *num.* 62. Non est Simonia sine pacto simpliciter rogare, aut commendare, ut mihi, vel alii conferatur Beneficium, *num.* 63. Benè verò aliud peccatum, si respectu precum, Beneficium minùs digno conferatur, *nu.* 64. Dare Beneficium vel aliud spirituale intuitu consanguinitatis non est Simonia, *nu.* 55. Nec si illud conferatur ex timore mali incurrendi, *num.* 66.

Simonia ut committatur, requiritur pactum, vel contractus, *T.* 3. *num.* 68. Sufficit tamen tacitus, vel implicitus, *nu.* 69. Etiam ex parte unius duntaxat inchoatus, vel intentus, *num.* 70.

Anacleti Reiffenstuel Repertorium.

5. Simonia utrùm committatur, si datur, vel præstatur temporale sub spe consequendi spirituale; aut è contra? *T.* 3. *num.* 87. *& seqq.*

Simoniæ commissæ dando, vel præstando temporale sub spe consequendi spirituale doctrina, & casus practici, *T.* 3. *num.* 100.

Simonia utrùm committatur, & implicitus contractus aut pactum interveniat, si ablque ullo externo pacto, vel obligatione imposita, cum hac tamen intentione interna offeratur, vel præstatur temporale, ut alter moveatur ad dandum spirituale? *T.* 3. *nu.* 71. *& seqq.*

Simonia utrùm sit, dare & præstare temporale, spe & animo captandi alterius benevolentiam ac amicitiam in ordine ad consequendum ab eo spirituale? *T.* 3. *num.* 94. *& seqq.*

Simonia an, & quando committatur dando vel præstando temporale pro spirituali, aut è contra ex titulo gratitudinis? *T.* 3. *num.* 106. *& seqq.* Est Simonia si sit tacitum, vel expressum pactum, dandi temporale pro spirituali ex gratitudine, *numer.* 107. Contrahitur tamen obligatio antidoralis, gratitudinis, & ei satisfieri potest, *num.* 109. Vi illius tamen nullus tenetur ad retribuendum aliquid certum, *num.* 110. Simonia an committatur, si quis pro obtinendo spirituali dicat: *Ero gratus: Gratum me exhibebo?* *num.* 111. *& seqq.* Dare temporale pro spirituali jam accepto ex gratitudine Simonia est, si fit vi pacti præcedentis, *num.* 116. Secus est, si ex mera gratitudine sine præcedenti pacto fiat, *numer.* 117. *& seqq.*

Simonia quando committatur promittendo, dando, vel præstando temporale ad hoc, ut alius pro te intercedat, te recommendet in ordine ad obtinendum spirituale? *T.* 3. *num.* 122. *& seqq.* Est Simonia dare temporale pro intercessione, aut recommendatione ad obtinendum spirituale, *ibid.* Non item, si præcisè datur, ut fiat informatio de sollicitantis qualitatibus, *num.* 125. Nec si datur, ut audientiam procuret, sollicitantem instruet, &c. *nu.* 127. Post preces, aut recommendationem jam factas pro spirituali promittere, vel dare temporale non est Simonia, *num.* 129. Rectè promittens dare temporale pro spirituali in foro interno Simoniam non committit, *num.* 130. Nec pœnas illius incurrit, *num.* 131.

5. Simonia quando & quomodo committatur in collatione vel præsentatione Beneficiorum? *T.* 3. *numer.* 148.

Simonia in Electione, & Postulatione, si datur, vel promittitur temporale pro voto ad Beneficium, *T.* 3. *num.* 135. *& seqq.* Etiamsi per tertium detur temporale pro voto, & ignorante Electo, vel eligendo aut postulando, *numer.* 136. Efficitur insuper Electio nulla, *ibid.* Quam multæ electiones hoc tempore fiat nullæ, *num* 137. Et quam malè sibi consulant Simoniacè procurantes votum, *num.* 138. Statutum, & Juramentum Ecclesiæ Frisingensis in ordine ad propositum, *num.* 139. Quid possint agere Legati Principum, & alii deputati ad sollicitanda pro aliquo vota apud Eligentes, *num.* 140. Non est Simonia, rogare ut alicui votum, aut Beneficium conferatur; benè verò Simonia est, promittere Officium, vel Beneficium pro voto, *num.* 142. Etiam in Electione Regularium committuntur Simoniæ, *num.* 143. Est quoque Simonia, si datur temporale, ne eligatur dignus, *num.* 144. Non verò, si datur, ne eligatur indignus, *num.* 145. Nisi detur, ut loco indigni aliquis certus eligatur, *numer.* 146.

Dare temporale pro confirmatione, aut ne impugnetur Electio, Simonia est, *n.* 147.
5. Simonia quando committatur in permutatione Beneficiorum? T. 3. *n.* 155.
Simonia quando committatur in Resignatione Beneficiorum, T. 3. *n.* 149. *& seqq.* Est Simonia resignare Beneficium cum conditione, ut Resignatarius solvat expensas in obtinendo Beneficio prius factas, *nu.* 151. Resignans in favorem Tertii sine consensu Papæ simoniam committit, *n.* 152.
Simonia quando committatur in constitutione pensionis annuæ? T. 3. *n.* 156.
Simonia quando committatur in Administratione Sacramentorum, & sacramentalium, & aliarum functionum spiritualium? T. 3. *num.* 185. *& seqq.* Si pro his temporale accipitur per modum pretii, Simonia est, *ibid.* Non item, si accipitur per modum stipendii ad honestam sustentationem ordinati, *num.* 186. Secundùm aliquos non licet exigere, vel pacisci temporale per modum stipendii pro spirituali, *num.* 187. Contrarium est verius, *nu.* 188. *& seqq.* Pro functionibus spiritualibus temporale per modum stipendii accipere possunt etiam Clerici divites, *num.* 193. Et aliunde redditus abundantes habentes, *num.* 194. Ao & quando Clerici exigere possint temporale pro functionibus ex Officio debitis, *num.* 196. Instructio practica de accipiendo, & exigendo stipendio pro functionibus spiritualibus, *num.* 197. *& seqq.* Pro Missis stipendium accipere potest quivis Clericus, etiam dives, *num.* 201. Tam Regularis, quàm sæcularis, *num.* 202. Tam privati, quàm sæcularis, *numer.* 202. Tam privati, quàm superiores, *ibid. & num. seq.* Doctrina practica ad propositum de Missis privatorum Religiosorum, *num.* 204. Non potest pro Missa majus stipendium accipi, quàm habet loci consuetudo, vel superioris dispositio, *numer.* 206. *& seqq.* In accipiendo stipendio pro Missis observari debent Decreta Pontificia: & quæ? *num.* 209.
5. Simonia an, & quando committatur in exercitio jurisdictionis, & potestatis Ecclesiasticæ? T. 3. *nu.* 215. *& seqq.*
Simonia an, & quando committatur, si pro precibus, orationibus, virtutis exercitio, aut alio bono opere spirituali exigatur, vel detur temporale? T. 3. *num.* 218. *& seqq.*
Simonia an, & quando committatur in venditione, aut commutatione rerum sacrarum, sacratarum, vel benedictarum? T. 3. *num.* 221. *& seqq.* Licitum est rem spiritualem pro spirituali commutare, excepta materia Beneficiali, *nu.* 226. Doctrina practica ad propositum, *num.* 227.
Simoniæ in Beneficiis Ecclesiasticis commissæ pœnæ sunt Excommunicatio, T. 3. *num.* 263. Nullitas Beneficii Simoniacè accepti, *num.* 264. Confirmatio tamen, vel institutio, simoniacè obtenta non reddit priorem electionem, vel collationem nullam, *num.* 265. Alia pœna est inhabilitas perpetua ad idem Beneficium, *num.* 266. Et quodvis aliud obtinendum, *num.* 267. Item, depositio ab Altaris ministerio, *num.* 268. Ac privatio aliorum Beneficiorum, prius ritè obtentorum, *num.* 269. Simoniacus, qui privatur Beneficiis, prius ritè obtentis, fructus perceptos restituere non tenetur, *num.* 270. Doctrina practica de restitutione Beneficii, ac fructuum, *num.* 271. Pœnæ Simoniæ in materia Beneficiorum non afficiunt Simoniam commissam in obtinendis Vicariis, Capellaniis, &c. seu, ut clariùs dicam, non afficiunt Simoniam commissam in pensiones, Vicarias, Capellanias, *num.* 273.
5. Simoniæ confidentialis pœnæ recensentur, T. 3. *num.* 284. Et declaratur una earum de privatione Beneficii priùs ritè obtenti, *num.* 285.
Simoniæ in ingressu ad Religionem commissæ pœnæ sunt Excommunicatio, T. 3. *num.* 251. Detrusio in aliud strictius Monasterium, *num.* 252. Infamia, *num.* 253. Professio tamen valet, *num.* 254. Et ante illam pœnæ ipso facto non incurruntur, *num.* 255. Moniales ob Simoniam commissam in susceptione ad Religionem nullas incurrunt Juris pœnas, *num.* 256.
Simoniæ Juris Ecclesiastici pœnæ in commutatione Beneficiorum sunt eædem cum simonia Juris Divini in materia Beneficiorum commissâ, T. 3. *numer.* 272.
Simonia realis sola pœnas Juris inducit, T. 3. *n.* 249. Quamvis etiam aliæ Simoniæ ab Ordinariis puniri valeant, *num.* 250.
Simoniæ pœnæ in susceptione Ordinum commissæ, sunt Excommunicatio, T. 3. *num.* 257. Suspensio Ordinantis à collatione Ordinum, *num.* 259. Et Ordinati ab Executione ordinum, *n.* 262.
Simoniæ pœnæ incurruntur ob Simoniam in susceptione Ordinum, vel ingressu in Religionem, vel Beneficiis Ecclesiasticis commissam, T. 3. *nu.* 229. Et quidem ipso facto, *nu.* 230. Propter Simoniam mentalem nulla incurritur pœna, *num.* 234. Nec ob Simoniam purè conventionalem, *nu.* 235. Nisi in Electione Summi Pontificis, *num.* 237. Ob Simoniam conventionalem mixtam an pœnæ Juris incurrantur? *num.* 238. *& seqq.*
5. Simoniæ pœnas num incurrant etiam illi, qui Beneficium, aut Ordines per Simoniam non à se ipsis, sed ab aliis commissam acquirunt? T. 3. *num.* 274.
Simoniacè acceptorum restitutio quoad spiritualia non ligat, T. 3. *numer.* 286. Exceptis Beneficiis Ecclesiasticis, quæ una cum fructibus ante omnem Judicis sententiam restitui debent, *num.* 288. Qui temporale accipit pro spirituali quocunque, tenetur illud restituere, *num.* 289. Qui illud accipit pro Beneficio Ecclesiastico, pariter illud tenetur restituere, *numer.* 290. Et quidem Jure Divino, *num.* 291. Doctrina practica de restitutione Simoniacè acceptorum, *num.* 294. Temporale accipiens ratione Beneficii tenetur illud restituere Ecclesiæ, vel pauperibus, *num.* 295. Vel illi à quo accepit, *num.* 296. Simoniacè accepta propter ingressum in Religionem possunt manere penes monasterium, *numer.* 298. Accepta pro Administratione Sacramentorum, & Sacramentalium, etiam Simoniacè mentaliter restitui debent ante omnem Judicis sententiam, *num.* 229. *& seqq.* Accipiens temporale pro annexis spiritualibus non tenetur ad restitutionem, *num.* 302. Causæ & Tituli excusantes à restitutione Simoniacè acceptorum, *numer.* 303. *& seqq.*
Simoniæ à culpa quænam causæ excusent? T. 3. *nu.* 303. *& seqq.* Excusat ignorantia invincibilis, *num.* 304. Labor extrinsecus, non item intrinsecus, *nu.* 305. Vexationis injustæ Redemptio, *num.* 308. *& seqq.* Doctrina practica ad propositum, *num.* 315. A Simonia non excusatur, qui dat temporale, ne injustè vexetur in acquirendo spirituali, *num.* 316. *& seqq.*
5. Simoniæ à pœnis quæ causæ excusent? T. 3. *num.* 320. Quæ excusant à culpa, excusant etiam à pœna Simoniæ, *ibid.* Ignorantia tamen pœnæ non excusat ab ea, quando quis Simoniam committit, *num.* 321. Simoniacè accepta temporalia tenetur quis restituere, etsi accipiendo illa ignorarit, se peccare, *numer.* 324. Nisi Simoniacè accepta jam præ-

præscripserit, *num.* 326. *& seq.* Doctrina practica de præscriptione Simoniacè acceptorum temporalium, *num.* 328. Qui Beneficium Ecclesiasticum ab aliis, ipso ignorante, Simoniacè procuratum per triennium bona fide possidet, non tenetur amplius illud restituere, *numer.* 329. Benè verò, si inter triennium id resciit, *num.* 330. Simoniacè Beneficium procurans non gaudet regulâ de Triennali, *num.* 331.
Simonia, quæ & quot personæ contaminari possint in acquirendis, vel conferendis Beneficiis? T. 3. *num.* 157. *& seqq.*
Simoniæ Judex, accusator, & testis quis esse valeat? T. 3. *num.* 348. *& seqq.* Judex est solus Ecclesiasticus, *ibid.* Accusator & testis esse potest quivis, alias inhabilis, *num.* 349. *& seqq.*
Simoniæ in pœnis quis dispensare possit? T. 3. *num.* 336. *& seqq.* Papa quamvis in omnibus pœnis Simoniæ dispensare possit, tamen rarissimè dispensare solet, etiam pro foro interno, licèt gravissimæ causæ allegentur, *num.* 341. Quæ causæ moveant ad dispensandum? *num.* 342. Quid valeat Episcopus circa dispensationem in pœnis Simoniæ? *num.* 336. *& seqq.* Executio Dispensationis Apostolicæ in pœnis Simoniæ quæ requirat, & quomodo fieri debeat? *num.* 346. *& seqq.*
Simoniæ Ablolutio ob incursam censuram, à quo fieri possit? T. 3. *num.* 333. *& seqq.* Si committitur in Beneficio, vel ingressu in Religionem, solus Papa absolvit, *ibid.* Et ex privilegio Mendicantes, *numer.* 334. Qui hoc non possunt, ubi Simonia commissa est in susceptione, vel collatione Ordinum, *num.* 335.
R. J. Simonia est quoties datur vel promittitur temporale pro spirituali, C. I. R. XI. *num.* 3.
—quomodo committatur in obtinendo beneficio, C. II. R. I. *num.* 28. remissivè.
Simoniacus quomodo teneatur restituere, C. II. R. LXV. *num.* 9.
Simoniæ ab alio commissæ pœnam quando quis incurrat? C. II. R. XXIII. *num.* 4.

SINGULARITAS.

2. Singularitas testium potest induci secundùm omnia decem prædicamenta, T. 2. *num.* 284. Singularitas testium est triplex: nempe singularitas obstativa, seu adversativa, *num.* 285. *& 286.* Singularitas adminiculativa, *num.* 287. Singularitas diversificativa; & quid? *nu.* 288. Vide infrà, ℣. *Testes singulares.*

SOCIUS.

2. Socii criminis nominatio, per Reum de se confessum facta, ad quid valeat? T. 18. *num.* 107. 108. *& seqq.* De se confessi, an possint interrogari de Sociis criminum, eorumque confessio adversus istos admitti? *num.* 96. 97. *& seqq.* In delictis occultis potest Reus de se confessus interrogari de Sociis criminum, *num.* 106. Ac etiam in criminibus exceptis, *num.* 98. *& seqq.* Nominatio socii criminis aperit viam Judici, ad inquirendum diutaxat generaliter, *numer.* 108. *&* 109. Non verò contra nominatum in specie, nisi concurrant alia indicia, *ibid.* Fallit in criminibus exceptis, *num.* 110. Nominatio socii criminis facta per Reum de se confessum, non est sufficiens indicium ad torturam, &c. *num.* 113. In individuis potest quis consequi per socium, quod per se non potest, T. 27. *num.* 159.
5. Socius criminis non potest esse testis in processu criminali, T. 1. *num.* 231. Nisi in certis criminibus: & quibus? *num.* 232.
R. J. Socii mora nocet alteri socio, C. II. R. LXXV. *num.* 12.
Socius quid possit facere in re communi invito socio, C. II. R. LVI. *num.* 11. 12.
—in societate nemo compellitur invitus manere, *ibid. num.* 14.

SODOMIA.

2. Sodomiæ nefandi criminis actio, an quinquennali præscriptione extinguatur? T. 2. *num.* 180.
4. Sodomia præbet causam divorti, T. 19. *num.* 59.
5. Sodomia unde, & quid? T. 16. *num.* 82. *& seq.* Punitur gravissimè, etiam pœna mortis, ac concremationis, *num.* 84. *& seq.* Trahit secum pœnam infamiæ, & privationem bonorum, *num.* 86. *& seq.* Pœnæ Sodomiæ imperfectæ, *num.* 88. Pœnæ à Jure Canonico statutæ contra Sodomitam Laicum, *num.* 89. Et Clericum, *nu.* 90. Bulla Pii V. contra Sodomitas, *num.* 91.

SOLIDUS.

3. Solidus quid? T. 24. *num.* 15.

SOLVERE, SOLUTIO.

2. Solvere statim debens, non tenetur illicò cum sacco adire, T. 27. *num.* 164.
3. Solutio quid? & à quibus præstanda? T. 23. *nu.* 2. *& seqq.* Solutio latè sumpta quid? *num.* 2. Propriè quid? *num.* 3. Omnis, qui debet, per se, vel per alium solvere tenetur, *num.* 4. Qui non est solvendo, tenetur cedere bonis, *num.* 5. *Qui non habet in ære, luat in cute*, quomodo intelligendum? *num.* 6. Solvendo non existens Clericus non tenetur cedere bonis, nec potest propterea incarcerari, vel molestari, *num.* 7. Limitatur tamen hoc in aliquibus casibus, *num.* 8. *& seqq.* Qui rerum suarum administrationem non habent, valide solvere non possunt, *num.* 13. Procurator tam specialis, quàm universalis pro debitore solvere potest, *num.* 14. Potest quivis pro alio etiam invito solvere, *nu.* 15. Successor Ecclesiasticus tenetur solvere debita ab Antecessore contracta pro utilitate Ecclesiæ, *num.* 16. Non item alio titulo contracta, *num.* 17. Ut successor teneatur solvere debita Antecessoris, debet prius Creditor probare, ea in Ecclesiæ utilitatem, vel necessitatem esse conversa, *num.* 18. Aut saltem tunc temporis adfuisse Ecclesiæ necessitatem, *num.* 19. Solutio ante omnia fieri debet, ac potest Creditori etiam invito, si administrationem bonorum suorum habet, *num.* 20. Et verò, qui administratione caret, solutio fieri nequit, *num.* 21. Fieri tamen potest, ejusdem Tutori aut Curatori, *num.* 22. Procuratori tam generaliter, quàm specialiter ad solutionem deputato rectè solvitur, *num.* 23. *& seq.* Idem est de servis & filiisfamilias specialiter vel generaliter ad id deputatis, *num.* 25. Creditori creditoris etiam sine hujus consensu rectè solvitur, *num.* 26.
3. Solutio de qua re, & quomodo fieri debeat? T. 23. *num.* 27. *& seq.* Solvi debet id ipsum in specie monetæ, *num.* 28. Quid Juris, & in qua specie monetæ fieri debeat solutio, casu quo fit mutatio monetæ? *num.* 29. *& seqq.* Si debitor est in culpabili mora solvendi, contingente mutatione monetæ, damnum ad ipsum solum pertinet, *num.* 38. Regulariter loquendo totum, quod debetur, simul & semel solvi debet, *num.* 41. Ponuntur quatuor limitationes, *num.* 42. Si quis ex pluribus causis debet & aliquam solutionem faciens non exprimat, quodnam debitum solvere velit, censetur semper solutum debitum magis onerosum,

num. 43. Si unà cum Capitali debentur usuræ, censentur hæ priùs solutæ, *num.* 44. Si conventione tempus solutioni præfixum est, potest debitor ante illud solvere, *num.* 46. Si nullum tempus determinatum est, potest debitor differre solutionem, donec petatur, *num.* 47. Ponuntur duæ limitationes, *num.* 48. In quo loco solutio fieri debeat? *num.* 49. *& seqq.* Debitum etiam absque solutione tollitur acceptilatione, *num.* 55. Restituens Chirographum, censetur tacitè remittere debitum: non item si pignus restituatur, *num.* 56. An, & quando fieri possit solutio per compensationem tam publicam, quàm occultam? *num.* 57. *& seqq.*

Solutionis Ordo deficientibus ad solvenda omnia debita mediis servati debet, *T.* 23. *num.* 79. *& seqq.* Et *primò* restitui debent res alienæ, *num.* 79. *Secundò* solvi debent sumptus judiciales, *num.* 80. *Tertiò* impensæ funebres, ac illi Creditores, qui ad has aliquid subministrarunt, *num.* 81. In hac classe veniunt, qui ad insinuationem Testamenti, vel confectionem Inventarii aliquid dederunt, *nu.* 82. *Quartò* veniunt Pharmacopœi, Medici & Chirurgi, *num.* 83. Si tempore infirmitatis ultimæ succurrebant, *num.* 84. His æquiparantur, qui ad reficiendam domum, vel aliud ædificium, pecunias aut materialia dederunt, *num.* 85. *Quintò* uxores quoad allatam dotem jam solutam, *nu.* 86. *& seq. Sextò* Pupilli, Minores, & causæ piæ, quoad bona suorum Tutorum, Curatorum, & Administratorum, *num.* 88. *Septimò* Fiscus quoad bona eorum, qui cum illo contraxerunt, vel bona illius administraverunt, *num.* 89. *Octavò* Creditores Hypothecarii expressam Hypothecam habentes, *num.* 90. *& seq. Nonò* Creditores Chirographarii, qualis Ordo inter ipsos? *num.* 92. Ordo solvendi de Jure Bavarico præscriptus, *num.* 93.

Solutionis dilatio an, & quando sit causa cariùs vendendi? *T.* 17. *num.* 149. *& seqq.* Solutionis obtinendæ difficultas est justa causa augendi pretium, *T.* 17. *num.* 159. *& seqq.* Non item ejus anticipatio, *num.* 169.

4. Solutio sponsalium ex quibus causis fieri possit? Vide *Dissolutio Sponsalium.*

R. J. Solutio tollit obligationem debiti, per quemcunque fiat, C. II. R. LXXXIII. *num.* 2. *&* 5.

SORS.

5. Sortes quid? *T.* 21. *num.* 3. Aliæ sunt divinatoriæ, & prohibitæ, *ibid.* Aliæ consultoriæ, *nu.* 3. Aliæ divisoriæ, *num.* 5. Electio per sortes est illicita, *num.* 7. Et invalida, *num.* 8.

SORTILEGIUM.

5. Sortilegium quid? *T.* 21. *num.* 2. Et quotuplex? *num.* 6. Sortilegii pœna quæ de Jure Canonico? *num.* 13. Et quæ de Jure Civili? *num.* 17. Sortilegium est mixti fori, *num.* 18. Potestque Judex Ecclesiasticus Sortilegos tradere Curiæ sæculari puniendos absque periculo Irregularitatis, *n.* 19.

SPADO.

4. Spadones & Eunuchi an, & quando Matrimonium contrahere valeant? *T.* 15. *n.* 21.

SPECTATOR.

5. Spectatores duellantium an, & quando subsint pœnis? *T.* 14. *n.* 46.

Spectatores ultimi supplicii non sunt irregulares, *T.* 12. *num.* 112. Nec graviter peccant, *num.* 113. Imo nec venialiter, si ex causa rationabili cum debita cautela spectent, *num.* 114.

SPES.

1. Spes in quibus differat à Fide? *T.* 1. *n.* 49.

SPIRITUALIS.

1. Spirituale vinculum, quâ ratione sit fortius carnali? *T.* 7. *nu.* 13. 14. *& seqq.* Spirituale fortiùs operatur, præ carnali, *num.* 17.

3. Spiritualia & Ecclesiastica an, & quando permutari valeant? *T.* 19. *n.* 14. *& seqq.*

5. Spiritualis res, quatenus materia Simoniæ, quid? *T.* 3. *num.* 44. Alia est talis ex natura sua, *num.* 45. Alia caulativè, *num.* 46. Alia effectivè, *n.* 47. Spirituale pro spirituali absque Simonia dari potest, *num.* 226.

Spirituali annexa res, quatenus materia Simoniæ, quid? *T.* 3. *nu.* 52. Alia est annexa antecedenter, *n.* 53. Alia concomitanter, *nu.* 54. Alia subsequenter, *n.* 55.

SPIRITUS.

1. Spiritus sanctus pariter procedit à Patre & Filio, *T.* 1. *num.* 19. *&* 20. Hæc Catholica veritas probatur ex S. Scriptura, *n.* 21. *&* 29. Atque ex Testimoniis SS. Patrum, præsertim Græcorum, *nu.* 22. *& seqq.* Item ratione Theologica, *num.* 25. *&* 26. Solvuntur instantiæ Græcorum, *num.* 27. *& seq.* Cur Græci Patres dixerint Spiritum S. procedere à Patre per Filium? *num.* 31. Spiritus S. procedit à Patre & Filio, tanquam ex uno principio, & unicâ spiratione, *n.* 33.

SPOLIATOR, SPOLIATUS.

2. Spoliator violentus an rem ablatam, fructusque ejus, & damna restituere teneatur; & qualiter? *T.* 13. *n.* 117. *& seqq.* Tenetur restituere rem ablatam, & omnes fructus ejus, *nu.* 117. Etiam illos, quos prior possessor percipere potuisset, *num.* 118. *&* 119. Teneturque damna illata plenariè refarcire, *num.* 120. Et antequam audiatur super proprietate, præmissa omnia spoliata ad obolum restituere, *nu.* 121. Si constet de violentia per spoliatorem illata, damna & interesse probantur per Actoris spoliati juramentum, *n.* 122. *& seqq.*

Spoliatus agens possessorio recuperandæ, non tenetur Spoliatori respondere super proprietate ante factam Spolii restitutionem, *T.* 12. *num.* 273. Dummodo excipiat contra Spoliatorem: aliàs secus, *num.* 274. Spoliatus, si velit, potest simul agere possessorio recuperandæ, & petitorio, *num.* 275. Spoliatorum remedia, quot? *T.* 13. *n.* 2. Eorum præcipua enumerantur, *n.* 3. *& seqq.* Remedium spoliatorum ex Condictione Triticaria, *num.* 4. Et ex Condictione indebiti, declaratur, *n.* 6. Vide suprà ℣. *Condictio*, & ℣. *Interdictum.*

2. Spoliatus ante omnia est restituendus, *T.* 13. *num.* 48. Adeò, ut non obstet exceptio proprietatis, *num.* 49. Nec etiam exceptio criminis, *num.* 50. Dummodo istud personam spoliati non reddat inhabilem ad agendum: ut excommunicatio, *n.* 51. Vel missio in Bannum, *num.* 52. Nec ob crimen ejusmodi, quis ipso jure privatus existat tam re, quàm possessione ipsius, *numer.* 53. Ut spoliatus ante omnia sit restituendus, quid probare debeat? *num.* 54. Regula illa, *Spoliatus &c.* contra quos procedat? *num.* 55. *& seqq.* Spoliatus petens restitutionem, non tenetur allegato titulo præhabitam possessionem justificare, *num.* 56. Restituitur etiam contra Minores, & Pupillos, *num.* 57. Imo

Imo & contra Ecclesiam, *num.* 58. Prædo etiam est restituendus, si spolietur; & quando? *num.* 59. *& seqq.* Spoliatus potest spoliantem vi repellere, ac eundem incontinenti rursus Spoliare, non autem ex intervallo, *num.* 67. *& seqq.* Ly *incontinenti*, quid importet? *num.* 68.

Spoliatus ante omnia est restituendus. Regula hæc fallit in nonnullis casibus, *T.* 13. *num.* 71. *& seqq.* Ut si Spoliatus in hoc consentiat, *num.* 72. Sive expressè, sive tacitè, *num.* 73. Et tunc non potest Judex ex officio supplere restitutionem, *num.* 74. Nisi immineat periculum animarum, *num.* 75. Spoliatus non restituitur ob notorium defectum proprietatis: & qualiter hoc intelligendum? *num.* 76, *&* 77. *ac seqq.* Restitutus Spoliati non habet locum ob restitentium Juris communis, nisi doceat de titulo, *T.* 13. *nu* 80. *& seqq.* Et alioquin præsumitur usurpando possessionem invasisse, *num.* 81. Si jus commune resistat quidem Spoliato, non autem faveat spoliatori, tunc admittenda est ejus restitutio, *num* 82. Et hoc procedit non solùm in causis spiritualibus, sed etiam temporalibus, *num.* 84. Limitatur tamen in causis Beneficialibus, *num.* 85 *&* 86. Restitutio Spoliati, an sit facienda non obstante periculo animæ, scandalo, vel damno irreparabili? *num.* 87 *& seqq.* Utrùm propter renunciationem domini cesset restitutio spoliati? *num.* 93. *& seqq.* An detur alii casus, in quibus fallit regula de restitutione Spoliatorum ante omnia faciendâ; & qui? *num.* 98. *& seqq.* Spoliatus non restituitur, quando post spoliationem inivit pactum cum Spoliatore, quòd nolit agere possessorio recuperandæ, *num.* 98. *&* 99 Item si post spoliationem sponte juravit non agere possessorio recuperandæ, *num.* 100. *&* 101. Item ob exceptionem excommunicationis, vel alterius criminis reddentis personam spoliati inhabilem ad agendum &c. *num.* 102. *& num* 50. 51. *ac seqq.*

R. J. Spoliatus quomodo & quando ante omnia restituendus? C. II. R. LIX. *num.* 8.

SPONSALIA.

1. Sponsalia ex metu gravi injustè incusso contracta probabilius ipso jure sunt nulla; adeo ut, non inducant impedimentum justitiæ publicæ honestatis, *T.* 40 *num.* 45 *& 46.*

4. Sponsalia quoad etymologiam & naturam, *T.* 1. *n.* 2 Sponsalia, Sponsus, & sponsa unde dicantur? *ibid.* Sponsaliorum varia acceptio, *num.* 3. Sponsaliorum definitio, *num.* 4.

